UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

**Lanuza, Jerónimo Bautista de**

**Antverpiæ, 1649**

Feria II. Hebdomadæ sanctæ: Homilia Qvadragesimasecvnda. De oratione in horto, & agonia, ac sudore sanguineo. Factus in agonia prolixius or abat, & factus est sudor eius ficut gutta sanguinis ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-53092

Visual Library

tioſos ? Accingere vt & illi ducatum præſtes in ijs quos audies mortis eius ignominioſæ, ſitque illa tua propoſitio, quam integerrimæ & conſtantiſſimæ vir fidei Dauid dixit : In eum arma ceperat perduellis filius Abſalon, ex fuga ſe ſubtrahit pater filij ſe ſubduceos perſecutioni: ducatum illi præſtitit miles conſtantiſſimus Gethæus nomine Ethai cum fratribus ſuis. Cui Dauid: Hoc tibi perſpectum ſit, amice, graues manere me calamitates: totus etenim in me mundus inſurget ſeditioſus: fas non erit aut poſſibile, vt ab illis te liberes, nec dolores non ſentias truculentos, ſi mihi præſtiteris in aſſlictione comitatum. In domum tuam cum fratribus tuis ſecede ne te futura ſæuaque tempeſtas pariter inuoluat. Abſit hoc Domine mi, reſpondet ille. *Viuis Dominus,* 2. Reg. 15. 20. *& viuis Dominus meus Rex: quoniam in quocumque loco fueris Domine mi Rex, ſiue in morte, ſiue in vita, ibi erit & ſeruus tuus,* tibi ſocius indiuiduus. Regem hunc conſtipaſti in hac triumphi gloria quam in vita ſua conſecutus eſt: accingere, vt & illi comes in tormentis ſuis morteque fidus adhæreas: pœnas illius meditare, atque in te ſentire ſatage: cum pro tuis perſoluat ſceleribus: te ipſum conſidera, te illum eſſe, qui propter ea quæ committis & commiſiſti nefandiſſima, per tanta trahis illum tormenta & pœnas non tolerandas: moueat te videre has ab eo propter illa ſuſtineri, vt te à peccando cohibeas, & crucem eius pœnaſque tibi ſtudeas imponere, vt eius gloriæ particeps fias ſempiternæ Amen.

# SVMMARIVM

## HOMILIÆ XLII. SEQVENTIS.

CVm de paſſione Domini ſit agendum, præmittuntur nonnulli
diſcurſus generales omnibus Chriſti paſſionibus conuenientes,
exponendo qua ratione ſit illa conſideranda, vt nobis adferat v-
tilitatem. *a.* & qualiter ex eius meditatione viuus quidam debeat *a* ſ. 1.2.3.
elici dolor, quo Chriſto patienti compatiamur. *b.* diſtincta clara- *b* ſ. 4.
que malitiæ peccati cognitio. *c.* magnum fiduciæ in Deum fir- *c* ſ. 5.6.
mamentum, quò credamus noſtra nobis ab illo remittenda pec-
cata, & gloriam eſſe tribuendam. *d.* tantique beneficij gratiſſima recognitio. *e.* dein- *d* ſ. 7.8.
de id tantum agitur quod tangit orationem eius in horto, in quo ſuam Chriſtus ex- *e* ſ. 9.
orſus eſt paſſionem: cui principium dedit hymnum illum ſolemnem cantando in
Cœnaculo. *f.* Egreditur de Hieruſalem, non mortem fugiens, ſed locum cedens. *f* ſ. 10.
Quatenus eam inimici exequerentur: tranſit torrentem Cedron: nec hoc vacat my- 11.
ſterio. *g.* Secedit in hortum, vbi triſtem ſe oſtendit & formidoloſum. *h.* nedum ob *g* ſ. 12.
rationem communem demonſtrandi naturæ humanæ veritatem, ſed etiam ob alias, 13.14.
Prima: quia vidit mortem ſibi ſacrilegis peccatis, ruina populi ſui, & damnatione *h* ſ. 15.
Iudæ Apoſtoli ſui infligendam. *i.* Secunda: volebat timore illo ac triſtitia pœnas *i* ſ. 17.
ſuas vehementius excitare. *k.* Tertia: quatenus à nobis tormentum auferret, quod 18.
tales nobis adferunt paſſiones, illas in ſe ſuſcipiens. *l.* Ad orationem ſe contulit, po- *k* ſ. 19.
ſtulans ne calicem bibat, per hoc eius exprimens amaritudinem. *m.* Orationem fu- 20.21.22.
dit quibuſdam actionibus ſingularem: ſingulæ quippe earum documento nobis *l* ſ. 23.24.
ſunt eminentiori, quò nobis hanc prælegit materiam. Primò: vt ad illam confugia- *m* ſ. 25.
mus vtpote triſtitiæ, mœroriſque ſolatium. *n.* Secundò: Solitudinem appetamus, *n* ſ. 26. 27.
qua ſedata cordis oremus tranquillitate, & cogitationibus à diuagatione recolle- *o* ſ. 28. 29.
ctis. *o.* Tertiò: vt coram Deo cernui & genuflexi eum veneremur. *p.* Quartò: fiducia *p* ſ. 30. 31.
pleni accedamus, quam in nobis excitat Patris nomen, quò Deum appellamus. *q.* *q* ſ. 32.

Quintò:

Quintò: Orationem noſtram integra reſignatione noſtræ voluntatis cum diuina r §. 33.
concludamus. r. Sextò: Non ita oremus quin familiæ nobis commiſſæ recordemur, s §. 34.
& orationi inſtantes perſeueremus. s. Septimò: ne diſtrahamur varietatem quæren- 35.
tes verborum compoſitam, ſufficit enim eadem repetere. t. Accurit Angelus eum t §. 36.
confortaturus, oſtendens quòd oratio benefacta, ſemper operetur effectum. u. Con- u §. 37.
fortauit eum Angelus. x. & ſequitur agonia, ſudorque ſanguinis adeo copioſus, vt x §. 38. 39.
in terram defluxerit ob varias & myſticas rationes. y. y §. 40. 41. 42. 43. 44.

§. 1. *Conſideranda mors eſt Redemptoris, vt tolerata pro te ita in particulari, ſicut ea vituli pro reconciliatione Prodigi.*

§. 2. *Celebratur Chriſti paſſio cum lacrymis, & non Martyrum: horum etenim vt tranſacta, illius verò vt præſens attenditur.*

§. 3. *Mortem Chriſtus pro te pertulit in particulari; vt autem illam pro te in ſingulari offerret, ſeceſſit in hortum oraturus.*

§. 4. *Operetur in te Chriſti mors primò acerbiorem multò luctum, quàm filiæ Iephte & Ioſiæ: quandoquidem præterquam quòd moleſtior fuerit, tibi etiam tota ceſſerit ad ſalutem.*

§. 5. *Perpende ſecundò ex hac Chriſti morte malitiæ peccati grauitatem: eſt etenim balena, cuius nunc larua detegitur.*

§. 6. *Mors hæc aperit debiti grauitatem, infirmitatem pondusque peccati, ſicut templum Ezechielis. Illam eo modo, quo ſponſa, applica.*

§. 7. „*Si propter peccatum pro quo Dei fi-*
„*lius venit ſatisfacturus, cum illi proprium*
„*non ſit, nec eſſe poſſit, erga illum tantum*
„*Deus oſtendit iuſtitiæ rigorem, licet fi-*
„*lius ſuus ſit: quid erit in hominibus, qui*
„*per proprium peccatum quod contra diui-*
„*nam committunt Maieſtatem eius ſe red-*
„*dunt inimicos?*

§. 8. *Tertiò noſtram roborat fiduciam: cum nobis Chriſtus hæc omnia comedat merita, multò efficaciùs quàm Bercellai ſua Chamaam filio ſuo conſignauit.*

§. 9. *In hac paſſione Thymiama reperitur, quod nobis reliquit miro artificio confectum quo pectus Patris æterni mitigetur.*

§. 10. *Tandem adeſto gratus, ſitque tibi Chriſtus crucifixus liber memorialis, illo dignior, quem Perſæ circumferebant.*

§. 11. Hymno dicto exierunt. *Abſoluta cœnâ cecinit Chriſtus magnum* Alleluya: *actio fuit hæc ita inſolita, vt nobis eſt myſterioſa.*

§. 12. Hymno dicto. *Chriſtus principium paſſioni ſuæ dedit, cantando: in amoris ſui ſignificationem, & myſterium illud operatur profundum quod D. Bernardus expoſuit.*

§. 13. Egreſſus eſt Ieſus trans torrentem Cedron. *Dum Chriſtus egreditur de Hieruſalem liberam permittit Iudæis facultatem peruerſa ſua exequendi deſideria, quibus in ſuam lapſi ſunt perditionem.*

§. 14. Trans torrentem Cedron. *Myſterium in ipſo nomine continet hic torrens, quo declaratur greſſuum Saluatoris obſcuritas.*

§. 15. Trans torrentem Cedron. *Torrens hic Chriſtum præfigurat, tranſijt illum, ſicut Dauid: quamuis non ſicut ille fugiens, ſed oſtendens à ſapientia vinci malitiam.*

§. 16. Cœpit pauere, & tædere, & mœſtus eſſe. *Ingreſſus eſt Chriſtus hortum,*

*in quo fructus collegit pomorum, pauorem, tadium & mæſtitiam. Hos admiremur affectus.*

§. 17 Cœpit pauere, *&c. Voluntariè Dominus hos ſuſcepit affectus, ipſoſque excitauit maiori veritate, quàm ventos Æolus.*

§. 18. Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. *Mortalem Chriſto triſtitiam attulerunt peccata & perditio Iudæ, ſuique populi noſtra ex ſe illum contriſtant, vt declarat D. Hieron.*

§. 19. Triſtis eſt anima mea, *&c. Contriſtauit Dominum populi ſui Iudæque perditio, ſicut Abſalonis Dauid. Ne tu illum contriſtaueris.*

§. 20. Triſtis eſt anima mea, *&c. Triſtitiam aſſumpſit Chriſtus in pœnarum ſuarum augmentum, quas ita deſiderabat vt ad illarum paſsionem maius effecerit miraculum, quàm illud Iordanis.*

§. 21. *Aſſumpſit Chriſtus quod illi poſſet augere cruciatus: ad hoc in cruce bibit acetum, non vero vinum myrrhatum.*

§. 22. *Quia mors timore cruciat, illum Chriſtus in ſummo gradu aſſumpſit: illam ille præcedebat ſicut armiger Goliath.*

§. 23. *Iob vt vates illuſtratus in ſeipſo timoris præmiſit ſymbolum, quo Chriſtus hic anguſtatur.*

§. 24 Triſtis eſt anima mea. *Timorem huius & mortis triſtitiam Chriſtus aſſumpſit, vt illam nobis auferret: oſtendens ſe vnicornem de quo Dauid.*

§. 25. *Meſſuit Dominus in horto triſtitiam, & timorem, quem ſeminauit Adam, quo nos ab illis reddidit immunes: ſicut in* Malcha *ſeu inſula Melitenſi, à viperis, & patet in D. Andrea & alijs Sanctis.*

§. 26. Pater ſi poſsibile eſt, *&c. Poſtulans Chriſtus non bibere calicem, quem optauerat, oſtendit quam eius erat amaritudo.*

§. 27. Orauit. *Chriſtus triſtitiâ abſorptus recurrens ad orationem, docet nos illam mœroris & triſtitiæ eſſe remedium, quo ſibi Dauid & Iob ſubſidio fuerunt.*

§. 28. *Multi Sancti & Sanctæ laboribus & mæſtitiâ puſillanimes ad orationem pro remedio recurrerunt, quam compoſitam nobis tradiderunt.*

§. 29. Et ipſe auulſus eſt ab eis. *Ab alijs Chriſtus oraturus ſeceſſit, docens ad orationem requiri ſolitudinem, paſſeres fugando ſacrificium Abrahæ perturbantes.*

§. 30. *Ad ſolitudinem ſe recipit ſponſa Dei orationi vacatura, ſecundum inſignem doctrinam, dignamque ſpiritu D. Bernardi.*

§. 31. Poſitis gentibus procidit in faciem ſuam. *Pronus & genuflexus orat Redemptor noſter, licet Dauid ſedens orauerit, & ſacerdotes ſtantes deprecentur manibus eleuatis, quod myſterio non vacat.*

§. 32 *Ita Chriſtus Patrem in oratione veneratus eſt, vt ſicut dicit D. Chryſoſtomus meruerit, vt Pater illum ſimiliter veneretur.*

§. 33. Pater mi: Abba pater. *Orat. Deum appellans Patrem vt fiduciam in noſtris excitet orationibus; & cum lacrymis, quæ illam adaugent: myſticum eſt illud:* Abba pater.

§ 34. Fiat voluntas tua. *Tuam in orando reſigna voluntatem: eſt enim ſacrificium gratum hoc & moleſtum, in quo, teſte D. Hieronymo, vera curuantur genua.*

§. 35. Venit ad Diſcipulos ſuos, *&c.* Et iterum abijt & orauit. *Exurgens Chriſtus ab oratione, & veniens ad diſcipulos ſuos, inſtruit Patres familias; & rediens ad orationem, docet neceſſariam in ea eſſe perſeuerantiam.*

§. 36. *Perſeuera in oratione percutiens cum Eliſeo Iordanem, eamque quam ſuadet Chriſtus, adhibe violentiam, & quam D. Ambroſ. in Chananæa perpendit.*

§ 37. Iterum orauit eundem ſermonem dicens. *Iiſdem verbis orauit Dominus:*

Non-

*Non neceſſe eſt illa variarè, ſed exemplo Annæ orare, & cicadam Dauid imitari.*

§. 38. Apparuit ei Angelus confortans eum. *Mittitur à Patre Angelus confortans: etenim oratio ſemper habet effectum: vt in D. Paulo conſiderat D. Chryſoſt.*

§. 39. Confortans eum. *Oſtium Dominus in ſe concluſit ſolatio partis inferioris: vnde miſit illi Pater Angelum confortatorem. Myſterium latet hic profundiſſima Theologia.*

§. 40. *Confortauit Angelus Saluatorem, ſicut Ionathas Danidem, & impletur Moyſi vaticinium.*

§. 41. Factus in agonia prolixius orabat, & factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſãguinis. *Agoniã paſſus eſt Dominus: primò ex conſideratione ſcelerũ in ſe irruentium impetu grauiori, quàm ſaxa præcelſæ turris, vel rupes montis altiſſimi.*

§. 42. *Secundo: agoniam ſudoremque ſanguineum contritio cordis eius excitauit: mare dixeris, in quo demerſa ſunt peccata, ſicut in Ægypto locuſtæ.*

§. 43. *Tertio: proceſſit hæc agonia ſudorque ſanguineus ex verecundia de peccatis, quibus ſe cernebat grauatum, quæ probatur ipſo præcedente timore efficacior: notate myſterium.*

§. 44. *Tandem hanc agoniam ſudoremque prouocauit ſanguineum cordis robur, quod inuictus ille dux declarauit: illud amoris ignis vt ceram, de qua Dauid, liquefecit, & quaſi in terebintho, de qua Sapiens, operatus eſt.*

# HOMILIA XLII.

## DE ORATIONE IN HORTO, ET AGONIA, AC SVDORE SANGVINEO.

### Feria ſecunda Hebdomadæ Sanctæ.

*Factus in agonia prolixius orabat & factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram*, Luc. 22.

TAnta tamque varia in veteri illo videbantur tabernaculo, quod ex Dei præſcripto ſingulari, expreſſaque figura Moyſes compoſuit: vt omnia circumferri ſimul non poſſent: Arca, propitiatorium, menſa panum propoſitionis, altare ſacrificiorum, altare holocauſtorum, altare incenſi, candelabrum aureum cum ſeptem calamis, cortinæ pretioſe Cherubinis intertextæ, pro parte interiori, cortinæ ex pellibus caprarum pro parte exteriori, columnæ ad ſuſtentandum tabernaculum, velum cum ſuis columnis, vas æneum cum ſpeculis ſuis, ſupellex ad ſacrificiorum vſum, aliaque quam plurima. Illa omnia deferre ſecum tenebantur filij Iſraël per deſerta profecti ad terram promiſſionis: cum igitur hæc tot eſſent, & ſingula eorum magno pondere grauia, mandauit Moyſes ex Dei decreto, vt per ſingulas partes diſtribuerentur, & hæc illi, alteri alia ferenda traderetur, vt patet legenti lib. Numeri.

1. Paſſio Chriſti tabernaculo cõparatur.

Tabernaculum Dei fuit paſſio Chriſti diuino conſilio ordinata & præſcripta, ratione cuius melius quàm antiqui dixit illud: *Omnia facito ſecundum exemplar, quod tibi in mente monſtratum eſt.* Vt indicat D. Paulus. Quænam includit diuinum hoc tabernaculum? Venditionẽ Iudæ, agoniam, timorem, ſudorem ſanguineum, capturam, fugam diſcipulorum, Petri negationẽ, varia tri-

Exod. 25. 40. Hebr. 9. 5.

bunalia

bunalia cum iudicibus Eccleſiaſticis & ſæcularibus flagra, coronam ſpineam, crucem, clauos, lãceam orationem pro inimicis, colloquium cum latrone, matris planctum, ſepulchrum, ſudarium ſanctum & alia infinita, magni ponderis magnæque celſitudinis omnia: vt minimum eorum toto præponderet vniuerſo. Fieri nequit vt hæc omnia ſimul ferantur: cum magnitudo vel minimi eorum ipſis Angelicis humeris ſit ſuperius; expedit vt ſingillatim diſpertiantur, & vno die hoc, altero aliud, pro vt ſe offeret occaſio, conſideretur. Prima pars huius tabernaculi, & vnde ſuam Chriſtus exorſus eſt paſſionem, oratio fuit in horto & extrema agonia, quã ibidem laborauit: vbi primò manibus & vi imaginationis ſuæ pertulit, quidquid poſtmodum paſſus eſt manibus miniſtrorum: hæ etenim non minus efficaces fuerunt quàm illæ: cum ſuffecerint, vt totum illi corpus diffinderetur tali copia ſanguinis, vt ipſam terram rigare potuerit: & quandoquidem Chriſtus huic principium daturus primò recurrerit ad orationem, ſubſidium à Patre ſuo æterno rogaturus: nos vt de illa ſermonem inſtituamus idem faciamus, gratiam S. Spiritus poſtulantes ſanctiſſima virgine mediatrice, dicentes, *Aue Maria.*

§. I. *Conſideranda mors eſt Redemptoris vt tolerata pro te ita in particulari ſicut ea vituli pro reconciliatione Prodigi.*

☞ 2 3.p.q.1.a.4.

DOctor Angelicus S. Theologiæ profeſſor primarius D. Thom vtique eptimè exercitatus in meditatione Dominicæ paſſionis, quæ principium dicitur & fundamentum totius noſtri boni ſolidiſſimum, in qua D. Paulus, cui Deus ſecreta ſua reuelauerat, abſconditã reperit omnem Dei ſapientiam; modum nobis præſcribit excellentiſſimum illam meditandi, vt nobis ſit vtilis, eum magni faciamus, & pro rei dignitate grati ſimus: atque hunc eum eſſe, vt illam quiſque meditetur ita peractam & toleratam pro cunctis hominibus in communi, vt ſingulariter eam perpendat quaſi peractam & toleratam pro ſe ſolo ita in ſingulari, ac ſi ſola & præcisè pro ſingulis fuiſſet tolerata. Axioma eſt ita verum vt commune apud homines: quòd qui facit quidpiam in communi, pro nemine faciat: quantò namque quid pro pluribus fit hominibus, tantò minoris habetur, & à ſingulis in eorum particulari. Huius ratio feſtinè cognoſcitur: quia beneficia ab hominibus præſtita, finita ſunt, & omne finitum, tantò minus eſt in vnoquoque, & prodeſt vnicuique, quantò plures ſunt quibus hoc communicatur.

1.Cor.1.24.

1. Paſſio Chriſto meditanda quaſi pro te ſolo ipſe paſſus fuiſſet.

Accipe ſimilitudinem: quod ſi forte ciuitas hæc extremis affligeretur anguſtiis, vel quia militari hoſtium cingeretur corona, vel quia grauibus ac contagioſis langueret infirmitatibus: ipſe verò Rex ac Dominus noſter: ipſe adueniret eam curaturus, vel copioſo inſtructus militum exercitu, quô propelleret & in fugam ageret inimicos: vel medicos adduceret adeo rerum expertos, & medicinas adeo efficaces, vt omnes lue peſtifera infectos ſaluti vitæque reſtitueret; indubiè magni penderes tale beneficium, porro non tanti, quanti, ſi pro te vnico veniret: nam ſi intelligens te non volgari preſſum aduerſitate, in domo tua ab hoſtibus concluſum ſæuioribus; vel lecto moleſta proſtratum infirmitate: ipſe in perſona accurreret multis ſtipatus defenſoribus, vel proprij palatij adducens medicos te curaturus: quantò maioris hoc æſtimares? quanto te cenſeres honore promotum digniori? Hæc autem eſt ratio: quia ſicut voluntas, amor & ſollicitudo Regis quiddam eſt finitum, tantò minor fuit ſingulis, quantò plures fuerunt ad quos ſe extendit: & tantò minus te iudicares in particulari deuinctum, quantò fuiſſent plures, quos Rex dilexit, & quibus benignus ſubuenit, opere licet ſingulis adeo proficuo. II. Similitudo.

Non ſic ſe res habet in beneficiis diuiſque Dei: hæc enim in ſe rationem quandã includunt infinitatis, & hanc abſolutè voluntas eius habet & amor qui principium eorum eſt & origo: quocirca, non quia pluribus communicantur, ſunt minora in ſingulis, nec in ſe, nec in ſuo principio, quod amor eſt quo conferuntur: quia cum ſit infinitus, non minuitur, ex eo quod plures ſint ad quos ſe extendit: vnde non tantum illa debes conſiderare, vt beneficia facta in communi, & amore quodam communi ac omnibus vniuerſali, quantum conceſſa tibi ſingulariter, in tuum particulare commodum, idque tanto ac ſingulari, tibi in ſingulari, ac ſi tu ſolus fuiſſes, cuius gratiã hæc fierent: vt inde colligas, te tantum in particulari obligari ad gratitudinem, eiuſque ſeruitium, ac ſi pro te ſolo peracta fuiſſent.

Inter hæc omnia mors eminet Saluatoris ad noſtram directa redemptionem. Venit filius Dei: noſtram egit redemptionem, tanto ſuo impendio, vt ad vltimam vſque ſanguinis ſui guttam, quam corde gerebat abſconditam, huic clemens impenderit. Si beneficium hoc attenderis vt fa-

ctum pro omnibus in communi, non te ſic excitabis ad gratitudinem, & æſtimationem vt decet, & teneris: Vnde vt tuam optimè capias obligationem, quâ pro illo huic adſtrictus ſis Domino, tantumque opus magnificias, attende illud quaſi pro te ſolo peractum fuiſſet: conſiderans; quòd pro te vnico fuerit eius agonia, captura, flagellatio, ſpinæ, crux, mors, omnia eius opprobria & calamitates. Hæc, ex mente D. Thomæ, D. Chryſoſt. imitari, methodus fuit, quâ D. Paulus inæſtimabile hoc perpendit beneficium: cuius conſideratione tanti benefactoris amore ita exarſit, vt parum eſſe iudicaret, ſi pro illa vitam, animam & cor traderet: vnde creatas omnes prouocanit vires: quaſi nulla earum eum valeret ab hoc amore ſeparare ſuperior. Hoc verbis illis expoſuit. *Qui dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me.* Qua ratione ſanctiſſime Apoſtole hoc tibi ſoli arrogas, quod poſſit omnibus? Te ipſum audio, vt oſtenderes neminem ſibi debere Chriſtum eiuſque ſacramenta appropriare, proloquentem. *In Chriſto Ieſu non eſt Gentilis & Iudæus, circumciſio & præputium, barbarus & Scytha, ſeruus & liber: ſed omnia & in omnibus Chriſtus.* Quomodo ita tibi proprium arrogas, vt dicas: *Dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me.* Numquid alios non amauit? Amauit: etenim pro omnibus mortuus & paſſus eſt: porrò id quod pro omnibus actum credimus, conſiderat Apoſtolus ita quaſi proprium, ac ſi ſui ſolius gratiâ fuiſſet actum: Nec quidquam eſt quod à ſola meraque pendet conſideratione: ſed magnum habet in re ipſa fundamentum: tam ob rationem prædictam: quia cum beneficium ſit infinitum, non minuitur in ſingulis, licet ad multos extendatur: quàm quòd in rei veritate, eo modo Chriſtus totam ſuam pertulit paſſionem, vt licet verum ſit, quòd pro omnibus in communi paſſus ſit, tamen ita paſſus eſt pro ſingulis in particulari, ac ſi pro illis ſolis paſſus fuiſſet: ita vt in tua iuſtificatione, & in omnibus quæ ad tuum peracta ſunt animæ emolumentum eius ſanctiſſima Paſſio ac mors venerabilis interuenerit ita verè & particulariter, ac ſi pro te ſolo & vnico impenſa fuiſſet & peracta.

L. 1. de compunct.
Gal. 2. 20.
Coloſſ. 3. 11.
III. Chriſtus pro ſingulis in particulari paſſus eſt, quod probatur.

Probat hoc & exponit D. Ambroſ. circumſtantias expendens, quæ in iuſtificatione peccatoris accidunt, quas Chriſtus declarat, notiſſimâ illâ parabolâ de filio prodigo & impudēti fronte adoleſcente, qui terga vertit optimo patri ſuo, abiitque in regionem longinquam paruipendens ac dilapidans opulentas, quas illi pater dederat, facultates: recipiens illum poſtmodum ſola ſua bonitate meraque miſericordia, ait, quòd iuſſerit vitulum occidi ſaginatum: *Occidite vitulum ſaginatum.* Non loquitur de vitulo in communi, nec ait. *Occidite quendam vitulum*, ſed de quodam ſingulari & noto ex craſſitie ſua, & pinguedine. *Occidite vitulum ſaginatum*, q. d. Occidite vitulum illum pinguem & obeſum, qui ſua craſſitie cæteris eminet formoſior. Tunc actualiter occiditur & comeditur. *Occidite vitulum &c. epulemur.* Domine quid indicas? Quando namque peccator ad meliorem vitæ frugem conuertitur quod epulum ei proponis veſcendum vitulum ſaginatum, tui ſanctiſſimi corporis & ſanguinis in venerabili Sacramento, non hoc me latet: O vitulum adeo pinguem: cum in ſe contineat omnem celſitudinem ineffabilem & diuitias infinitas quas Deus diues poſſidet, vt nihil illi deſit, Hoc veſceris, quando immenſa Dei bonitate ad ſuam te Dominus admittet diuinam gratiam & ſacramento Pœnitentiæ à peccatis abſolutus, ad ſacram accedis corporis illius & ſanguinis participationem. Cœleſtis planè eſt hæc gratia, & fauor nedum immeritus, ſed qui nec cadere poſſit in deſiderium, aut cogitationem, aut creaturæ alicuius imaginationem, etiam omnium ſupremæ, optimè capio quomodo ſit hoc; verumtamen non videtur intelligi poſſe id quod dicitur tunc temporis hunc ſingulari vitulum. *Occidite vitulum.* An forte nunc moritur Chriſtus? Cruci nunc affigitur? Audio dicentem D. Petrum: *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis.* Sed poſtquam reſurrexit, iam non moritur, nec mori poteſt, ſi D. Paulo credamus: *Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Quomodo ergo dicitur: quòd quotieſcumque peccator in particulari iuſtificatur, & ſemper quando remiſſionem obtinet peccatorum, atque à Patre cœleſti ad diuinam ſuam gratiam admittitur, de præſenti & realiter vitulus hic ſaginatus Chriſtus occidatur? Hoc vnum effulget inter fidei noſtræ ac Chriſtianæ religionis myſteria profundiſſimum.

Lib. 2. de pœn. c. 3.
Luc. 15. 23.
IV. Vitulus ſaginatus & occiſus Chriſtum ſignat.
1. Petr. 3. 18.
Rom. 6. 9.

Docet D. Bernard ſingulare hoc cenſeri in myſteriis Chriſti, vt illa ſemper proponantur quaſi præſentia, non ſolum quando ea in mundo Redemptor, operabatur, ſed etiam poſtmodum, quinimo etiam, antequam illa compleuiſſet. Perpende, inquit, verba quibus Mater Eccleſia nobis annuntiat pridie natiuitatis Domini in Kalendis natalem Domini, ad animarum noſtrarum ineffabile gaudium. *Ieſus Chriſtus filius Dei, in Bethlecm Iudæ naſcitur.* In ſingulis Do-

D. Bern. ſer. 6 in Vigilia Natiuitæ. ante med.
V. Eccleſia nobis Chriſti myſteria

vt præſentia proponit. ctor præfatus verbis hæret, atque ex vnoquoque rationes lætitiæ eximias mundo elicit: qui namque venit Ieſus eſt, Chriſtus eſt, filius Dei eſt: circa quæ luculentiſſimè diſcurrit: vltimum verò conſideraturus, ſcilicet, *Naſcitur*, gradum figit. Poſſet hic aliquis, inquit, prodire, atque obiicere: non appoſitè myſterio conuenire, dicere: *Naſcitur* in præſenti. cum à mille, & nunc à mille ſexcentis annis Chriſtus natus ſit: quod ſi tunc temporis aptiſſimè dicebatur mundo, vt gaudio magno nimis gauderet: quia nouum tunc illi fuit, & ex optima ratione dixerunt Angeli: *Annuntio vobis gaudium magnum: quia natus eſt vobis hodie Saluator*: Nunc non videtur ſubeſſe ratio: cum tam nouum non ſit, quod modo fiat, ſed antiquum valde & pluſquam mille annis inueteratum: Loquatur ipſe D. Bern. *Nec mihi quis iſta reſpondeat indeuotus, ingratus, irreligioſus: Non eſt hoc nouum, olim auditum eſt, olim factum eſt, olim natus eſt Chriſtus.* Ne ſimilia mihi proponas: indicia quippe ſunt languidæ tuæ deuotionis, magnæque ingratitudinis, quâ delere cupis beneficium quia vetus, vt illi minori reſpondeas gratus offi io, atque teipſum ad ſpirituale gaudium minus te moueas & animi pietatem. Attende illud vt nouum, itaque recens, vt in rei veritate tibi nuntiari poſſit, quòd modò tibi naſcitur mundi Saluator. *Ieſus Chriſtus filius Dei in Bethleem Iuda naſcitur*: Idque duabus de cauſſis

Luc. 2. 10.

☞ 4 Primâ: quia Dominus hic talem habet eſſentiam, vt tali modo fuerit, vt etiam nunc ſit in præſenti, ſitq; e futurus in ſempiternum: *Ieſus Chriſtus heri, & hodie, & ipſe in ſecula.* Secunda: quia ad contemplanda iſta ſua myſteria, nobis oculos dedit ſeu præſtantia fidei ſpecilla adeo lucida, vt ſemper in illo defigantur, ſemperque perpendant illum & repræſentent præſentem & hoc modo conſpicies, quòd Dominum hunc eiuſque myſteria electi in hoc mundo ſint meditati. Iam inde ab orbe condito vidit illum protoplaſtes Adam humanæ naturæ deſponſatum, ſuæque Eccleſiæ, in illis ſuis cum Eua ſponſalibus: etenim cum hoc illa ponderans Apoſtolus, adiungit. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Iam Abraham illum habuit ita præſentem in ariete quem vidit hærentem cornibus inter vepres, vt Chriſtus veriſſimè dixerit: *Abraham exultauit, vt videret diem meum, vidit & gauiſus eſt.* Sic illum intuiti ſunt Patriarchæ & Prophetæ à millenis annis antequam in mundo naſceretur. Eo modo illum contemplari deberes, quamuis in eo natus ſit à

Heb. 13. 8.

Ephe. 5. 32

Ioa. 8. 56.

mille ſexcentis annis: ſemperque tibi noua hæc debent eſſe myſteria: ſic etenim nominat Hieremias Incarnationis eius myſterium. *Nouum faciet Dominus ſuper terram.* Myſteria ſunt hæc, quæ numquam inueteraſcunt, & quæ ſemper oporteat vt præſentia conſiderare, & vt talia ea tibi S. repræſentat Eccleſia.

Hier. 31. 22.

Diuinus ſol Chriſtus eſt, qui perfectum ſuum complet curſum totius anni decurſu, minus vel magis nobis appropinquans per varia diſcurrens ſigna myſteriorum vitæ ſuæ ac mortis, vt in te perfectiores ac gratiores proferat flores, fructus, meſſemque deuotionis, amoris, virtutum, bonorumque operum, quam ſol hic corporalis in terra producit abundantiorem. Licet autem hoc ita ſit, ſingulariter tamen dicitur ſemper eſſe præſens, & interuenire mors & paſſio Saluatoris, in quacumque occaſione & tempore iuſtificatio ſit peccatoris, & remiſſio culparum, atque admiſſio ad diuinam gratiam: tam antequam hæc perficeretur ab initio mundi, quam poſtmodum vſque ad mundi terminum: ita vt in omnibus optimè quadrent verba patris amantiſſimi. *Occidiſe vitulum ſaginatum*: quia numquam Deus peccatum aliquod remiſit, nec originale, actuale, mortale, nec veniale, nec vnquam aliquem ad diuinam ſuam admiſit gratiam, ab ipſo Adam, qui primus fuit iuſtificatus poſt commiſſam culpam: quin Pater æternus oculis ſuis præſentem habuerit & appenderit paſſionem, mortemque quam filius ſuus erat paſſurus ita ad viuum, ac ſi tunc reipſa pateretur.

VI. In iuſtificatione peccatoris ſemper eſt præſens Chriſti paſſio.

Hoc Salomon dictante Spiritu Sancto effatus eſt. *Per ſapientiam ſanati ſunt quicumque placuerunt tibi Domine à principio.* Ad cuius confirmationem longam adfert inductionem incipiens ab Adam conſequenter in Noe, Abraham, Iſaac, Iacob, Moyſe, &c. Idcirco vocatur à D. Ioanne Euangeliſta: *Agnus qui occiſus eſt ab origine mundi.* Hoc eſt quod dicunt Theologi, quòd tunc operabatur paſſio Saluatoris in iuſtificatione cuiuſcumque peccatoris, per modum cauſæ finalis, quæ operabatur non exiſtens ipſa in ſe, ſed in apprehenſione. Hoc antiquis temporibus fiebat. In lege verò Euangelica, poſtquam Chriſtus mortuus eſt, magis propriè, & veriùs dicitur, mortem eius eſſe præſentem, ac realiter interuenire in quacumque iuſtificatione cuiuſlibet peccatoris in particulari ex eo quod aſſerit D. Thom. non ſolum eius eſſe cauſam meritoriam & ſatiſfactoriam, ſed etiam efficientem. Certum autem eſt & philoſophis indubitatum, vt cauſa efficiens aliquem.

Sap. 9. 19.

Apoc. 13. 8.

VII. Etiam vt cauſa efficiens...

quem producat effectum, oportet vt ſit præſens: etenim quod non eſt, non operatur. Myſterium hoc eſt Theologiæ, quod expedit ipſis Doctoribus in ſcholis relinquamus excutiendum: qui non tantum hærent in eius aſſertione, quòd hoc ita ſit, quantum in declarando modum, quò præſens ſit hæc ſacroſancta Domini paſſio, nunc cum Chriſtus ipſe viuat & regnet in cœlo glorioſus.

VIII. Quomodo præſens ſit. Communis eorum opinio habet, quòd præſens ſit in SS. Sacramentis, quæ Chriſtus infinitâ ſuâ ſapientiâ, & omnipotenti virtute inſtituit, velut vaſa quædam & miranda tabernacula, in quibus tota hæc conſeruaretur vt tibi applicaretur in particulari, & alteri, ac tertio, ad remedium & animæ ſalutem: quando baptizaris, remittendo peccatum originale, & Patre æterno te ad ſuam gratiam recipiente, cum ante filius eſſes iræ & perditionis. Quando te Confeſſarij abſoluunt Sacramento pœnitentiæ abſoluunt te quam à peccatis, quibus optimum illum Patrem contumax offendiſti, eius diſcedens domo, gratiæ illius dona dilapidans tibi ab illo conceſſa, & diabolo porcarius adhæſiſti: præſertim autem in SS. Altaris Sacramento. Per hoc declarat D. Ambroſ. qua ratione verè dicatur, vitulum occidi ſaginatum, quotieſcumque quilibet peccator iuſtificatur. Hæc eius ſunt verba. *Sicut enim ſemel Chriſtus pro omnibus immolatus eſt, ita quotieſcumque peccata donantur, corporis eius ſacramentum ſumimus, vt per ſanguinem eius fiat remiſſio peccatorum.*

### §. 2. *Celebratur Chriſti paſsio cum lacrymis, & non Martyrum: horum etenim vt tranſacta, illius verò vt præſens attenditur.*

IX. ... Domini. Ex hac doctrina colligit D. Leo Papa reſponſum interrogationis à quibuſdam obiectæ. Cur celebrat Eccleſia paſſionem mortemque Domini cum lacrymis, & luctu triſtiori, ſi iam paſſus ſit, cumque gloria ſuæ reſurrectionis ſecuta ſit, quâ de ſepulchro ſurrexit glorioſus, nunquam amplius quidquam paſſurus, aut vltra moriturus. Ipſe pridie mortis ſuæ in ipſa ſuprema nocte præmonuit Apoſtolos ſuos ſimilitudine mulieris parientis in hæc verba. Ioan.16.a.21. *Mulier cum parit triſtitiam habet, quia venit hora eius: Cum autem pepererit puerum iam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum.* Per hoc intelligimus quòd Eccleſia nos non hortetur ad lacrymas & planctum in SS. Martyrum crudeliſſimis tormentis, quibus pro fide Chriſti conſtantiſſimè occubuerunt: quamuis enim quando patiebantur, ſpectatores dolore & triſtitiâ afficerentur; nunc tamen, cum ſint glorioſi, dum eos in ſtatu conſideramus gaudiis repleto, & feliciſſimo, non eis dolentes compatimur, quinimo eorum triumphis applaudentes gloriamur, victoriis exultamus, & coronas eorum læti celebramus illuſtriores; iuxta Apoſtolicum inſtitutum. *Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: ſiue glorіatur vnum membrum, congaudent omnia membra.* 1. Cor. 12. 26. Vnde in ipſis diebus, quibus de martyriis eorum, morteque crudeliſſima celebratur memoria, nedum non lacrymas fundimus, aut luctum edimus: imo potius gaudiò tripudiamus, & cantamus alacriter. *Gaudeamus omnes in Domino diem feſtum celebrantes, &c. De cuius paſſione gaudent Angeli, &c.*

Cur igitur ob paſſionem Domini nobis eſt dolendum, contriſtandum & lugendum? quòd plorarent, & pectus illis mœrore ſolueretur qui præſentes adfuerunt, ei morienti compatientes, tot tamque acerbis cruciatibus exſpiranti; qui ſpecioſus forma præ filiis hominum omnibus erat gratiſſimus, ipſis cœlicolis Angelis ſanctior, ipſa vitâ dignior illis omnibus, qui in mundo, vitâ potiebantur, non eſt cur miremur: imo mirabile foret tale ſuis oculis videre ſpectaculum; & cor dolore non diffindi: quandoquidem tales fuerint patientis cruciatus, vt ſol ipſe pullum induerit colorem, cœli ſint obtenebrati, terra motibus inſolitis contremuerit, lapides præ dolore duriſſimi diſſilierint: imo & plures de ſæuioribus eius inimicis in ſe reuerſi pectora ſua geminato verbere tutuderint. Si quando patitur vnum membrum, cætera omnia dolorem ſentiant, quid futurum dum caput acutis adeo torquetur moleſtiis? Itaque conueniens maximè fuit, vt tunc Chriſto patiente lugeret, & totus præ dolore mundus dirumperetur. Verumtamen nunc, iam tranſacta paſſione, ipſo glorioſo, & triumphante, cum eum videmus propter paſſionem & mortis ignominiam gloria & honore coronatum, exaltatum ſuper ſidera, nomine ſuper omne nomen glorioſo decoratum, cui pronum flectitur omne genu, cur lacrymemur, doleamus & pectora tundamus? Si glorificato vno membro, reliqua glorificentur, quantò magis ſi caput ipſum glorificetur?

Hæc ea ratio eſt, (reſpondet D. Leo Ponti-

I. Martyres ſibi tantum lucrati ſunt.

ſex) quia magnum intercedit diſcrimen inter paſſionem mortemque Martyrum, & paſſionem mortemque Saluatoris: ipſa namque eorum paſſio etiam ipſis eſt ſingularis: quamuis enim cæteris nobis exempla præeant virtutum (nobiſque prodeſſe poſſint in ratione ſatisfactionis eo modo quo Theologi declarant agentes de theſauro Eccleſiæ) veruntamen quod per illum effecerunt, & meruerunt, illis ipſis hoc ceſſit in augmentum gratiæ, & ſibi ſolis merebantur, & gloriam operabantur: omneſque illud Apoſtoli ſibi poterant vſurpare. *Quod momentaneum & leue eſt tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*: Porrò mors Chriſti eiuſque ſacroſancta paſſio, mors erat & paſſio vniuerſalis, quæ quantum eſt ex ſe operatur in nobis omnibus diuinam gratiam, chariſmata Spiritus Sancti remiſſionem peccatorum, æternamque beatitudinem. Illa operata eſt in Apoſtolis charitatem, in Martyribus fortitudinem, in doctoribus ſapientiam, in Confeſſoribus ſanctitatem in Pœnitentibus ſcelerum indulgentiam, & æternam in beatis felicitatem. *Acceperunt iuſti, dedere coronas & de fidelium fortitudine exempla nata ſunt patientiæ, non dona iuſtitiæ: ſingulares quippe in ſingulis mortes fuerunt, nec alterius quiſquam debitum ſuo funere ſoluit: cum inter filios hominum ſolus Dominus noſter Ieſus Chriſtus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes ſepulti, omnes etiam ſunt ſuſcitati.*

2. Cor. 4. 17.

II. Chriſti verò mors omnibus profuit.

D. Leo Serm. 12. de Paſſio Domini.

Ex hac doctrina diſcas oportet, quod quando nunc te conuertis ad Dominum, peccata tua pœnitens confiteris, ab iis te Confeſſarius abſoluit, quotieſcumque criminum tuorum obtines remiſſionem, te Deus ad Diuinæ ſuæ gratiæ admittit dignitatem: ſibi realiter & verè concurrat mors & Paſſio Redemptoris: nam eo fine reliquit illam in SS. Sacramentis aliiſque modis reſeruatam, quos explicant Theologi, & tibi in ſingulari nunc ita verè & realiter applicatur, ac ſi nunc actualiter & verè Chriſtus pateretur, affigeretur, crucem baiularet, flagellis toto corpore cæderetur, caput eius ſanctiſſimum duriſſimis perfoderetur, ac terebraretur ſpinis, totum ſuum de venis effunderet ſanguinem, & fons fieret cruoris abundans tibi in ſingulari lauacrum. Hoc autem tibi ſignificauit, dicens quod in tuâ iuſtificatione realiter vitulus occidatur ſaginatus, & hoc non ſemel tantum, ſed centies & millies, imo centies millies, toties quoties tua crimina confiteris, & quot tua ſunt peccata, quorum lucraris indulgentiam.

Hinc vt rem elici poteſt elegantiſſima ratio eius quod toties repetiuimus ex Apoſtolo Paulo de peccatoribus, quòd rurſum peccatis ſuis Chriſtum crucifigant, & è cruce ſuſpenſum diris torqueant cruciatibus. *Rurſum crucifigentes ſibi metipſis filium Dei, & oſtentui habentes.* Etenim ad cuiuſlibet peccati mortalis remedium, eiuſque remiſſionem, reditum ad gratiam Deique amicitiam, ita verè mors interuenit & Paſſio Saluatoris, ac ſi actualiter pateretur, crucifigeretur, & moreretur. Hoc vnum cæteris multò profundius eſt redemptionis myſterium, quod ſua Chriſtus eminenti operatus eſt Paſſione, adeo ſublime, & excelſum, vt perfectè in hac non poſſit vita comprehendi: eritque vnum ex illis quod nos in altera quando perſpicuè illud videbimus, ſtupore percellet. Hoc vnum erit, quod ſingulariter Dominus in die iudicij proponet, ad ſupremam & intolerabilem reproborum confuſionem, & excellentiſſimam laudis perpetuæ materiam electis: etenim de hoc arbitror intelligi poſſe verba vatis Oſeæ: *Pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius in nouiſſimo dierum.* Verbum hoc *Pauebunt* emphaticum eſt apud Hebræos, ſignificat enim timere, perterreri, hærere attonitum, & quaſi ſenſibus abſorptum. Legit D. Auguſt. cum Septuaginta. *Stupeſcent*: Stupore nimio & horrore ineffabili aditabunt in die iudicij, quando Deus manifeſtè, & ſeipſum, & quod in ſe bonum eſt, reuelabit. *Ad Dominum & ad bonum eius* Dies vltimus iudicio dedicabitur: Dies hic, interprete Apoſtolo, dies erit manifeſtationis, reuelationis & deterctionis. *Dies reuelationis iuſti iudicii Dei.* Poſſimum autem ſeipſum Chriſtus reuelabit: veniet etenim cum poteſtate magna & Maieſtate, vt ipſe prædicit, ſimiliter & bonum ſuum manifeſtabit. *Ad bonum eius.* Quale eſt hoc ſuum bonum, niſi paſſio morſque ſanctiſſima? De hoc opinantur aliqui eum dixiſſe Moyſi, dum illi huius quandam oſtendere vult imaginem in humeris ſuis; *Oſtendam tibi omne bonum.* Ibi bonum hoc oſtendet, vt diſtinctè videant omnes quid pro ſalute eorum operatus ſit in cruce moriens: quod cum viderint, ſtupore conſternati hærebunt omnes & velut extatici, quaſi ſinguli interrogabunt: Fieri ne potuit, vt iſta Deus mei gratiâ fecerit? Talia pertulerit innocens tormenta, & amaram adeo guſtauerit mortem, vt mihi vitam largiretur, gratiam diuinam & æternam compararet beatitudinem? Quis credat tantam eius erga me fuiſſe bonitatem, & miſericordiam? Quis hoc ſibi perſuadeat, quòd

hos

Hebr. 6. 6.

III.

Oſe 3.

Lib. 13. de Ciui.

Rom. 2.

Exod. 33. 19.

hoc modo pati voluerit, quô pariter diſponeret, vt ſemper præſens eſſet mors eius & paſſio, conſeruata & reſeruata mihi ad ſalutem, ac ſi non ſemel, non bis, ſed decies millies eandem pro me in ſingulari pateretur? An plura pro me facere potuit eius omnipotentia? An paſſio illius plus in meum proprium ac ſingulare beneficium atque vtilitatem valuit operari? Hinc in electis perpetuæ laudis orietur occaſio, quæ de viſceribus cordis eorum inceſſanter grata proſiliet ſæpe ſæpius canticum illud repetendo, quod D. Ioannes audiuit in cœlo ab eis illi decantari: *Redemiſti nos Domine Deus in ſanguine tuo. Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & fortitudinem & diuinitatem, &c.* Apoc. 5. 12.

Econtra verò reprobi furore rabido in ſeipſos excandeſcent, ſuamque execrabuntur peruicaciã, euidenter cognoſcentes, quàm iuſto luant ſupplicio, & quam merito flammis abdicantur ſempiternis, nec non omnes creaturæ, ac inferni cacodæmones cum omnibus tormentis, ignibus, cruciatibus in eos exardeſcant totaque rabie ſeuient, qui tantam neglexerunt, imò contempſerunt gratiam, tantam aſpernati ſunt obdurati miſericordiam, innocentem hunc calcârunt ſanguinem, tam acriter & inhumanè eum offendere, atque in eum inſurgere veriti non ſint; à quo bonis ac miſericordiis cumulari non poterant eminentioribus. Hic omnibus liquidò patebit, quàm merito culpabilis fuerit eorum negligentia, cum enim Dominus hic nedum in eorum ſalutem torcular hoc diriſſimum Paſſionis ſuæ calcauerit, ſed illum inſuper ita ſibi præſentem ſtatuerit, ac ſi ſemper eam pro ſingulis in particulari toleraret, & quaſi crucifixus cum extremis mortis luctaretur doloribus, ac ſpectante vnoquoque eorum, ſanguinem ſuum effunderet pretioſum: ſocordes hoc non attenderunt, ad eius obſurduerũt clamores, aures gemitibus eius occluſerunt doloroſis, promiſſa vilipenderunt, pretium ita ineffabile flocci habuerunt, terga verterunt illi pertinaces, qui brachiis eos apertis longanimis exſpectabat. Hic luce clariùs quiſque magnitudinem huius capiet beneficij, & qualiter pro ſingulis fuerit collatum: inſuper quantam quiſque illi gratitudinem debeat, eamque adeo perfectam, ac ſi in eius ſolius gratiam fuiſſet hoc operatus.

### §. 3. *Mortem Chriſtus pro te pertulit in particulari; vt autem illam pro te in ſingulari offerret, ſeceſſit in hortum oraturus.*

HOc idem faciliùs intelligetur inſiſtendo 7
ei quod ex D. Ambroſio cœpimus expendere: dum enim Pater ille benigniſſimus in gratiam recepit filium illum opum prodigium paternarum, impudicitiæ omnis & luxuriæ turpiſſimum volutabrum: nedum decreuit vt vitulus occideretur ſaginatus, ſed inſuper ad menſam hic proferetur comedendus: *Occidite vitulum ſaginatum, &c. & epulemur*: quô nobis Dominus innuit, quòd quatenus nos ſibi reconciliaret, commiſſa in ſe remitteret peccata, ad ſuam admitteret gratiam, nedum decreuerit, vt Chriſti mors interueniat, per quam nos reconciliat: *Reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius*: Sed etiam illum in Venerabili Sacramento comedamus: quatenus præter ineffabilia beneficia, quæ recipimus: & diuinos effectus quos in nobis operatur, hinc magnitudinem intelligamus beneficij, quod nobis omnibus contulit, & ſingulis per mortem ſuam & paſſionem. Inſtituit Chriſtus hoc ſanctiſſimum Sacramentum in memoriam ineffabilis beneficij, quô nos per ipſum affecit: nam ex illo cognoſces, quàm ardenter voluerit vt illius perpetuam gereremus memoriam: quandoquidem tam mirabile, & cætera eius ſuperans opera, fuerit hoc Sacramentum quod nobis reliquit, in immortalem paſſionis ſuæ, mortiſque recordationem: quod ipſum Dominus aſſeruit: *Hæc quotieſcumque feceritis in mei memoriam facietis.* Ex quo D. Paulus concluſit hanc propoſitionem & exhortationem. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Verbis paucis complexus eſt hoc D. Thom. *O ſacrum Conuiuium in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria Paſſionis eius.*

L. 2. de pœnit. cap. 3.

Rom. 5. 10.

Luc. 22. 19.

1. Cor. 11. 24.

In hoc admirabili Sacramento, quamuis, canente Dauid, omnia Dei comprehendantur mirabilia, tamen vnum ſtupendum ſingulare: quod eo modo hoc ordinauerit in beneficium omnibus in communi, vt etiam hoc ſic in particulari condiderit vnicuique, ac ſi pro illo ſolo fuiſſet inſtitutum. *Sic totum omnibus, quod totum ſingulis.* At præfatus S. Doct. prærogatiuâ quadam gratiæ ad eius explicationem illuſtratus. Sic ſe res habet; etenim ſi tantùm ac præcisè hoc tui

Pſ. 110. 4.

I. Singularis quædam conditio venerabilis Sacramenti.

gratia inſtituiſſet, non maiore te diligeret affectu, nec maius tibi bonum optaret, nec magis te præſentem oculis ſuis haberet, nec quidquam amplius tibi concederet; ſed nec aliquid amplius tibi ſupereſt erogandum. Idem ſit intellectus de Paſſione Domini: nec hoc ignores, hoc vnum inter cætera præfulſiſſe prodigium, ita Deo proprium, vt eius ſolius omnipotentiâ, infinitâ ſapientia, ac immenſa bonitate fieri potuerit quod tali modo tota prodeſſet omnibus, vt tota prodeſſet ſingulis in particulari. *Sic totum omnibus quod totum ſingulis.*

II. Eadem Chriſti paſſioni applicatur.

Idcircò præter alias rationes vocatur ab Eccleſia Paſſio Chriſti, beata, quando myſterium hoc in miſſa celebrantes, dicimus: *Vnde & memores Domine, nos ſerui tui tam beatæ paſſionis:* & in aliis cuiuſdam miſſæ orationibus, oramus: *Filij tui beata paſſione nos reparas.* Beata? maledicta potius videtur dicenda: quandoquidem per illam factum eſt illud, quod ait Apoſtolus: *Chriſtus factus eſt pro nobis maledictum:* & probat hoc: *Quia ſcriptum eſt. Maledictus omnis qui pendet in ligno.*

Gal. 3. 13. Deut. 21. 21.

Crux autem nihil aliud erat, quàm ſentina quædam & cloaca miſeriarum. Porrò certiſſimè conuenit illi nomen: *Beata.* Primò: ſi cauſam eius inſpiciamus, dici poteſt glorioſa, pro vt in Dominica Paſſionis probauimus. Secundò: quia ex ea tota pēdet gloria & beatitudo Sanctorum, velut ex cauſa. D. Gregor. culpam Adæ vocat felicem: *Felix culpa*, idcircò tantum quòd occaſio fuerit, nos talem habuiſſe Redemptorem, qualem habuimus, nempè filium Dei. Quod ſi tantum ratione talis boni, licet in ſe mala eſſet, tale nomen illi quadret, beata: quantò magis nomen, beatæ, paſſioni conueniet Saluatoris: quæ non eſt occaſio, ſed cauſa vera totius gloriæ, æternæque beatitudinis? Tertiò: quia paſſio eſt quæ participat & includit virtutem Dei, eamque efficit eo modo ac forma quâ beatitudinem.

III. Eſt tota in omnibus & tota in ſingulis.

Hanc autem, inquit Apoſtolus, eo modo Deus operatur, vt ſit ipſa. *Omnia in omnibus:* quamuis enim beatis omnibus tribuatur beatitudo in communi, hoc tamen ita fit, vt (licet cum differentia iuxta merita ſingulorum) quadam ſingularitate ſit tota in ſingulis eorum in particulari, ac ſi ſolum in eo fieret: nec enim Deus illum amplioribus dotaret diuitiis, non maiori proſequeretur affectu, non diſtinctiùs is illum cognoſceret, non diligentiorē de eo Deus curām ſuſciperet, ſi ipſi ſoli, & non alicui alteri communicaretur. Hoc idem de Chriſti Paſſione ſentiendū. *Eſt omnia in omnibus.* Quidquid enim in ea paſſus eſt, totum tui gratiâ factum eſt, totúmque pro tuis impenſum eſt ſceleribus abluendis, ita in ſingulari, ac ſi ſolus tu in mundo fuiſſes, non eſſet magis pro te, nec offerretur, quantum eſt ex parte ipſius maiori affectu pro te, nec feruentiùs te diligeret, quàm cum pro cunctis offeretur. Hôc dictô ſciendum tibi eſt, quòd Chriſtus patiens non ſolum omnes homines turmatim & in communi aſpexit (a) eorumque peccata quaſi in cumulum redacta: ſed in particulari te, te, te vidit, me vidit, ſuoſque diuinos coniecit oculos in tua propria peccata, omnia & eorum ſingula intuens cum omnibus eorum circumſtantiis & qualitatibus ita in particulari, & diſtinctè, ac ſi ea ſola in mundo eſſent, & pro illis ſolis pati deberet. Nec non ad eorum remedium conſideratis ea quâ dixi ſingularitate, mortem acceptauit, applicauit, & obtulit æterno Patri. Atque de hoc Domino ac Redemptore noſtro iam patienti cum D. Aug. dicere poſſemus. *Cum cunctis præſideas, cunctorum curam agens, ſic greſſus meos, ſemitaſque conſideras, & ſuper cuſtodiam meam vigilas, veluti ſi totius creaturæ tuæ cœli & terræ oblitus, totum me ſolum conſiderares, & nihil ſit tibi cura de aliis, &c. Totus tu totum me ſemper conſideras, ac ſi nihil aliud conſiderare habeas. Sic ſuper cuſtodiam meam ſtas ſicut ſi omnium oblitus ſis, & mihi ſoli intendere velis.*

(a) Ita garba.

D. Aug. l. Soliloq. c. 14. Tob.

IV. Similitudo.

Non hoc tantopere myſterium admireris, licet admirabile. Eò vſque in moralibus ars aſcendit, vt pictor valeat depingere imaginem Chriſti crucifixi ita numeris omnibus, coloribus, & lineamentis abſolutam, talíque intuitu, vt omnes in communi conuita, videantur nihilominùs ſingulos ita in ſingulari conſpicere, vt iudices tu, & affirmes quòd te ſolum aſpiciat, & quocumq; te vertas, aut vadas hoc ſentias, quòd in te ſolum ſuos firmet oculos, nec vel momento quidem aliò diuertat, alteri verò idem videtur. Quantò magis hoc poterit operari, & in ſe complecti ipſe Chriſtus imago Dei viua, in quo non ſolus ipſe, cum ſuis omnibus perfectionibus infinitis repræſentatur, ſed etiā omnes creaturæ, imò & quotquot creari poſſibiles, perfectiùs quàm in ſe ſunt, repræſentantur. Imago hæc cœleſtis in mundiſſimo noſtræ humanitatis depicta linteo, illíque perſonaliter vnita, in cruce exaltata, atque clauis confixa, eo modo diuinæ miſericordiæ ſuæ oculos in omnes homines in communi defixit, vt eos in ſingulos eorum ita direxerit in particulari, ſingulos intuēs,

& om-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& omnia eorum peccata conſiderans in ſingulari, ita ſpecifice vt hic optimè quadret illud de
Pſal. 32. 14. pſalteno. *De preparato habitaculo ſuo reſpexit ſuper omnes, qui habitant terram, qui finxit ſigillatim corda eorũ; qui intelligit omnia opera eorum.* q.d. In omnibus Paſſionis ſuæ myſteriis potiſſimum autem exaltatus in cruce, eo modo cunctos homines intuetur & conſiderat, vt oculos ſuos dirigat & defigat in vnumquemque ſigillatim, atque in opera particularia ſingulorum in particulari.

Quinimò idcircò Deus illum oſtendens Zachariæ in figura lapidis affabre expoliti plenum
Zach. 3. 9. monſtrauit oculis. *Septẽ oculi ſuper lapidẽ vnum.* Numerus ſeptenarius, ex mente D. Greg. denotat vniuerſitatem: vnde idem eſt, ſeptem oculi, ac plurimi. Simili modo cum Deus oſtenderet D.
Apoc. 5. 6. Ioanni Euang. hunc agnum quaſi occiſum, eundem vidit ipſe cum multis oculis, quibus totam contemplabatur terram. Nulli melius multi conueniunt oculi quàm illi, qui multa debet in particulari attendere; & quidẽ attentiùs. Hinc cauſam intelliges cur Christus ante Paſſionem ſuã ſeceſſerit in hortum ad ſolitudinem oraturus. Eò diſceſſit conſideraturus, & attenturus, omnes homines in communi, & ſingulos eorum in particulari: vt te diſtinctiùs non ego videam, quando ſolus meo obiiceris obtutui, cumque in te ſolum dirigo, quàm ipſe in horto te vidit, tuaque omnia peccata, mortalia & venialia, & vnũquodque eorum ita ſingillatim, vt ipſe tu ea diſtinctiùs non cõſideres, cum ipſe tu ea commiſer is; quamuis per hoc digniſſimum hoc offerret ſuæ Paſſionis, ſanguinis, mortiſque ſacrificium in ara Crucis nedum in communi, ſed pro ſingulis in particulari ac nominatim, & pro ſceleribus eorum particularibus ita diuiſim ac diſtinctè, ac ſi pro ſingulis tantum eorum ſeipſum Deo hoſtiam conſecraret.

V. Chriſtus ad hortũ ſeceſſit vt ſuum ſacerent Memento.

Summus hic artifex vt prudentiſſimus egit ſacerdos: qui quò debitè ſuæ ſatisfaciat obligationi, priuſquam accedat ad altare ineffabile hoc Miſſæ ſacrificium oblaturus, imò priuſquam ſacris induatur veſtibus, ſe recolligit, & ad locum ſecedit ſeparatum & quietum, vt memoriam recolat non tantùm fidelium in generali, ſed etiam eorum ſigillatim, pro quibus nominatim diuinũ hoc vult offerre ſacrificium, & eorum neceſſitatum in particulari, nec non omnium votorum vniuſcuiuſque particulariter. Ita cœleſtis hic ſummuſque egit Pontifex, antequam ad aram crucis acceleret, in qua ſacrificium erat offerendum, imò priuſquam veſtimentis ad hoc induetur; amictu in domo Caiphæ, velo nimirum quo paſſus eſt ſibi oculos obuelari: Alba in palatio Herodis, qui veſte candida indutum illuſit & remiſit ad Pilatum: cingulo vinculorum, quibus eum columnæ alligârunt in prætorio Pilati: manipulo funium, quibus ſacras illi manus adſtrinxerunt: ſtolâ, reſtium, quibus illi colla circumdederunt: caſulâ purpuræ, quam illi iniecerunt, vt ducerent crucifigendum in ædibus Pilati: ad locum ſecedit ſolitarium & à turba ſemotum ad hortum Gethſemani: hic ſolus oraturus ſe ſubtrahit à diſcipulis: vt ſingularem ineat memoriam, & Memento quoddam anticipatum, oculos eiiciens in omnes illos, pro quibus hoc Miſſæ ſacrificium erat oblaturus, nedum in generali, ſed ita in particulari, vt ibidem occurrerint illi omnes homines, videritque ſingulos nominatim, & omnia ſingulorũ peccata in particulari pro quibus æterno Patri diuinam hanc hoſtiã Sacerdos immolabat. Et hoc multo præclariùs: cum enim Sacerdos noſter terrenus homo ſit infirmus, tenui præditus intellectu, ſuum anticipat Memento, quia poſtmodum illi tempus non ſufficere iudicat quò faciat illud ita particulariter, tantoque quanto deſideraret, affectu.

VI. Tũ ſecerum in particulari quam ſacerdos ſibus in-dantur.

Porrò Redemptor noſter non tantùm hoc Memento fecit, dum ſolitarius oráret in horto ante Paſſionem, ſed in tota illa, atque in ſingulis eius actibus omnes homines habuit pręſentes in communi, & ſingulos in particulari, ſic vt numquam obliuiſceretur, nec te momento temporis non conſideraret nominatim, tuaque ſingularia peccata, ſeipſum offerens in tui eorumque remedium. Hôc conceſsô, tu in particulari, & ego & quotquot in hoc mundo viuitis tantum debetis Saluatoris noſtri paſſioni, ac ſi pro vobis illam pertuliſſet, eiuſque ſanguini ita debitores eſtis, ac ſi pro vobis ſolis illum omnem effudiſſet: atque de omni hoc ſtrictam à vobis exiget rationem: quàm gratus illi fueris; quibus pietatis obſequiis illi reſponderis, quem fructum meliorem ſanctioremque retuleris ex tam caro remedio, tam diuite theſauro, tam efficaci cœleſtique medicina, tanto Dei impendiô procurata, eiuſque ſanguinis ac vitæ pretio, vt tibi poſſit prædicere quod Iudæis. *Veniet ſuper vos omnis ſanguis iuſtus:* Matt. 23. 35.
Quid plura? iam declarauit quòd eorũ omnium quæ tibi liberalis conceſſit, ſeueram ſit exacturus rationem. *Cui commendauerunt multũ, plus petent ab eo. Apud quem multum.* Tu videris qualem pro talibus beneficiis, muneribus, donisque ſis rationem prolaturus. Luc. 12. 48.

VII. Inſuper & in ſingulis paſſionis actibus.

§. 4. *Operetur in te Chriſti mors primò acerbiorem multò luctum, quàm filiæ Iephte & Ioſiæ: quandoquidem præterquam quòd moleſtior fuerit, tibi etiam tota ceſſerit ad ſalutem.*

Hinc elice primò luctum amarum & compaſſiuum dolorem, quô Chriſti debeas condolere Paſſioni, teipſum vt ſolam & vnicam conſiderans huius cauſam eſſe Paſſionis: cum omnem illam ita pro te nominatim pertulerit, ac ſi tantùm in tui vergeret ipſa redemptionem. Licet tu cauſa non fuiſſes, ſed nec eius occaſio, vt eam pro te pateretur; in te tamen luctuoſum excitare deberet dolorem, contemplari Dominum hunc adeo crudelia ſufferre tormenta, mortemque adeo ignominioſam manibus inimicorum, quibus natura non peperit immitiores. Eſt cor hominis carneum, eiuſque viſcera alieni torquent cruciatus tantò diriùs, quantò ſunt hi moleſtiores, & contra omnem iuris ordinem: & ipſe qui patitur dignitate præcellſior, amari dignior, virtute ſpectabilior, & vt hæc pati debeat minùs meritus.

Nemo facilè deſcribit luctum quo filiæ Iſrael mortem planxerunt Principis filiæ Iephte, de qua egimus aliâs. Dux hic inuictus & illuſtris copias ſuas militares contra Ammonitas producens in campum, Deo votum emiſit, quod ſi populum hunc Dei inimicum victor proſterneret ducenſque triumphum ex acie reuerteretur, illi in ſacrificium dedicaret quidquid ſibi primum ex domo procurreret obuiam. Votum hoc imprudens fuiſſe & indiſcretum arguitur: ſic illud accuſat D. Ambr. *Numquam adducar, vt credam, non incautè Principem promiſiſſe Iephte.* Votum ſecutus eſt effectus: etenim victor ex acie ab hoſte rediens primùm ſibi obuiantem offendit filiam ſuam vnigenitam, puellam vultus elegantiâ ſpectabilem, lætitiam Iſrael, populi gaudium vniuerſi. Præſcia hæc parentem ſuum victoriâ clarum, & triumphô remeare glorioſum, præ gaudio excitata, foras proſilit, puellis ſuis imperat, dominam ſuam ſequantur cum tympanis & choris præeuntem, Patremque priuia recipit de victoria congratulans. *Occurrit ei vnigenita filia ſua cum tympanis & choris: non enim habebat alios liberos.* Heu chariſſima filia, principium & finis doloris mei: tibi moriẽdum eſt: ſic enim Deo me voto obſtrinxi. Itaque pluribus (a) intermiſſis eam Domino conſecrauit holocauſtum. Mors hæc tantum populo luctum intulit, vt irremediabilibus eam deflerent lacrymis, præſertim puellæ virgines, quas tanta compaſſionis oppreſſit affectio, vt legem ſtatuerint, qua quotannis præfixis diebus conuenirent, huius dolendæ mortis memoriã lacrymis planctuque renouaturæ, cuius ſolummodo nominis nuncupatio fontes illis aperiebat lacrymarum. Heu! virginem tam illuſtri natam progenie, tam moribus religioſam, tantâ obedientiâ commendabilem, cum omnibus pacificam & gratam; quę præter bonum facere, nihil aliud nouerat, ſic ne paternis occumbat iugulata manibus, ſoluendi voti gratiâ? Heu! quis temperet à lacrymis? quid precor agerent, ſi manibus vidiſſent illam trucidari crudeliſſimis? quo tu non dolore mœrereſ, ſi virum cerneres illuſtriſſimum, omnibus prodigum, omnibus beneficum, manibus traditum inimicorum, qui membratim oſſa illi ſingula luxarent, & demum ſtipiti clauis affigerent triſtiſſimos præ dolore gemitus depromentem? qua non compaſſione illi condoleres: quod ſi autem tuæ amicus hic eſſet intimus? quod ſi frater tibi chariſſimus? quid ſi Pater amantiſſimus! An illum poſſes intueri, mœſta de pectore ſuſpiria proferentem, nec tibi anima corque tuum diſſringeretur? Numquid non eorum ſingula velut acutiſſimus pugio tibi viſcera transfoderent?

Conſideratu dignum eſt & memoratu quod contigit in morte Regis Ioſiæ. Erat hic morum probitate, religione, & benignitate inſignis, bonorum fautor intimus, virtutis amicus, religionis reparator, viduarum ſubſidium, pupillorum defenſor, totiuſque populi propugnator acerrimus. Accidit vt armis ſe defendere & opponere Regi Ægypti Nechao proponeret, qui copioſo inſtructus adueniebat exercitu: ſed in campo Mageddo à ſagittariis circumuallatus lethale vulnus ſagittâ transfoſſus accepit. *Ibi vulneratus eſt à ſagittariis.* Ex quo vulnere humanis valedixit: vt populus hanc immaturam Regis ſui vitâ dignisſimi mortem intellexit, tantus omnes mœror inuaſit, vt totus Iſrael ſeſe in lacrymas planctumque effunderet amariſſimum: vt autem luctus hic communior tantò fieret ſolemnior ſe phonaſcum ſtatuit Propheta Hieremias næniis aſſuetus: nam hac occaſione lugubre compoſuit (vt probat D. Hieronym.) epicedium, triſteſque illas ſuas lamentationes & Threnos, decretum inſuper eſt, vt epicedium illud perpetuò celebraretur quotannis diem præfigendo ad hoc determinatum, in quo ſicut anniuerſarium mortis

D. Amb. l. 3. Offic. cap. 12. Tom. 4.

Iud. 11. 34

(a) Deſpues de dados ÿ preſſos.

I. Iephte.

2. Paral. 35.

II. Ioſiæ mors defletur.

tis adeo lamentabilis celebrabant, Regis nulli ſanctitate & in populum magnificẽtia ſecundi, pariter lugubre illud epicedium cum lacrymis planctuque repeterentur. (2. Paral. 35. 25.) *Vniuerſus Iuda & Hieruſalem luxerunt eum: Hieremias maximè cuius omnes cantores atque cantatrices vſque in præſentem diem lamentationes ſuper Ioſiam replicant, & quaſi lex obtinuit in Iſrael: Ecce ſcriptum fertur in lamentationibus.* Nihil hoc te moueat, inquit S. Doctor; cum etenim in regno præceſſerunt (III. Tanti luctus ratio.) peruerſi illi Reges Manaſſes & Amon, immites, idololatræ, ſacrilegi, Prophetarum homicidæ, bonorum perſecutores, quorum ſceleribus non ferendis Deus irritatus, plagis maximis in populum deſæuiebat: quando verò ſibi datum lætantur Regem tali pietate conſpicuum, quali præfulgebat Ioſias: qui murus illis erat à dextera & ſiniſtra, tutiſſimumque propugnaculum, tam reſpectu Dei eximia ſua religione commendabilis, quàm contra inimicos animi ſui inuicta fortitudine terribilis: quantò cum hoc ſolamine gaudebant vberiori, tantò ex morte eius mœſtitia oppreſſi ſunt amariori. (D. Hier. in viro. Eccles. Tom. 5.) *Eo tempore poſt Reges peccatores, ſpes omnis Iſrael erat in Ioſia, & occiſo illo magnus planctus in vrbe commotus eſt.* Si his adiungeretur mortem illam accidiſſe alicuius cauſâ particularis, qui morti adiudicatus erat crudeliori; & vt à ſagittariis percuſſus occumberet inhumanis, quem, vt à morte Rex piiſſimus eriperet, ſe vt ſcopum ſignumque illis omnibus obiiceret; quo non deberet hic dolore transfigi, Regem cernens grauia hæc tolerantem, tot tantiſque circumcinctum hoſtibus iiſque truculentiſſimis, qui ſuſciperet in ſe cuncta illa crudeliſſima verbera, plagaſq; mortales, quibus ille foret afficiendus? Hic ô Chriſtiane tuus eſſe deberet dolor amariſſimus. Diuinum hunc tibi propono Regem Ioſiam ſcopum omnium ſagittariorum, in quem ſuas omnes illi collimant ſagittas, in brachia funes, in maxillas colaphos, in humeros flagella, ſpinas in caput, clauos in pedes & manus, fel & acetum in os, in aures blaſphemias, in cor lanceam. O triſte & lamentabile ſpectaculum!

☞ 3 Quando amici Iob, qui Reges erant intellectu quali fuiſſet oppreſſus infortunio, aduenerunt eum conſolaturi, quàm primùm oculos in eum iniecerant, primo obtutu eum nequaquam agnouerunt: erat quippè totus (inquit Olympiodor.) defiguratus & de plãta pedis vſque ad verticem non erat in eo ſanitas, deſpectus & nouiſſimus virorum, vir dolorum & ſciens infirmitatem: tantuſque erat dolor quo mœrebant vt in ſignum triſtitiæ nõ vulgaris cinerem capiti ſuo iniicerent, ſed quando propiùs accedentes, diſtinctiùs illum agnoſcebant, tantiſque repletum doloribus videbant, tanto fuerunt & ſtupore & mœrore percuſſi, vt quaſi attoniti, mentis impotes, & elingues toto ſeptiduo permanſerint. (IV. Iob ab amicis ſuis deflectus.) Effectus hic eſt doloris, quando grauis eſt (inquit Ariſtoteles) & vnumquodq; ſuſpirium quò Iob ingemiſcebat eorum viſcera lancinabat, & quaſi inſenſibiles & extaticos efficiebat. Audiamus S. Scripturam. *Cum eleuaſſent procul oculos ſuos non cognouerunt eum, & exclamantes plorauerunt, ſciſſiſque veſtibus ſparſerunt puluerem ſuper caput ſuum in cœlum, & ſederunt cum eo in terra ſeptem diebus & ſeptem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem eſſe vehementem.* (Iob 2. 12.) Se mutuo attoniti intuebantur, intenſiſsimos eius perpendentes cruciatus, illi compaſsione tenerrima condolentes.

Talem & te eſſe conueniret, dum diuinum hunc Iob intueris, Dominum tuum, Patrem tuum, fratrem tuum, tuum amicum contritum & afflictum à planta pedis vſque ad verticem, ex imò pectore ſuſpiria ducentem, lacrymas de oculis ducentem vberrimas (V. Talis eſſe deberet dolor noſter.) *Cum clamore valido & lacrymis.* (Hebr. 5. 7.) Porrò ſi huic addas, te horum omnium eſſe cauſam: quia tu ſagittis confodiendus eras damnatus, & æternis ignibus concremandus: tu illis omnibus iræ diuinæ ſagittis plagiſque vulnerandus: ipſe verò ſeipſum vt ſcopum illis omnibus recipiendis obiecit, vt tu immunis ab his & liber euaderes: nec non quod ſe tibi præſentet in perſona Iob gementem & dicentem: *Sagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum: & terrores Domini militant contra me.* (Iob 6. 4.) Iterum per Hieremiam conqueſtus. *Tetendit arcum ſuum, & poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam, miſit in renibus meis filias pharetræ ſuæ.* (Thre. 3. 12.) Præter hoc quod Pater æternus omnes pœnarum in eum afflictiones reiiceret quibus tu eras demergendus, atque idcircò de cruce moribundus ingemiſcat. *Omnes fluctus ſuos induxiſti ſuper me*: (Pſ. 87. 8.) Studioſè perpende te horum omnium cauſam eſſe, ipſumque pro peccatis tuis tantis torqueri cruciatibus: quod tu ille, qui tot culparum reus in has eum compuleris anguſtias: tu ille, qui rapinis furtiſque tuis eum captiuum duxiſti: tu ille, qui luxuriis tuis tam diris eum flagellis excepiſti: tu ille, qui vanis tuis ambitionibus caput illi ſpinis transfodiſti: tu ille qui tot recinuis in tetera peccata ad varia illum iudicum tribunalia traxiſti; tu in illum mortis dixiſti ſententiam:

tiæ nequitiæ eum vt crucifigeretur, condemnârunt: tu eum clauis detines in cruce confixum, quantum eſt ex parte tua. Quantus tuus oportet vt ſit dolor compaſſionis? Hoc ex D. Auguſt. addiſce. *Quid commiſiſti dulciſſime Ieſu, vt ſic iudicareris? quod ſcelus tuum? quæ noxa tua? quæ cauſa mortis? Ego ſũ tui cauſa doloris, ego tua culpa occiſionis, ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium, ego tuæ paſſionis liuor, tui cruciatus labor.*

D. Aug. L. Medita. cap. 7. Tom. 9.

Hæc ô Chriſtiane alta mente perpende, & conſilio D. Pauli acquieſce: *Hoc ſentite in vobis quod & in Chriſto Ieſu.* Hoc ſenti in te quod cernis Chriſtum ſentientem & pro vobis patientem: pœnas illas transferte in te: Quaſi tu ipſe eas patereris: & per hoc aliquatenus intelliges ſcelerum tuorum, quæ eorum ſunt cauſa, grauitatem. Non enim ſentis: quia eorum non te grauat iuſta punitio: quàm parum tibi moleſtum eſt flagellum quantumuis acerbum, dorſo inflictum alieno? Vtinam in te dolores irruerēt quos Chriſtus pertulit: diadema illud ſpineum quo nullum horribilius caput tuum terebraret: diriſſimi illi claui manus tuas pedeſque penetrarent! Animo reuolue cruciatus quos nonnulli SS. ſenſerunt, quibus Dominus ſingulari dono miſericordiæ & gratiæ conceſſit vt illos in corporibus ſuis ſentirent & paterentur; quemadmodum conceſſum fuiſſe nouimus D. Franciſco, & D. Catharinæ Senenſi. Quod ſi crudeliſſima illa flagra carnes tuas raderent, quibus Chriſti caro contuſa laniabatur? O ſi poſt longos toleratos cruciatus refrigerium quo te ſolarentur, aliud nõ eſſet quam probroſæ affigi cruci, & ſiti deficienti, pro delicijs potus tibi aceti felliſque propinaretur. Illos in te transfer cruciatus, eius te loco ſubſtitue qui patitur, & hoc ſuppone, quòd quamuis omnes te realiter verèque obruerent, non tamen milleſimam eorum partem ſentires, quos Saluator perpeſſus eſt ob teneritudinem ſanctiſſimi ſui corporis, quod operante Spiritu Sancto formatum erat & organizatum: nec non ex viuacitate ſenſuum exteriorum & interiorum: atque ob intellectus ſui eiuſque perſonæ celſitudinem, quas ſibi illatas ſentiebat afflictiones & ignominias. Deinde minima eiuſdem pœna grauiùs illum torquebat infinities, quàm te poſſent omnes vel acerbiſſimæ. Qualis tua debet eſſe compaſſio? quantus dolor? O quàm ad normam in os tuum
10 ciderent verba illa, quæ Dauid protulit Angelum Dei cernens euaginato cruentoque gladio populum ſuum peſte percutientem, cum ſe totius culpæ reum agnoſceret. *Ego ſum qui peccaui, &c. Vertatur obſecro manus tua contra me.* O Pater æterne ego reus ille, ego peccator qui offendi, meum eſt omne flagitium, in me vertatur, obſecro illa pœna, illud ſupplicium: ego ille cogitationibus meis ſuperbus: in meum redundent illæ ſpinæ caput: ego ille auri cupidus & auarus: cui parum eſt quod meas non impertiar pauperi promus facultates, inſuper & illi proprias fur abſtuli, terebrent illi claui manus meas rapaciſſimas: Ego ille ganeo, luxuriæ proluuies, & carnis meæ voluptatum ſectator immundiſſimus, illum imperant & dilacerent illa diriſſima verbera: ego ille, qui vias ambulaui diſtortas, inhoneſtis meis frœna laxans appetitibus, vaniſque deſiderijs: illi pedes meos claui perfodiant.

Philipp. 2. 5.

VI. Hoc in nobis ſentiendum quod erat in Chriſto.

2. Reg. 24. 17.

Abſorptus hærebat & velut extaticus D. Aug. coram crucifixo genuflexus, manabant vt fontes oculi eius lacrymis, ſuſpiria pectus edebat acerbiora, & in triſtes effuſus planctus lamentabatur, quem ſi interrogaueris: Pater ſanctiſſime, quid te ſic rapit in admirationem? quid tollit extaticum? quid cor tuum affligit? quis oculos in fontes liquefecit lacrymarum? Tantam ſtupeo, reſpondet immutationem; vt ſupremus patiatur Dominus. Patris gloria, cœli gaudium, fons puritatis, abyſſus ſanctitatis id quod ego meritus ſum rebelle mancipium. Grauiora erũt eius verba. *O mirabilis cenſuræ conditio! ô ineffabilis myſterij diſpenſatio! Peccat iniquus, & punitur iuſtus: delinquit reus, & vapulat innocens: offendit impius, & damnatur pius: quod meretur malus, patitur bonus: quod perpetrat ſeruus exſoluit Dominus: quod committit homo, ſuſtinet Deus.* Hinc cœpit Chriſto colloqui, & ardentiſſimas effundens lacrymas, ancellaque emittens de corde ſuſpiria, ait illi, quod illi re dicere conueniret. *Quo nate Dei tua deſcendit humilitas? quo tua flagrans charitas? Quo proceſſit pietas? Quo feruens benignitas? Quo peruenit compaſſio? Ego iniquè geſſi, tu pœnâ mulctaris: ego facinus admiſi tu vltione plecteris: ego crimen edidi, tu tortura ſubijceris: ego ſuperbiui, tu humiliaris: ego tumui, tu attenuaris: ego inobediens extiti tu obediens ſcelus inobedientiæ luis: ego gula parui, tu media efficeris: me ad illicitam rapuit concupiſcentiam ardor, te perfecta charitas duxit ad crucem: ego præſumpſi vetitum, tu ſubiiſti equuleum: ego delector cibo, tu laboras patibulo: ego fruor delicijs, tu laniaris clauis: ego pomi dulcedinem, tu fellis guſtas amaritudinem, &c.*

VII. D. Auguſtini ſe ... erga ... paſſione Chriſti.

D. Aug. In Ma... ca. 7. Tom. 9.

Eia igitur Chriſtiane, dolores illos pœnaſque

VIII. in te ſenti, & cum pro ſceleribus tuis culpiſque Chriſtus perferantur, illas in te transfer, vt per hoc pro in die iu- eis ſatisfacias, & aliquo modo perſoluas. Caue dicij pœ- tibi quod ſi modo non feceris in hoc die miſe- nas ſuas ricordiæ & benignitatis, hoc ipſum Dominus trans- hic faciet in die iuſtitiæ ſuæ: tunc etenim hæc feret in omnia tibi pondus imponet, & ſicut illa in ſe peccato- ſuſcipiens te illis exonerauit, ita tunc illa tibi res. pondus imponens ſeipſum exonerabit. Hoc Vates illus Ezechiel quibuſdam obduratis prædixit peccatoribus, illos perterrens hoc ipſo quod Ezec.7.3. eis in die extremæ diſtrictionis eſt acturus. *Prope eſt dies occiſionis, nunc de propinquo effundam indignationem meam in te, & iudicabo te iuxta vias tuas, & imponam tibi omnia ſcelera tua, & non parcet oculus meus, nec miſerebor, ſed imponam tibi vias tuas, & abominationes tuæ in medio tui erunt.* Hæc omnia verba prægrandes includunt timendi rationes: attamen hæc tantum perpende: *imponam tibi omnia ſcelera tua*, quæ Vatablus legit. *Dabo ſuper te omnes abominationes tuas*, q.d. Nunc Pater meus æternus omnes tuas mihi ſcelerum impoſuit abominationes: cum omnino ſis omnium reus, patior ego, vt tu liber euadas & innoxius: tunc autem illas in te conijciam, tibi imponam, quaſi ad proprium illas & natiuum conuertens locum: & quandoquidem pœnas meas à me in te minimè transtuleris quas ego in tuorum ſolum peccatorum ſatisfactionem, vt his te exoneres, ego tunc illas in te transferam, & tam iuſtè digneq; tibi imponentur, vt eas in æternum ſis ipſe toleraturus.

§. 5. *Perpende ſecundò ex hac Chriſti morte malitiæ peccati grauitatem: eſt etenim balena, cuius nunc laruа detegitur.*

11 Diſce ſecundò: quanta ſit peccati grauitas, & quantoperè habendum ſit execrationi. Cum ipſe Dominus probè nouerit nedum nos hærere in millena talia committendo, ſed inſuper hæc tanta patremus facilitate, imò tanta delectatione, quanta ſitiens calicem ebibit Iob 15.16. aquæ frigidiſſimæ. *Bibunt quaſi aquam iniquitatem*: Nihil ita cordi habuit, quam mala omnia nobis aperire quæ peccatum in ſe comprehendit, & nobis peccando lucramur, variis ſignis, ſimilitudinibus, ſymbolis, ac nominibus. Gladium appellat exacutum & limatum, qui corpus animamque transfodiat: Leo dicitur vorax qui cuncta dilaniet bona, & oſſa comminuit virtutum: perditio nomen illi eſt, eo quòd gratiam donaque conſumat cœleſtia: veneno comparatur mortifero: quod cor lethaliter inficiat; radix eſt dolorum ac pœnarum: illas etenim cauſat perpetuas, ignem ſtruit deuorantem; nomen habet quod mors eſt, quia mortis cauſa eſt ſempiterna: aliaque ſimilia multa ſortitur nomina, quæ D. Chryſoſtomus expendit, quibus oſtendit quantum in ſe malum ſit, quamque nobis ſint eius effectus horribiles. Porrò nihil illud euidentius exponit, quàm amariſſima Paſſio Saluatoris Filij Dei.

Loquitur Deus Iob illique difficilia, quædam & obſcura ſoluenda proponit argumenta, eorum quæ ſibi ſoli reſeruarat facienda factus homo, & in mundo manifeſtus: inter quæ hoc vnum erat, quod fecit, locutus de illo ſub figura & ſymbolo balenæ ſeu ceti: *Quis reuelabit faciem indumenti eius?* Quis tanta pollebit Iob 41.4. fortitudine, vt tollat laruam faciei monſtro huic 1. terribili, ac ferocienti? Cetus animal eſt cor- Natura poris vaſtitate horrendum, imò ipſa ſuâ figurâ Ceti de- terribilius: tanta etenim mole magnum eſt in ſcribitur. quibuſdam maribus: vt teſte D. Baſilio mon- Hom. 7. tes adæquet excelſiores: D. autem Ambroſius hexam. ait. *Quando ſupernatat fluctibus innatare inſu-* poſt med. *las putes, montes altiſſimos ſummis ad cœlum* D. Ambr. *verticibus eminere.* Hoc autem non ille mira- l. 5. Hexa. bitur qui legerit, quod huic conformiter di- c. 11. To. 1. xerunt Plin. Solin. & noſter Cardinal. Caietan. & patet in hiſtoria Sancti Maclouij Epiſcopi: de quo hoc narrat Sigebertus: In mari nauigabat hic, & illuſcente Feſto Paſchatis ſumnoperè deſiderabat Miſſæ celebrare ſacrificium: & ecce inexſpectatò Deo ſic diſponente inſulam quandam, vt ſibi perſuadebant, nautæ detegunt inſtar altiſſimi montis. Rogauit vir Sanctus naucleros, vt ad illam propius accederent, in quam eiecti, & erecto altari Miſſæ ſacrificium Epiſcopus obtulit: cumque iam nauem repeterent, & aliquantulum receſſiſſent in altum, aduertunt inſulam moueri, & tandem agnoſcunt cetum fuiſſe, qui motu ſuo totum illum pelagi tractum commouit. Conuenit autē illi quod Deus de illo dixit, tam magnum eſſe & potentem, vt motu ſuo mare perturbet, & tempeſtatem ſuſcitet non exiguam. *Feruеſcere faciet quaſi ollam profundum mare, &* Iob 41.22 *ponet quaſi cum vnguenta bulliunt.* Porrò quãuis hoc monſtrum ſit adeo ferox, particularē tamen in vultu præfert ferocitatem: quia præterquam quod in figuris ac partibus eius ſit horribilis, ignem videtur ex illis omnibus exhalare:

Q 3 Oculos

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Oculos habet magnitudine rotis curruum, æquales corpori proportionatos, inquit D. Tho. Quibus voraciſſimas videtur flammas euomere.

L. 21. c. 5. Sic Scribit Olaus Magnus Epiſcop. qui datâ operâ tractat de cetis Noruegiæ. Oculi noctu coruſcant ingentium flammarum modo, & procul viſi ignes magni putantur. Os illi adeo vaſtum, eodem auctore, vt anno 1532. vnus caperetur, qui apertus à labro ſuperiori vſque ad inferius lineâ rectâ pedes complecteretur viginti vnum: qua de cauſa, dixit per hyperbolem Tertullia: quòd integras deuoret naues. Et refert Plin. de alio, cui centum & viginti dentes numerabantur, quorum ſinguli tres pſalmos habebant, & minores menſuram medij pedis æquarent. Præter hoc per nares & os ignem eum ſpirare quis dixerit, vnde patet quod interius ſic velut fornax ardentiſſima (ſic ait Ariſtoteles) ex abundantia ſanguinis, quo valet, calidiſſimi.

*Apud Pined. in Iob. 41. verſ. 9.*

*Iob. 41. 16.*

Hoc ipſe Deus innuit de eo ſic locutus. *Sternutatio eius vt ſplendor ignis & oculi eius vt palpebræ diluculi*: Horrendus adeo vultus hic eſt, vt eum ſolummodo ſuper aquas extollens, & vel parum oſtendens audaciſſimi & conſtantiſſimi nautæ perterreantur ſic vt aliquando timore dirumpantur & intereant. Hoc verba illa indicant. *Cum ſublatus fuerit* (legunt alij cum extulerit caput) *timebunt Angeli* (vocat Angelos viros robuſtiſſimos) *& territi purgabuntur.*

Lib. 5. cit. Hoc illi maximè quadrat quod narrat D. Ambroſ. de timore quo eorum à iſa concutiuntur piſcatores mare Atlanticum enauigantes.

II. Quanam arte piſces alios decipiat deuorandos.

Cum igitur terribilis adeo ſit monſtri huius vultus; mille leucis ab illo piſces diffugerent, ſi apertè illum viderent, & ipſe fame deficiens interiret: quocirca laruam ſeu indumentum illi quoddam inijcit, ſeu velamen vt ait D. Thomas. Quod ipſe vocat fimbrias largas & amplas, quæ ſunt vt palpebræ naſcentes ſuper eius oculos (quas barbas dicimus cetorum) quarum dicit ſuper ſingulos oculos habere ducentas quinquaginta, ac proinde in vtriſque ſimul quingentas & ſic docet illius præceptor D. Albertus Magnus. Illas igitur fimbrias ſuper vultum ſuum demittit, vt nec oculi, nec os nec dentes, nec nares videantur, vt potius tugurium quoddam recreationum in mari videatur, in quo piſces delectabiliter conquieſcant. Huc adnatant ſimplices & fatui caudâ ludentes & multa voluptate lepidi eò accurrunt, os illius intrant, & deuorantur. Quis, interrogat Deus, tantâ viget potentiâ, vt vultus huius reuelet indumentum, vt pateat omnibus, & ab eo territi diffugiant? Quis laruam hanc tollet niſi ego, dum carnem humanam aſſumpſero?

*D. Thom. in cap. 41. Iob lect. 2.*

*L. 5. de Balenis.*

Liquidò conſtat, inquit D. Thom. & prior illo D. Gregor. & nos aliàs probauimus: non fuiſſe Dei mentem loqui de ceto corporali falſum hoc pelagus emetiente: nam præterquam quòd hoc parui ſit momenti, non multa continet myſteria, nec præordinandus erat aduentus filij Dei in mundum in rem tam exiguæ vtilitatis. Ad litteram loquitur de diabolo & peccato. Proh quàm monſtrum hoc horrendum! Deſcribit hoc ex induſtria D. Chryſoſtom. vt ſuperiùs diximus: & quælibet ferocitas, quam humanus fingere poteſt intellectus, exigua eſt, reſpectu peccati. Totum horribile eſt, totum ignis conſumens, & ad æternum præparans incendium. Si clarè pateret, ſufficeret hoc vt mille quis ab eo leucis effugeret: sed plurimis coopertum accurrit laruis, quibus ſe transfigurat; quod ſi cetus habeat quingentas palpebras, hoc habet earum quinque millia. Te conuenit peccatum ſub larua voluptatis, alterum deliciarum, alium lucri, hunc honoris, illum ſui nominis æſtimationis. Quotquot tibi rationes ad peccatum obijciuntur, inuolucra ſunt, quibus vultum ſuum abſcondit horribilem. Vtinam hoc obuolucrum attolleres, quo vultus illius terrificus occulitur, os vorax, oculi flammas euomentes, dentes omnia comminuentes. Coopertus erat Caino vultus peruerſi illius fratricidij, ea voluptate, quâ de medio fratrem ſuum tulerat, cuius ipſe conſpectum inuidus non ferebat: vnde nedum fratricidam non terrebat, ſed potius delectabat. Accedit Deus, & præmiſſis quibuſdam rationibus ſubito monſtri illius perſonam detegit. *Quid feciſti? Ecce vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* Per hoc vultum illi manifeſtat, tantoque reum ſanguinis ſtupore percellit, vt illi cordis alæ præ anguſtia concidant: ita vt licet tanta videretur illi Dei bonitas & miſericordia, grauiorem tamen indicaret eſſe malitiam, quam monſtrum hoc in ſe continebat, nec ad illius reparationem eius ſufficere omnipotentiam, omnemque contra eum mundum inſurrecturum. *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Falſum fuit hoc iudicium & blaſphemum: etenim vt ait D. Auguſtin. quantumlibet graue ſit hominis crimen, longè tamen maior eſt Dei miſericordia, ea prærogatiua, quâ quæ Dei ſunt

*12. Tract. 1. num. 1 & seqq.*

*Ho. 9. in ad Corint. circa fin. Vide ſupra Ho. 13. num. 11.*

III. Per hoc intelligitur diabolus.

*Gen. 4. 10.*

*L. Manual. 1.*

ſunt bona, præcellunt iis quæ hominis ſunt mala! hæc namque quantumuis magna ſint finita ſunt, illa verò infinita: porro bene hoc manifeſtaui quàm horrenda ſit illius monſtri facies. Inſuper & hæc ratio ſuberit furentis deſperationis reproborum in die iudicij: ipſe etenim Deus hoc detrahet monſtro obuolucrum, vt diſtinctè faciem eius intueantur: ibi conſpicies quid ſit peccatum mortale, quod perpetuò auribus noſtris in SS. litteris ſuis inſtillat. *Diſcooperiam ignominiam tuam, reuelabo pudenda tua.*

Rom. 2. 5. Ea de cauſa dies iudicij vocatur à D. Paulo: *Dies reuelationis iuſti iudicij.* Nec enim tantùm ſignificat, quòd mundo Deus tua reuelabit peccata, vt omnibus illa fiant manifeſta: quia etiam hic ſæpius reuelantur, & ſciuntur omnia, nec tamen inde verecundaris: ſed tibi manifeſtabit quid ſit peccatum, facietque vt illud facie ad faciem claréque cognoſcas. Tantuſque ſtupor malos inuadet: vt dicturi ſint montibus, & ſupplices rogaturi. *Tunc incipient dicere montibus: Cadite ſuper nos.* Cognoſcent tantam eſſe peccati grauitatem: vt iuſtè nimis illos arripiat ignis ſempiterni flammarumque ſupplicium, quò in ſummam rabidi corruent deſperationem: quia tunc diſtinctè cognoſcent, nullam ſibi à Deo præſtandam miſericordiam, quodque illa ſeclu- la & negare cunctæ non poſſint creaturæ damnum illud reſarcire: cum in æternum luant: & hoc illos grauiori torquebit cruciatu, quòd Deus eorum oculis ſpectandam obiiciet huius monſtri fœditatem, inuolucrum laruamque auferendo, ſub qua illud in hac vita conſpexerunt; ſic vt ſemper hoc habeant oculis ſuis clarè reuelatum. Hoc Angelus Danieli dixit. *Reſurgent in opprobrium ſempiternum, vt videant ſemper:* Et quod Deus peccati minatus eſt impudenti: *Arguam te & ſtatuam te contra faciem tuam.* Tuam conuincam malitiam, te plectam oculis tuis clarè proponens peccatricis conſcientiæ tuæ faciem, ſcelerumque tuorum enormitatem.

Luc. 23. 30.

V. Damnati ex cognitione peccati deſperabunt.

Dan. 12. 2.

Pſal. 49. 21.

Pſal. 18. Quantalibet Dauid virtute præfulgeret, Deique ſemper præ oculis haberet miſericordiam: *Miſericordia tua ante oculos meos eſt,* cumque ſibi factam cauçret immenſam miſericordiæ abyſſum. *Deus meus · miſericordia mea:* Cum perſpecta illi eſſet eius magnitudo, eaque infinita; reus factus illius ſolius peccati (vt ait Spiritus Sanctus) ſcilicet homicidij Vriæ & adulterij cum Bethſabee, quod illi occurrit laruâ contectum carnalis cuiuſdam voluptatis, quando Deus illum conuicit per Prophetam Nathan, & oculis animæ illius lucem ſuam infundens diuinam, ſuſtulit huius monſtri laruam, dicendo. *Tu es ille vir, &c.* Tanto ſtetit horrore & pauore ſtupefactus vt prope prodigium fuerit non corruiſſe mortuum: dicit etenim ipſe, quod licet audierat dimiſſa ſibi à Deo peccata, & cum ita eſſet, quod iam eraſa eſſent & deleta, tamen poſtmodum oculos in imaginem eius conſiciens, quæ memoriæ illius tenaciter inhæſerat, toto corpore contremiſceret, attonitus hæreret, & carne contabeſceret, nec non illi oſſa colliderentur. *Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.*

VI. Dauid ex cognitione peccati hæret ſtupefactus.

Pſ. 37. 4.

Pateat hic tibi quod ante retulimus à Domino Iob fuiſſe dictum de hoc feroci monſtro ſub figura ceti; quod caput attollens & manifeſtans faciem ſuam, timore concutiat ipſos Angelos, vt aliquando præ nimio timore collidantur. *Cum ſublatus fuerit (aut cum extulerit caput) timebunt Angeli, & territi purgabuntur.* Quoties de quibusdam audiuimus pœnitentibus: Quod cum mille librum ſceleribus ingreſſum in animam ſuam aperuiſſent; quia laruâ tegebantur abſcondita, tollente Deo laruam, & faciem eis ipſorum oſtendente: ſubitò ad antra & deſerta contriti transfugerunt? Exemplo ſunt D. Maria Ægyptiaca, D. Pelagia pœnitens & alij plurimi, de quibus ſtupenda refert D. Ioan. Climacus. Alij ciſternis & ſepulchris ſe captiuos abdiderunt, vt D. Iacobus Anachorita, quem fuiſſe arbitror eum cuius gratia D. Chryſoſt. edidit libros illos omnium ſuffragio laudatos *de Reparatione lapſi.* Quinimo nonnullis cor præ dolore medium ſcindebatur, vt vitam amitterent: vt legitur in vita Apoſtoli noſtri D. Vincentij Ferrarienſis. Tu videris, qui tanta flagrans voluptate tuis vacaſti nequitiis, quando tempus imminet conſitendi, quo tibi Deus lucem infundit, quâ monſtrum apertè conſpicias, quis tibi tunc animus? quo dolore affligeris? & quid eſt quod communiter in peccatoribus hora inſtante extrema notamus; quàm acerbas anguſtias? quàm anxiam miramur ſollicitudinem? Quantam tanta animi ſuſpenſione mali ſuſpicionem? *Quis reuelabit faciem* (quærit Deus) *indumenti eius?* Non eſt qui debitè iuſtèque faciat. Hoc igitur ego faciam natus in mundo, & pro peccato moriens, crucemque præferens.

Iob. 41. 16.

VII. Inde tanta quorundam pœnitentia.

*§. 6. Mors hæc aperit debiti grauitatem, infirmitatem ponduſque peccati, ſicut templum Ezechielis. Illam eo modo, quo ſponſa, applica.*

13

I. Variis ſimilitudinibus exprimitur peccati grauitas.

O Quàm patenter hic oſtenditur quantum malum ſit, quàm imminenſum illius malitiæ pondus, quàm infinitè magnum debitum quod per illud contrahitur. Clarè admodum declararet medicus mali cuiuſdam grauis peruerſitatem, ſi diceret nullam huic curando medelam eſſe quibuſlibet adhibitis herbis aut emplaſtris quauis arte compoſitis, ſed requiri vt veniat quis de ſanguine regio, qui totum ſuum effunderet ſanguinem, vt ex eo fomentum conficeretur. Verum adhuc amplius, ſi diceret nullum huic ſufficere terrenum ſanguinem, ſed morbi grauitatem hoc expoſcere, vt omnes cœleſtes Spiritus deſcenderent à minimo Angelo, vſque ad ſupremum Seraphim, ſicque ſe componerent, vt omnes iugulari poſſent, & eorum ſumi ſanguis in medicamentum: quod tu de tali feres ægritudine iudicium? Graphicè debiti cuiuſdam debitum explicaret, qui hoc tantum eſſe aſſereret, vt ſolus Dominus noſter Rex illud poſſet ſoluere, huic totam impendens ſummam & omnes redditus Regios Hiſpaniæ, Italiæ, & Indiarum Orientalium & Occidentalium: porro clariùs exprimeretur ſi quis affirmaret, nullum eſſe in terra pretium, quò iuſta poſſit fieri ſatisfactio, niſi deſcendens de cœlo D. Michael Archangelus, ſtellas ac planetas cum ſplendore ſuo, virtutibus, & influentiis deferret in ſolutionem. Liquidò demonſtraret aliquis veneni ſerpentis cuiuſdam efficaciam, ſi teſtaretur eſſe tantam, vt ſi vel modicum illius in hortum decideret, omnes ilico exarefaceret & adureret arbores etiam fertiliſſimas: ſed multò liquidiùs, ſi radium ſolis inficiens, ipſum repente ſolem obfuſcaret eo modo, vt in nigerrimum carbonem ilico mutaretur. Optimè lapilli pondus exprimeretur, ſi hoc tantum eſſe conſtaret, vt ſuperpoſitus montibus Pyrenæis eos in abyſſum demergeret: verumtamen multò meliùs, ſi Gabriel Angelus illum aſſumens, qui interpretatus dicitur fortitudo Dei, ab eius grauitate preſſus in terram vſque deprimeretur, atque in ea ſic eum iacentem comprimeret, vt ſe nec mouere poſſet, nec à ſe pondus, quò poſſet ſurgere, dimouere.

Has omnes expende ſimilitudines, atque ex illis gradum tibi ſtatue quò capias infinitatem mortiferi peccati grauitatem: quæ tanta eſt, vt ad vnius tantum tui grauitatem, non ſufficiens ſit medicina ſanguis quorumlibet Regum, Principum & terræ Monarcharum, nec Angelorum omnium, ſi ſanguinem haberent, darentque omnes vitam ſuam, ſed de neceſſitate requiretur, vt ipſe Deus eam aſſumat naturam, quæ ſanguinem habet, omniſque ille, imo & Dei vita profundatur. Debiti appende grauitatem: cum ad eius ſolutionem, nullum pretium non fuerit ſufficiens, quantum auri, argenti, & opum habuerunt & habere potuerunt omnes terræ Reges: ſed nec ipſæ cœli ſtellæ, ſi Michael illas in pretium adduceret, ſed neceſſariæ fuerint omnes diuitiæ bonitatis, miſericordiæ, ſapientiæ & omnipotentiæ ipſius Dei, quas in paſſione ſua liberalis effudit. *Abundantes diuitias gratiæ ſuæ.* Scribit D. Paulus. Vires conſidera veneni illius mortiferi peccati: quandoquidem non ſolum potuerit exurere innumeras Libani cedros, ipſos interpretor Angelos, ſed eum etiam inuadens qui radius eſt lucis æternæ: *Splendor gloriæ*, non perfectè: quandoquidem illum non tetigit, nec potuerit quantum ad culpam, quâ numquam infectus fuit, ſed quantum ad effectum, ſcilicet pœnam, quam ſibi dignatus eſt imponere: Sol hic Eclipſim paſſus eſt, & in cruce tam ſpiſſis obductus nubibus, tam omni luce vacuus, & honore diſformis, vt ipſa videretur eſſe maledictio. *Factus pro nobis maledictum*

Epheſ. 2.

Hebr. 1.

Gal. 3.

II. Error ... nitatis ... in terram deiecit.

Peccati cognoſce grauitatem: non enim valuit vnicum tantum ſuperbiæ, montes illos Angelorum præcipitare celſiſſimos, ex altiſſimo cœli vertice, & ipſum Luciferum cum naturâ ſuâ creaturarum omnium eſſet nobiliſſimus, eminentiſſimus & potentiſſimus, quo Dei manibus non fuit alter formatus excellentior; deorſum ſit proſtratum detinere, vt non poſſit nec quidem minimam vim exerere, quâ de lapſu ſurgat, tantumque à ſe pondus eiiciat. *Cadet & non adiiciet vt reſurgat.* Porro ipſis Dei humeris impoſitum, illum in terram detraxit & in ſepulchrum: nec minores neceſſariæ fuerunt vires quibus aſſurgeret quàm omnes Dei ipſius omnipotentiæ. *Quem Deus ſuſcitauit.* Teſtatur D. Petr. Ecce quàm immenſum pondus. Hoc ipſum eſt quod Dei filium in terram deiecit, quando baiulans ſibi crucem cum illa in terram concidit, Quid hoc Domine? An ergo vires tibi ſunt adeo debiles, humeri confracti, vt lignum

Iſai. 24. 20.

Act. 2. 24.

ſerre

ferre non poſſis viri communis vulgare pondus? Ceſſet admiratio reſpondet D. Petr. erat etenim hoc lignum depoſitarium quoddam, in quo repoſita erant omnia mundi peccata, & ipſum ſibi aſſumens ferendum, omnia ſibi pariter impoſuit. *Peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* (1. Pet. 2. 24.) Hic quam addiſces quantum ſit criminum pondus, vt ad eorum grauitatem ille corruat viribuſque deficiat, qui Patris eſt fortitudo, tamque immenſa pollet, vt tribus appendat digitis immenſum totius pondus vniuerſi. *Quis appendit* (ait Iſaias) *tribus digitis molem terræ.* (Iſaia 40.) Qui montes maiori ponderat facilitate, quàm tu poma reſpiis. *Montes ponderans, terrã palmo concludis.*

Inſuper ſi D. Hilario credimus hæc ea fuit ratio cur Chriſto cruci affixo, cum in altum tolleretur, atque in terram crux concideret, illa commouerit. *Terra mota eſt.* Quis terram agitat, quis commouet, quàm Deus ſuper immobilem firmamque fundauit ſtabilitatem? *Fundauit terram ſuper ſtabilitatem ſuam.* Non hoc remoueat (ait D. Hilar.) etenim tam immenſum fuit illius crucis pondus, & in illa crucifixi, vt terram tremore concuteret ipſoſque cœlos retrofaceret. *Terra contremuit ad onus Domini in ligno.* Eia Chriſtiane hæc peccata conſideres quæ tanta committis facilitate, & appendis vel quid æſtimum, appende quàm grauia ſint, vt ipſos Dei humeros opprimant, in terram collidant, & terram tremore concutiant. Communicat tibi quiſpiam negotium aliquod petitque à te ſubſidium: & ais: Heu Domine mi, negotium hoc non ita leue eſt, tamque exigui ponderis, quale tibi perſuades: etenim & ipſum prægrauat Regem: redditque ſollicitum, quà poſſit illi ratione ſubuenire. Ipſum Deum criminis tui, eiuſque remedij pondus grauat, imo in terram deprimit crucis onere compreſſum. Tu iudica, num res ſit ponderis alicuius & grauitatis.

IV. Admiratione dignum eſt illud remedium, quo Deus populo ſuo per Ezechielem Prophetam ſerum conſuluit: qui criminum ſuorum grauitatem perfectè non cognoſcebat, per ſuppliciorum pœnarumque acerbitatem, quà continuò torquebat illum, & in Babylonia ſeruum affligebat: Non ſufficiunt hæc, cum ita ſit, vt prouerbio dicatur, ex pœna ſtultus fit prudentior, & oculos pœna aperit, quos culpa claudit (vt ait D. Gregor.) aliud quærendum collyrium. Eo ſiſt compſehendit Deus prophetam, & in altum ſuſtollit montem, ex quo templi fabricam illi demonſtrat, affabre compoſitam. Vade, curre, ò vates & huius templi deſer imaginem, corumque omnium quæ in eo fabrefacta conſpiciuntur, hanc populo huic explica, eiuſque oculis ſpectandam propone, per partes ſingulas cuiuſque notans elegantiam: & videbis eos pudore confuſos, & criminum ſuorum pœnitentes. *Tu autem fili hominis, oſtende domui Iſrael templum, & confundantur ab iniquitatibus ſuis, & metiantur fabricam, & erubeſcant ex omnibus quæ fecerunt: figuram domus & fabricæ eius, exitus & introitus, & omnem deſcriptionem eius*, &c. (Ezech. 43. 10.) O Domine cœli & terræ, quid tanti refert templi huius & fabricæ conſpectus, vt illis oculi aperiantur, & videant ac cognoſcant magnitudinem ſcelerum ſuorum & grauitatem? Quid inde commodi, metiantur, & vnam partem templi huius alteri conferant, vt per hoc confundantur ab iniquitatibus ſuis & peccaſſe pœniteat? O ſanctiſſimum templum & diuinum corpus Chriſti mei Redemptoris! Hoc ipſe ſibi nomen impoſuit locutus Iudæis, deſignans ſe ab ipſis tormentis pœniſque elaborandum, vſque dum illi vitam auferrent Deicidæ. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Hoc autem dicebat de templo corporis ſui.* (V. Tẽplum hoc Chriſtus eſt patiens in cruce. Ioan. 2. 19.) Templum ita diuinum, vt in eo ſua eſſet tota diuinitas, non in vmbra & figura arcæ vel propitiatorij, vel altaris, ſicut in illo antiquo, ſed ita in veritate, vt dicere potuerit Apoſtolus. *In quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* (Coloſ. 2. 9.)

Hoc templum erectum fuit in monte Caluariæ, templum tot operibus, myſticis imaginibus & egregiis ornatum figuris, quot fuerunt vulnera, quibus à capite ad calcem fuit elaboratum. Inſpice, ò Chriſtiane templum hoc, eius fabricam conſidera, conijce oculos in eius ſtructuram parteſque egregias quæ in eo notandæ conſpiciuntur. Attende, quòd quantum attinet ad eius compoſitionem, formatum ſit operà S. Spiritus, ſanguine ipſo ſole puriori eius ſcilicet, quæ nedum ſtellas matutinas puritate poſtponit, & ipſos cœlos longè ſuperat, ſed ipſos etiam Seraphinos: vnde fabrica eſt ita diuina, vt tota ſancta ſit, immaculata, pura, nulla peccati fuligine vmbraque contaminata. *Quod ex te naſcetur ſanctum.* (Luc. 1. 35.) Structura eſt adeo ſuperexcellens, vt duo ita diſtincta inter ſe perſonaliter vniantur, qualia ſunt Deus & homo, idque in vno ſuppoſito. Conſidera opera illa adeo rara & myſtica: perpende caput ſpinis horridum, oculos ſanguine purpuratos, labia pallore confecta, linguam aridam, pectus clauum, humeros conciſos flagris, manus terebratas clauis, pedes harpaginibus tranſfoſſos. O qualia ſunt hæc opera,

quam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quàm excellens, & mirabilis hæc ſtructura. Illam attende, & metire, circinum appone. *Metiantur fabricam.* Quomodo ſibi conueniunt, hæ ſpinæ, & tale caput, quod in ſe totam includit cœli ſapientiam? quomodo tales claui talibus reſpondent manibus, vt illis affigantur, quæ abſit vt mali aliquid egerint, imo potius à millenis bonis commendantur operibus? quos motus paſſi ſunt humeri illi, vt tot requirerentur flagra ad eorum mortificationem: cum numquam illos habuerit niſi iuſtitiæ, & rationi conformes? quos paſſus pedes illi formârunt, qui diuinæ non reſponderent obedientiæ, in ouium perditarum inquiſitionem, mundique beneficium; vt diriſſimo clavo ligno affigerentur? Percunctare cum Zacharia: *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum.* (Zacha. 13. 6.) Huius circini acumen vnum huic templo appone, pœnas conferens: & cum alterum in illo non poſſit figi culpæ ſcilicet; illud in teipſo ſtatue, & attende, quàm bene conueniant ſibique reſpondeant illæ ſpinæ capiti tuo ſtulteſcenti, illa flagella carni tuæ luxurianti: illi claui manibus tuis iniuſtè rapientibus, fel illud & acetum ori tuo voluptuoſo, vncus ille pedum paſſibus tuis inordinatis, crux illa humeris tuis faſtuoſis. Hoc ille circinus notabat quem ſuperiùs diximus armis ſuis inſculpſiſſe Reuerendiſſimum & nobiliſſimum Dominum D. Roſendium. (Ho. 15. Nu. 23.) Hoc igitur templum perſcrutare; ſtructuram eius attende & ſingulas eius partes: quid inde? Confunderis ab omnibus iniquitatibus tuis, oculos in peccata tua conijciens. *Metiantur fabricam & erubeſcent*, &c. Pudeat te Chriſtianum Deum tenere cruci affixum, quantum ex parte tua eſt: confundere leno vacare luxurijs, contemplatus Deum pro illis ſanguinem ſuum fundere pretioſum.

*§. 7. Si propter peccatum pro quo Dei filius venit ſatisfacturus, cum illi proprium non ſit, nec eſſe poſſit, erga illum tantum Deus oſtendat iuſtitiæ rigorem, licet filius ſuus ſit: quid erit in hominibus, qui per proprium peccatum quod contra diuinam committunt Maieſtatem eius ſe reddunt inimicos?*

15 Conſidera templum hoc & præ horrore diuinæ illius iuſtitiæ contremiſce, tam rigoroſam ſpectans, quam exerit Deus in hoc templo humanitatis proprij filij: idcirco namque tibi proponitur, vultque vt illum tibi demonſtremus pœnis attritum & in cruce morientem. *Quem propoſuit* (inquit Apoſtolus) *ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ.* (Rom. 9. 2.) Opera iuſtitiæ quæ Deus in maximis ſuis exercet inimicis timore concutiunt amicos illi maximè familiares. Quando patrauit opus illud mundo notiſſimum, potentiſſimam ſuam extendens manum contra refractarium obſtipumque Pharaônem & exercitum, metu nationes omnes obriguerunt, ad quas tantæ notitia famaque iuſtitiæ peruenit, Edom & Moab, & ſeptem illæ barbaræ Nationes in terra Chanaan Hethæi, Iebuſæi, Amorrhæi, Horrhæi: *Tunc conturbati ſunt Principes Edom, robuſtos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan.* (Exo. 15. 15.) Et hoc quidem eo modo: vt poſt facti prodigium quadraginta annis, renouata eiuſdem in vrbe Hiericho memoria, quando filij Iſraël ad vrbem illam caſtra ſua applicuerunt: cuncti vt arboris folia vento percuſſa contremuerunt; ſic de hoc ferente teſtimonium Rahab illa celeberrima. *Irruit in nos terror veſter. & elanguerunt omnes habitatores terræ: audiuimus enim quòd ſiccauit Dominus aquas maris rubri*, &c. (Ioſu. 2.)

Porro notat ſingulariter Spir. Sanctus quod cum Dominus Pharaônem eiuſque exercitum maris fluctibus præfocaſſet, eos in illos retorquens, & medijs inuoluens: *Inuoluit eos fluctibus*: illos oculis obijciens Iſraëlitarum ſubmerſos & aquis vndiſque præfocatos: hic illis obtutus duo contulit beneficia. Primum fuit, non lenis de diuina iuſtitia formido. Secundum, integra perfectaque verbis illius ſui reſignatio. *Viderunt Ægyptios mortuos ſuper littus maris, & manum magnam, quam exercuerat Dominus contra eos: timuitque populus Dominum, & crediderunt Domino & Moyſi ſeruo eius.* Notat autem Caietan. hunc effectum in cordibus eorum prætendiſſe Deum, timorem ſcilicet non exiguum Dei, quo credant illi manus eſſe ad puniendos inimicos potentiſſimas. *Verè effectus diuinus in cordibus populi, vt ex viſa punitione Ægyptiorum, timerent Deum omnipotentem ad puniendum inobedientes ei.* (Caiet.) Huic timori ſucceſſit præclara Deo ſubmiſſio, quâ promptos ſe oſtenderent mandatis eius obtemperandi, ſeruoque eius Moyſi obediendi: hoc enim his verbis innuitur, inquit D. Auguſt. *Crediderunt Domino & Moyſi.* Si ſupplicium, quo ſuos mulctauit inimicos, tantam intulit formidinem, cum tam horrendum eſſet & inauditum, videre Principes illos ſuperbiâ turgidos, duces illos fortiſſimos vndis præfocatos: quid futurum arbitramur, ſi Deus hoc

amicos

amicos ſuos ſupplicio mulctaret? Et ſi in vnigenito filio ſuo, tantùm quia illum vidit quòd figuram aſſumpſerit, & habitum inimicorum ſuorum, atque eorum ſe loco ſubſtituerit, quamuis ab omni culpa ſciret innoxium? Hoc igitur ſic in effectu & realiter factum eſſe conſidera.

Ecce qualiter vnigenitum ſuum in mare demergat tormentorum & amariſſimæ paſſionis. Pſal. 68. Sic ipſe ſe proponit apud Pſalmiſtam: *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* Non hæſit ad oram maris, ſed ad altiſſima pelagi deuolutus eſt, & conuertit in eum Pater aquas omnes, & furentes vndas fluctuſque demanos Gentilium, Iudæorum, Principum, populi, ſacerdotum, ſæcularium & collimat in eum omnes turbines vndaſque tempeſtatum. Eius etenim nomine, credit D. Athanaſius, dixit Pſal. 41. David: *Omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.* Meâ quidem ſententiâ ſpectat illud S. textus: Ep. ad Ro. *Inuoluit eos in mediis fluctibus*: quænam etenim vnda non eum inuoluit? Illum intuere cruce ſuſpenſum à planta pedis vſque ad verticem. *Mitire fabricam*: Quales in capite ſpinæ, qua ratione capilli barbaque euulſa, quàm hiantes manus, quot flagris conciſum corpus, quo felle lingua amaricata, quantis aures eius opplete blaſphemiis, quàm triſte in oculis eius dolendumque ſpectaculum! Si quæſieris quis hæc omnia intulerit? Tibi reſpondebit per Iſaiam: Iſai. 53. *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum: Dominus voluit conterere eum.* Talis iuſtitia, in filio ſuo quem vt talem agnouit, tantùm quia imaginem aſſumpſit peccatoris, eiuſque ſe loco ſubſtituit, quid in te faciet, mortalium infauſtiſſime, vero ſibi inimico, qui Pharaôni peruicaciâ comparatis, & mandata eius aſpernaris, vt emolliendo, & conuertendo non ſufficiant aduerſitates quibus te diuinis affligit, nec anguſtiæ in quas te conijcit tantâque turges audaciâ, vt manum tuam contra eum attollas refractarius? quàm ſeuerè tuam puniet ſuperbiam, ſi ſic filij ſui caput in tuæ pœnam arrogantiæ caſtigauit? quàm ſeuerè tuam excipiet habendi cupiditatem &c. *Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet?* Caue tibi, timore concutere, Deo te ſubmitte illique pœnitens in genua proſternere. 1. Reg. 11. *Oſtende faciem tuam & erubeſcant.*

III. Quo facto Saül populi. Ad rem apprime conducit quod narratur à Spiritu S. Copioſo Rex Ammonitarum Naas exercitu Iabes Galaad corona cinxit militari, cumque ciues mentis ancipites lugerent in arcto copias ſuas redactas, à populo Dei feſtini ſuppetias poſtulârunt, extremamque illi, quâ laborabant, proponunt neceſſitatem ita efficaciter tantiſque lacrymis ac ſingultibus, vt eo modo Dei populum ad commiſerationem permouerint, vt amariſſimis omnes eos planctibus deflerent. Accurrit fortuitò Saül iam nunc electus & vnctus Rex de agro boues agitans, populi percipit planctum videtque lacrymas & ait: *Quid habet populus quòd plorat?* Quid hoc? quæ ſiniſtra populum afflixit fortuna? quis caſus acerbior? Patet hic quàm prudenter tunc ſe gereret Saül. etenim vt optimus Rex populum cernens afflictum, & nimio mœrore contractum ſollicitus de eius indagat remedio. Reſpondent illi: Domine mi: populum hunc ad compaſſionem & lacrymas excitauit aduerſitas quâ nulla maior ciuium Iabes Galaad: etenim nuntios nobis miſerunt auxilium poſtulantes, quo contra Ammonitarum, immenſas copias reſiſtant, & auertant iniuriam. Vt hæc audiuit Saül arripuit eum zelus Domini, quo percitus Ammonitarum ſcelus vlciſceretur, eoſque bello impugnaret, Iabes Galaad liberator. Vt autem populum tantò moueret efficaciùs, ſuas cum illo copias animosè producendi, atque in arenam deſcendendi: boues ſuos arripuit, occidit & in fruſta diffidit, & membra ſingula quaquauerſum per omnes diſperſit tribus populi Iſrael, hæc addens verba: *Viuit Dominus: Quicumque non exierit, & ſecutus fuerit Saül & Samuel, ſic fiet bobus eius.* 1 Reg. 11.2. Vt vidit autem populus actum hunc Regis in boues proprios, quodque membratim diuiſos illis ſpectandos obtuliſſet, tanto corripiuntur panore & tremore, vt eum S. pagina vocet timorem Dei, vtpote maximum & cordis intima penetrantem. *Inuaſit timor Domini populum.* Vnde commoti & quaſi calcaribus agitati confeſtim conuenerunt de Iſrael trecenta millia, & de Iuda triginta millia, omnes ad bella doctiſſimi, feruentiſſimi leonum animis ita ferocientes, vt ſolo ſuo conſpectu in apertam fugam compulerint Ammonitas.

ad arma cō citauit.

Bone Deus, quantum operatus eſt effectum, videre, quòd ipſe Rex ſuis manum iniiciat bobus, ipſos iugulet, & membratim occiſos diſcerpat! quem non effectum ſperares ſi proprium filium Principem Ionathan coram populo trucidaret? Quanto te tremore percutere debet iuſtitia Dei, conſiderantem, quod peccato bellum illaturus, quâ anima tua ad tam extremas & vltimas reducitur anguſtias, manum proprio iniiciat filio, tam innumera in eum

congeminans verbera, tormenta, ſpinas, alapas, clauos, crucem, eumque plagis vndequaque vulneratum tuis obiiciat oculis triſte ſpectaculum? *Ad oſtenſionem iuſtitiæ tuæ.* Ecce quo cruciatu in tuæ ſuperbiæ pœnam caput torqueat, manus ob tuam malitiam, corpus ob tuam impudicitiam, pedes ob greſſus tuos inordinatos, &c. Conſidera quæ ratione te cruciabit, præſertim ſi poſtquam omnia fecit, quæ illius erant, ac tua peccata diſperdidit, eadem in te viua reperiat & potentiſſima. *Qui proprio filio ſuo non pepercit: ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Argumentum hoc eſt Apoſtoli. Dico ego: qui proprio filio ſuo non pepercit, eò ſolùm, quod illum videret ſceleribus oppreſſum alienis: quid acturus eſt, quando viderit peccatorem propriis inquinatum? Optimè dixit Ezechieli: *Oſtende eis templum, & fabricam, & confundantur ab iniquitatibus ſuis.* Sic Deus propitius ſit mihi, quàm efficax foret illa conſideratio, quâ tibi guſtus luxuriæ tolleretur ac voluptatum, quas habes maximas, & gaudium lucri iniuſti contabeſceret: Quam tibi poſſent inferre vel maximæ mundi deliciæ voluptatem, ſi cerneres in earum pœnam patibulo ſuſpendi & diris examinari cruciatibus amicum tibi fideliſſimum inuocantem te ac dicentem; tua hæc lucra illum in hos conieciſſe cruciatus, pœnam intuliſſe grauiſſimam? quàm ſapidus tibi poſſet eſſe cibus, quem aſpiciens iam ori ingerendum cerneres in eo ſanguinem Patris tui proditoriè occiſi ſcaturientem?

Rom. 8.

Explicare nemo poteſt qua ſitis orexi Dauid aquæ calicem optârit de ciſterna Bethleem, patria ſua naturali? altiùs hoc ſuis ind caui belli ducibus: *O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna quæ eſt in Bethleem!* Tres ex illis viris robuſtiſſimi, per media hoſtium agmina prorupêrunt illam allaturi, eamque hauſerunt ac reuerſi ſunt, vitam ſuam tam manifeſto diſcrimini ſubiicientes. Afferunt illam, regique offerunt hauriendam. Quid ille? Pedem Dauid retrahit, ſibique perſuadet in illa aqua virorum illorum recentem bullire ſanguinem: quia proprii ſanguinis aleæ ſuppoſuerant effuſionem, exclamat: O aqua deſiderata; & qua te potero voluptate ſumere, cum ducum meorum hic videâ ſanguinem immiſceri? *Numquid ſanguinem hominum iſtorum qui profecti ſunt, & animarum periculum bibam?* Emphaticum eſt illud; *Hominum iſtorum:* Non tantùm dixit *hominum*, ſed addidit *iſtorum*: Quiſſemmate nobiles ſunt, robuſti viribus, mihi vitæque meæ tuendæ fideliſſimi, quos nunquam accuſare poſſum, mihi deſenſe protectores, & exercitus duces nõ ſtrenuiſſimos. *Hominum iſtorum.* Viuit Dominus, ne tale quid commiſero; & appetitum ſuum coërcens effudit illam coram Domino, quaſi ſacrificium illi conſecrans, non tantùm aquæ, quantum ſuæ propriæ voluptatis. Egit hoc cum nondum illi milites fortiſſimi ſuum effuderant ſanguinem, ſed tantùm periculo fundendi expoſuerant; quid ageret ſi realiter illum effudiſſent, & reipſa illum in aqua illa conſpiceret. Conſidera ò Chriſtiane, in voluptatis tuæ aqua ſanguinem Chriſti pretioſiſſimum, quem nedum expoſuit diſcrimini ſed realiter illum pro ipſa effudit. Ille ſit qui te ad mortificationem tui compellat, ille qui te ad hæc verba permoueat: *Nunquid ſanguinem hominis iſtius bibam.* Perpende illud *Hominis iſtius:* Sanguis eſt hominis illius qualis hic, qui Deus meus eſt, Dominus meus, Pater meus, frater meus, amicus meus, qui mei gratiâ totum quod habebat expendit.

2. Reg. 23. 15.

IV. Dauidis pia conſideratio de aqua Bethlee.

Expendite mecum laude dignum piiſſimæ ſponſæ exercitium, dicit enim hoc illi perpetuum fuiſſe, vt dilectum ſuum faſciculum myrrhæ componeret & inter vbera amantiſſimè reclinaret. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, & inter vbera mea commorabitur.* Domeſticè notum eſt in SS. litteris ſub figura vberum carnis venire voluptates. Ita vates dixit Iſaias, Deum ſua myſteria, cœleſteſque delicias communicare auulſis ab vberibus, & ab eis ablactatis. *Quem docebit ſcientiam, & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus.* Ne ſibi tibi perſuadeas Deum omnibus diuina communicare myſteria, quodque omnibus familiariter colloquatur, ſed illis tantum qui lacti renuntiant, & ab vberibus ſeſe voluntariè auellunt. Expendit D. Chryſoſt. hoc verbum: *Auulſos non dixit: ablatos ab vberibus*, ſed auulſos: verbum hoc ſignificat abſtractionem quandam violentam, quò declaratur quam ſibi viri iuſti violentiam inferant, ſuamque propriam carnem compellant, vt illam à deliciis auellant & toto conatu abſtrahant à voluptatibus, eo modo quò quis arborem eradicat: fit hoc etenim magno conamine & adiunctis viribus, & indicatur vis illa, quam ſibi electi ſæpiùs inferunt, à quibus Dominus ait cœlum eſſe rapiendum. *Violenti rapiunt illud.* Hoc igitur ſenſu ait ſponſa ad ſenſuum ſuorum & appetitum mortificationem inter illos Chriſtum ſe collocare compoſitũ myrrhæ faſciculum, hoc eſt ligatum, vulneratũ, ſpi-

Cant. 1.

V.

Matth. 11.

nis coronatum, flagris attritum, clauis confixum, toteque corpore copioſum effundentem ſanguinem.

VI. Vtinam dum carnis tuæ maleſuadas ſentis titillationes, carnem applicares Chriſti flagellis diriſſam: quando dignitatis affectus te mouet, Chriſtum apponeres ſpinis coronatum: quando cupiditatis ardet deſiderium, manus illas collocares clauis terebratas in rapinarum tuarum ſolatium! Hanc myrrham, hoc aloë tuo repone pectore, & ſedari tuum ſtatim gaudebis appetitum, magis quàm puſionis, dum ab vberibus abſtahitur. Audiamus D. Auguſt. atque ex eo diſcamus ſaluberrimum hoc exercitium. *Cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei reſurgo. Cum diabolus parat mihi inſidias, fugio ad viſcera miſericordiæ Domini mei, & recedit à me. Si ardor libidinis moueat membra mea, recordatione vulnerum noſtri Filij Dei extinguitur, &c. Nullum tam potens eſt, & tam efficax contra ardorem libidinis medicamentum, quam mors Redemptoris mei, &c.* Meritò & congruè D. Petr. nobis Chriſtum repræſentat crucifixum, velut quoddam armamentarium contra omnes inimicos. *Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Eius attende humilitatem, & eadem cogitatione arma ſume contra diaboli ſuperbiam. Dolores conſidera carniſque vulnera, hæc tibi arma collige quibus carnis tuæ inordinatos vincas appetitus. Opprobria & contumelias mente reuolue, & illis armatus ſtultas omnes mundi ſuperabis acclamationes.

Contra carnis tentationes Christi passio est remedium. — D. Aug. in Man. c. 22. & 23. Tom. 9. — 1. Pet. 4. 1.

## §. 8. *Tertiò noſtram roborat fiduciam: cum nobis Chriſtus hæc omnia concedat merita, multò efficatiùs quàm Bercellai ſua Chamaam filio ſuo conſignauit.*

TErtiò non modicam hinc cordis tui elice conſolationem, quando tua prægrandia conſiderando peccata, quibus ſæpè grauiter Deum offendiſti, & maiorem impudentiam quàm ea quæ in filio prodigo damnatur, quâ terga vertiſti refractarius, in te cogitationes exurgent diffidentiæ, vel te diabolus ad deſperationem excitabit, nominatim in extrema mortis hora, quæ ea eſt, in qua magis ad viuum tua tibi mala proponit, & in memoriam reducit, eorum extendendo grauitatem, multitudinem, & diuinæ iuſtitiæ rigorem; tunc enim conſidera & firmiter crede, quòd Dominus hic tibi totam ſuam conceſſerit paſſionem pretij infiniti, totum ſuum ſanguinem valoris immenſi, eiuſque omnia ſanctiſſima merita: quatenus, cum ex te non habeas quibus ſatisfacias, nec Deo pro peccatis tuis ſoluas, nec tibi ſcutum ſit quod iuſtitiæ diuinæ rigori defenſiuum opponas, habeas quod illi dedices & offerre poſſis quid infinities longè maioris pretij, etiam ipſius iudiciô & acceptatione, quàm tua fuerint peccata, imò & totiùs mundi, eorum etiam ſpectata perueritate; ita vt ſi graue ſit quod debes, infinities hoc excedit, quod habes quo ſatisfacias. Idcircò dixit Dominus quod ante ponderauimus, quòd in iuſtificatione peccatoris mors interueniat Redemptoris noſtri, quâ Pater æternus illum in ſuam recipit totus alacer lætuſque gratiam, feſtum inſtituit conuiuij & gaudij diem, ſicut per occiſionem vituli ſaginati benignus filij prodigi pater epulum inſtituit, ſolemne, quando reducem & pœnitentem cum vlnis excepit miſericordiæ *Occidite vitulum ſaginatum, &c. Manducemus & epulemur.* Audiamus D. Bernard. *Peccaui peccatum grande, turbatur conſcientia, ſed non perturbetur, quoniam vulnerum Domini recordabor: nempè vulneratus eſt propter iniquitates noſtras. Quid tam ad mortem, quod non morte Chriſti ſoluetur? Si ergo in mentem venerit tam potens tamque efficax medicamentum, nulla iam poſſum morbi malignitate terreri: & ideò liquet erraſſe illum, qui ait: Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Appoſitè declarat de Chriſto crucifixo illud Pſalterij. *Petra refugium herinaceis:* Quod alij legunt: *leporibus.* Petra timidis refugium eſt leporibus. *Et reuera vbi tuta firmaque infirmis ſecuritas & requies, niſi in vulneribus Saluatoris? Tantò illic ſecurior habito, quantò ille potentior eſt ad ſaluandum.*

I. Merita Passionis Christi sunt omnium hominum in diligentia ... (margin, partly cut)

D. Ber. Ser. 61. in Cant. sub med.

Pſ. 101. 18. Vide P. Ludouic. Granat. 3. pa. ſymb. Tra. 5. c. 6.

Tractatum edidit D. Augu. ingenio ſuo comparem per modum interrogationis: Cur voluit Dominus pati mortem adeo moleſtam, & ſubire paſſionem tot tormentis pœniſque acerbam, vt nullum non earum genus pateretur, nec pars eſſet vlla corporis, quæ ſuum non tolleraret cruciatum, nec gutta ſupereſſet ſanguinis effundenda. Certum habemus, & ab Eccleſia definitum vel vnicam guttam quam effunderet, imò vel vnam lacrymam quam emitteret, imò vel vnius diei ieiunium, fore ſufficiens redemptioni nedum vnius mundi, ſed millium ſi forent ob rationem eiuſdem D. Aug. quia malitia peccatorum omnium illorum mundorum, quantumuis grauis & enormis, finita foret, & creſcere poſſet; porrò valor, meritum, & pretium

Vide Aug. in pſ. 103.

II. Cur Christus tanta pati voluerit.

vnius Chriſti ieiunij, erat infinitum, nec poterat
eius meritum augeri ex ratione diuinæ ſuæ per-
D.Avg. ſonæ operantis, vt exponunt Theologi. *Quantò*
*Medit.c.8* *namque ſuperior Deus homine, tantò hominis ma-*
*litia eſt inferior Dei bonitate, & qualitate, &*
*quantitate.* Vt quid igitur tanta ieiuniorum
multitudo? quo fine tantum lacrymarum fle-
tuſque diluuium? Cui tot ſeruiunt tormenta,
quæ numerum vincunt, vt non male dixerit.
Pſ.39.13. *Circumdederunt me mala quorum non eſt nume-*
III. Similitudo. *rus?* quale ferres de mercatore iudicium, qui la-
pidem ſibi comparans pretioſum qui vltra va-
lorem ſoluitur centum ducatis, pro illo centies
mille daret ducatos, imo millionem? Quid de il-
lo cenſeres qui profectus vt captiuos redimeret,
cùm vni eorum redimendo ſufficerent centum
duplices ducati, horum decem milliones expen-
deret: imo ſi cunctos Regis reditus daret quos
ex omnibus colligit regnis copioſiſſimos? An
ignoras, petit D. Aug. Chriſtum eſſe patrem no-
ſtrum? Nomen hoc prædixit Iſaias illi dandum:
Pater qui nos per gratiam generat in futurum
Iſai.9.6. ſæculum, nempe cœlum. *Vocabitur nomen eius:*
IV. Quia vt pater nobis filiis theſaurizauit. *Pater futuri ſæculi*: nam ſicut Adam nobis pater
fuit in terram, vt in ea naſceremur, & eiuſdem
mala toleraremus, eius ſpinas, calores, frigora,
morbos & mortem; ita Chriſtus nobis pater eſt
ad cœlum, vt ad illud naſceremur, & illud in-
grederemur, & eius bonis, diuitiis, vita, gloria,
regniſque Dei frueremur. Talis eſt parentum er-
ga filios amor, vt illo moti filiis theſauros con-
gregent, iuxta naturæ legem, quam teſtatur
2.Cor.12.14. D. Paulus: *Parentes debent filijs theſaurizare.* Et
hoc quidem eo modo, vt patri non ſatis ſit, ſi
poſſit facultates illis conquirere ſufficientes, ſed
omnes & quantas poteſt, laborat opes compara-
re, & paucos inuenias parentes qui licet honeſta
ſatis filiis ſuis media lucrati ſint, ſi illa poſſint
augere, non faciant, & ſi poſſint centum millia
conquirere, mille illis ſufficiant, & in hoc nul-
lum agnoſcunt præfixum ſibi terminum, tantòq;
ſyncerius, & animo feruentiori, quantò diligunt
filios amoroſius, quantoq; plures eſſe nominan-
tur. Nullus vnquam pater, nec quotquot ſunt,
aut fuerunt omnes ſimul, tanto filios ſuos affectu
complexi ſunt, vt pater hic cœleſtis ſuorum vel
minimum: & ſatis liquidò conſtat, omnes ete-
nim parentes coniuncti non fecerunt, nec cogi-
tauerunt facere pro omnibus filiis ſuis, quantum
hic ſolus pro ſuorum vel abiectiſſimo.

☞ 17 Ex hoc optat vultque illos tantis locupleta-
V. His nos re diuitiis, vt illis comparare ſibi poſſint vera
bona, diuina, æterna, gratiam & gloriam. Quæ-
nam ſunt hæ diuitiæ, niſi ſanctiſſima eius me-
rita, quæ per hoc quod fecit, lucratus eſt, ſed
maximè per hoc quod paſſus eſſe perhibetur?
Quis hoc mare perſcrutetur? Quis intellectus
capere ſufficiat, vel horum minimi præcellen-
tiam, & pretij dignitatem? Omnem excedunt
numerum, pondus & menſuram: cum enim ita
ſit, vt quidquid Deus fecit, fecerit iuxta illud Sa-
pientis: *Omnia in numero, pondere & menſura* Sap.11.
*diſpoſuiſti.* In hoc tamen omnem ſuperauit A-
rithmeticæ numerum, omne pondus, & menſu-
ram omnem in qualibet ſcientia de his diſpu-
tante, idque eò modò, vt nec intellectus creatus
omnium Seraphinorum comprehendere poſſit
magnitudinem diuitiarum, & valorem vel mi-
nimi meriti noſtri Saluatoris, & Dei; ſolus hic
poteſt cum ſit infinitus.

Videamus igitur quo fine Dominus hic tantas VI.
& tam ineffabiles diuitias comparauerit? Non
ſibi, non enim eis indigebat: etenim opes quas
lucraris, in duobus tibi poſſunt famulari: vel vt
debitis tuis ſatisfacias, vel vt tibi conquiras, &
obtineas, & aſſequaris quod minimè poſſides.
At neutro horum indigebat humani generis aſ-
ſertor. Non vt debita ſua vlla ſolueret, quæ
nulla contraxerat, nec potuit contraxiſſe: *Qui* 1.Petr.
*peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore* 2.22.
*eius.* Nec ſimiliter vt aliquid ſibi compararet:
etenim omnia diues in ſe complectebatur: to-
tam enim poſſidebat beatus gloriam cœli, tan-
tam quantâ hodie in ſeipſo fruitur, & omnia
bona diuina, & dempta gloria corporis ſui: quæ
debebatur illi ex naturali reſultantia gloriæ ani-
mæ, & ſanctiſſimi ſui nominis exaltatione, nihil
illi fuit datum aliud. Quid igitur fiet de tantis
tamque immenſis diuitiis meritorum eius inef-
fabilium? An illa lucratus eſt, vt otioſa mane-
rent, perdita, nullique fructifera? Nequaquam.
An ergo Deus tam eminentia merita, iuſtus ad-
eo cum ſit omni, ſic prœmio vacua eſſe patie-
tur, quæ ſummè illi placuerunt? Ne tale quid
timueris. Non enim illa ſibi tanto labore com-
parauit, ſed filiis ſuis, nobis inquam ſibi cha-
riſſimis. Teſtem adfero D. Bernardum. *Hæc paſſio* D.Bern.
*potentiſſima eſt ad exhauriendà peccata. Mihi data* ſer.
*eſt, quia alteri dari non potuit: numquid Angelo?* 4.
*ſed ille non eguit: numquid diabolo? ſed ille non re-*
*ſurgit.* Nobis hæc omnia Paſſionis ſuæ merita
conceſſit, vt illa nobis ſumeremus, atque expen- VII.
deremus, per illa noſtris ſatisfaciendo ſcelerum
debitis, & omnem regni cœleſtis hereditatem ac-
quirendo, omnia bona, Deique diuitias, atq; id-
circo, tantam eorum copiam cumulauit, & om-
nia

ma parua videbantur amori quo nobis afficiebatur, ardentiſſimo. His omnibus proh quàm diuites nos eſſe gloriamur!

1. Cor. 1. Nobis veriſſimè dicat Apoſtolus. *Iam diuites facti eſtis in illo, id eſt per illum.* Diuites eſtis, non ex operibus veſtris, neque ex eo quod vos de veſtro contuliſtis: ſed in ipſo, & per ipſum, per

VIII. Allegoria de Berzellai & Dauid. id quod ipſe vobis liberaliter conceſſit, & per illud ad quod vos heredes aſſumpſit. A prudentia laudatur ſupra modum vir ætate, & dignitate grauis Berzellai, quem teſtatur Spiritus S. Dauidi quam plurimum obſecutum fuiſſe, dum illi grauiſſimis affiicto tribulationibus abundè ſubuenit, cibum potumque deferens ſuperefluēter:

2. Reg. 19. 32. de illo namque perhibetur: *Fuit quippè vir diues.* Iam octogenarius annis obſitus ad mortem feſtinabat; Dauid vir gratitudine cōſpicuus ſuperatis iam inimicis ſuis, & pacificus regiā ſuam repetens Hieruſalem, tantorum operum iuſtam voluit rependere mercedem, ſibi maximæ præſertim æſtimationis, quocirca ſic illi: Pater colende. *Veni mecum, vt requieſcas mecum ſecurus in Hieruſalem*: & comedas & bibas in menſa mea regiiſque fruare deliciis. Domine mi Rex, reſpondet ille: *Non indigeo*: iam enim comedendi & bibendi ac muſicæ voluptas canis huſce meis annisque plurimis minimè correſpondent. *Octogenarius ſum hodie: numquid vigent ſenſus mei ad diſcernendum ſuaue aut amarum*? Porrò eſt mihi filius nomine Chamaam in eum ad illius commodum transfero meritorum meorum valorem iuſtamque dignitatem, in gratiam beneficiorum à me ô Rex tibi præſtitorum, illi tribuatur quod ego promerui. eum ſi placeat ducat ſecum Hieruſalem ad regiam, illæ tuæ ô Rex aſſideat conuiua menſæ. Perplacet (inquit Dauid) ſit hoc ita: *Mecum tranſeat Chamaam, & ego faciam ei quidquid tibi placuerit & omne quod petieris à me impetrabis.*

Idem Redemptor agit Pater noſter amantiſ-

Coloſſ. 2. 3. ſimus. Tantis affluit diues opibus, vt *In eo ſint*

IX. Chriſto applicatur. *omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei.* Tanta præſtitit Patri ſuo eaque grata obſequia, vt non poſſint non eſſe illi accepta, nec ipſe non ea acceptare: qua ratione dignè compenſabuntur? Ille non indiget vt in propria rependantur perſona: quia omnibus illis affatim abundat quæ dari illi poſſunt: ipſe reſpondet: *Non indigeo.* Quid agit? Omnes transfert has diuitias & merita in nos, ita vt amodo omnia noſtra ſint, & vt talia illis ſoluere poſſimus, nedum pro peccatis quorum rei ſumus, quæ quantumuis multa ſint, certo tamen numero comprehenduntur ſed & licet eſſent infinita, & omnem excederent numerum, pondus & menſuram: & inſuper poſſumus illis comparare nobis bona gratiæ & gloriæ ſempiterna: ita vt quantumuis multa quis fuerit lucratus, poſſit attamen plura & plura infinities. His omnibus tu noueris num diues ſis, num habeas cui ſpes tua innitatur, quo poſſis tuorum criminum ſperare indulgentiam, & an aliqua tibi ratio ſubſit de eius diffidendi ſeu deſperandi miſericordia *Deſperare vtique potuiſſem* (inquit D. Aug. ex quo quantum conijcio ſumpſit hoc D. Bernard. iiſdem pœnæ verbis idem proſecutus æterno Patri collocutus) *propter nimia peccata mea & infinitas negligentias meas, ſed deſperare iam non audeo: quia cum inimici eſſemus reconciliati ſumus per mortem filij tui. Tota ſpes mea* (loquitur idem) *eſt in morte Domini mei: mors eius meritum meum, & refugium meum, ſalus mea & reſurrectio mea.* Pro more ſuo cœleſti quadam eloquentiā cōmentatus eſt D. Bern. verba illa ſponſi in Canticis. *Columba mea in foraminibus petræ. Quid igitur non boni in petra? hac in petra exaltatus. in petra ſecurus, in petra firmiter ſto. Securus ab hoſte, fortis à caſu.* Quod ipſum præfatus auctor, vt eleganter ita fusè proſequitur relatus à Lipomanno. Hinc colligit ex illis ſe locupletiſſimum, cum ſibi diuitias habeat ſine termino à Chriſto conſignatas, quas D. Paul. nominat: *inueſtigabiles diuitias Chriſti.* Mea ſunt, inquit, merita: nam illa mihi Dominus per ſuam miſericordiam reliquit. *Meritum meum miſericordia Domini.* Pauper igitur non ſum, vt non dignè Deo perſoluam quidquid illi debuero, hæc mihi aſſumens. *Non ſum meriti inops, quamdiu ille miſericordiarum Dominus non deſuerit: etſi miſericordiæ Domini multæ, multus ſum ego in meritis. Quanto ille potentior eſt ad ſaluandum, tantò ſum ego ſecurior. Multum eſt* (inquit ille) *quod mea meretur impietas, longè autem maius eſt, quod Redemptoris mei repoſcit iure pietas: magna eſt mea iniuſtitia, ſatis verò maior eſt Redemptoris iuſtitia: quantò namque eſt ſuperior Deus homine, tantò mea malitia eſt inferior eius bonitate, & qualitate & quantitate: quid enim deliquit homo quod non redemerit Filius Dei factus homo?* Tibi ſeruatæ ſunt tantę meritorū diuitiæ, tibi tam copioſa redemptio, & his vitam tuam operaq; ſancta conformans: quantā igitur potes ſperare fiduciā peccatorum tuorum indulgentiam, tibique ab eo æternæ ſuæ gloriæ bona conferenda?

Ex prædictis eliciunt Theologi Sanctorum abundantiam meritorum, non ſecundum quod opera

Margin notes (right): D. Aug. L. Soliloq. cap. 14. Tom. 9. — D. Bern. Serm. 21. in Cant. cit. — D. Bern. Serm. 61. in Cant. — Epheſ. 3. 7 Exod. 17. fol. 142. qui videndus eſt. L. Mann. cap. 22. — D. Aug. L. medit. c. 8. To. 9. — 18.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

X. Ex Chriſti meritis SS. creſcunt merita. opera erant eorum, ſed ſecundum quod Chriſti meritis vniantur, quibus illa in tantum adhærent, & copulantur, vt dicere poſſint ex hac ratione eſſe ea merita iuſtitiæ, magis quam ea que dicuntur Angelorum. Nec quis merito reprehendit. Nec quis merito reprehendi: Apoſtolum dicentem: *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Sed quomodo hoc ais Apoſtole, cum prius hoc aſſerueris: *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam.* Audi rationem: hoc adſtruo conſiderans iuxta quod mea merita Chriſti meritis vniuntur. Idem hoc exponit Apoſtolus poſtquam quædã dixiſſet eminentia & quædam retuliſſet propria dona naturæ (a) quòd, apud Hebræos magna eſſet nominis ſui dignitas, quod eſſet progenie & ſtemmate nobilis, in litteris verſatus, ingenij acumine conſpicuus; hæc omnia, inquit, ſordes ſunt & ſtercora, nec illis meam prætendo fidere iuſtitiam: in quibus autem? In vnione cum Chriſto. *Vt inueniar in illo.* Non enim me Deus conſiderabit in me ipſo ſed vt quid vnum cum Chriſt. *Vt inueniar in illo non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam quæ ex fide eſt Chriſti Ieſu.* Quatenus in illo poſitus, prætenſiones meæ non in me meiſque meritis fundentur, vt meritis meis, ſed meritis Chriſti, nam dum illi per viuam fidem coniungor, mea ſunt omnia. Ad quid? Vt illô modô procedam, ipſum cognoſcens. *Ad cognoſcendum illum & virtutem reſurrectionis eius & Societatem paſſionum illius.* Primò: vt illum cognoſcam, & virtutem reſurrectionis eius quis ſit nempè Deus Cuius opera & merita fuerunt infinita, & valoris ac dignitatis infinitæ: nam ex rigore iuſtitiæ ſuam merebatur reſurrectionem: & cognoſcere quid inde mihi vnito cum illo ex illis boni proueniat, & Societatem inire, quæ mihi hæc omnia concedat merita, quibus prætendo ſicut ille moriens denuo reſurgere. *Configuratus morti eius ſi quomodo occurram ad reſurrectionem quæ eſt ex mortuis. Si quo modo,* illum ſecutus. Hoc autem egit D. Bernard. dum enim diabolus extrema mortis illius hora proponeret illi cœlum difficultatem obtinendi: reſpondit ille: Chriſtus ſuum aſſecutus eſt duobus titulis ſeu duplici iure: primò per naturam, ſecundò per merita: Primum ſibi retinuit, ſecundum mihi conceſſit. Quocirca per hoc nec habeo; nec vllam ſentio difficultatem, nec oritur mihi dubium de cœli gloriâ aſſequendâ. Itaque ex duplici illo titulo, quô Chriſtus cœlum ſibi proprium obtinebat, ſatis ſibi habuit ſuo naturali: aliud autem meritorum nobis liberaliter indulſit. Habes hic quibus pro peccatis noſtris ſatisfaciamus, quæ ſolutionem valoris requirunt infiniti.

2. Tim. 4. 8.

Roma. 8. 18.

(a) proprio a lot seu ... abaxo.

Philip. 3. 9.

Expendit D. Gregorius hiſtoriam de Iacob: dum etenim diſceſſum ex domo Laban meditatur, huius rationem ſuis proponit vxoribus, illas ſibi comites requirens, & in itinere ſocias. Egreditur cum illis, ſuiſque diues facultatibus, quô tempore Laban in paſcuis oues cuſtodiebat; Rachel Patris ſecum aufert idôla: nam naturaliter (vt talis patris idololatræ filia, multorum cultoris idolorum, ipſa quoque (ſi D. Chryſoſtomo credimus) illa voluit ſibi retinere, vnde & ſecum illa detulit. Regreditur Laban, ablata non inuenit: illos inſequitur idôla recuperaturus. *Cur furatus es Deos meos?* Non ſic eſt, inquit Iacob: illos inquire. *Quod autem furti me arguis, apud quemcumque inueneris Deos tuos, necetur coram fratribus noſtris, ſcrutare quidquid tuorum apud me inueneris.* Addit autem Spiritus ſanctus. *Hæc dicens ignorabat, quod Rachel furata eſſet idôla.* Scrutatur tabernaculum Lyæ, & ciſtas perſcrutatur Iacob, omnia perluſtrat, & nihil eorum quæ quærit, inuenit. Rachel percipiens qua curioſitate pater idôla perquireret, ne fortè illa inueniret, vt vidit eum tentorium ſuum intrantem, cœpit illa, & ſub ſtramine texit camelorum. *Cumque intraſſet tentorium Rachelis, illa feſtinans abſcondit idôla, ſubter ſtramenta cameli, & ſedit deſuper.* Parentem præuenit, & ipſo quærente diligentior idôla abſcondit, atque ad maiorem facti diſſimulationem illis ſuperinſedit: patrem animat ipſa diligentia, & filiam accedens propius illam perſcrutaturus, reſpondet illa. *Ne iraſcatur Dominus meus, quòd coram de te aſſurgere nequeo: quia iuxta conſuetudinem fœminarum accidit mihi.* Annectit autem S. Textus. *Sic deluſa ſolicitudo quærentis eſt.* O diuinum planè myſterium.

Gen. 31.

XII. Idola noſtra ſub Chriſti Paſſione condemnemus.

Hoc omne diaboli ſtudium ſua in nobis idôla requirere, peccata, culpas, abominationes, Deique iniurias. Venit Chriſtum Iacob exploraturus. Ait D. Gregor. & prior illo D. Ambroſ. Nihil in Chriſto à diabolo fuiſſe inuentum. *Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quidquam.* O Domine, quot nos idôla habemus, quàm peccatis pleni ſumus. Optimum remedium. Abſconde illa ſub ſtramentis cameli. Quiſnam eſt hic camelus? D. Gregor. illum interpretatur pœnitentiam. Sed pro-

Iaia. 30.

poſito

poſito conuenientius, noſtrum denotat Redemptorem ex opinione Caietani. Quid illum cooperuerant? Crux, claui, verbera, vulnera, ignominiæ, & mors amariſſima. Illis te contege: hæc etenim omnia tibi ſunt conſecrata, teipſum abſconde ſub eius morte ac paſſione, & dices: *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Ita Gregorius. Tua Deo repræſenta peccata tegumentis illis cooperta, ſicque euades immunis, vt diabolus nec culpas examines nec inueniat. (Pſal. 31.)

Non inſignem de Iob locum taceamus: *In manibus abſcondit lucem*, &c. *annunciat de ea amico, quod poſſeſſio eius ſit.* Mors Chriſti lux eſt, illuminat enim cognitionem, & noſtrarum culparum grauitatem: cum liquidò videamus illas Chriſto mortem intuliſſe: Porrò lux eſt abſcondita, oportet eam ipſe manifeſtet: nec enim lux ſufficit ſolis, quæ lux eſt cognitionis naturalis: nam ad hoc ſignificandum obſcuratus eſt ſol Chriſto patiente. Illam amicis ſuis reuelat, ipſis myſterium declarat & aperit prodigium *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Et quid illis, obſecro, manifeſtat? *Quod poſſeſſio eius ſit.* Ecce in quem finem illam operatus ſit, non ſibi ſed vt eam tibi daret diuiſſimum poſſeſſionem: eſt etenim lux abſcondita. (Iob. 36. 32.)

Hic optimè quadrat D. Hilarij doctrina. *Sancte & beate Patriarcha Iacob, quid eſt iſtud, quod imbecillum oras, quod ab infirmo expectas? An hunc enim benedictionum rogas complexu tuo validior eludis? A geſtis corporis tui mentis tuæ opus diſſidet, aliud enim quàm agis, ſentis. Tenes in geſtis luctæ tuæ hominem infirmum, ſed hic tibi homo verus Deus eſt, non ex nuncupatione, ſed ex natura. Cum homine luctaris, ſed Deum faciè abſconditum vides. Non hoc oculis tui corporis cernis, quod viſu fidei tuæ ſentis. Infirmus ſecundum te homo eſt; ſed anima tua ſecundum viſum Deum ſaluata eſt.* Myſterium eſt inquit Paſſionis Chriſtus Iudæis inferior, quem condemnant, quem occidunt cui vitam adimunt Deicidæ. Porrò ſuperiorem cernit illum. Iacob ſuperiorem illum cernit anima luce fidei; non omnes hoc capiunt, myſterium eſt abſconditum: videtur perfidiis, & amicis ſuis quid ſit euidenter exponit: *quod poſſeſſio eius ſit.* (D. Hil. lib. 12. de Trin. Gen. 32.)

§. 9. *In hac paſſione Thymiama reperitur, quod nobis reliquit miro artificio confectum quo pectus Patris æterni mitigetur.*

NVnc clarè cognoſces quantum fuerit donum illud quo Pater æternus nos diuites effecit, ſuum nobis tribuendo filium, vt pro noſtra ſalute moreretur, & quàm euidenter & congruenter hoc munere dilectionis ſuæ probauerit eminentiam: de quo teſtatur ipſe Dominus Principem inſtruens Synagogæ Nicodemum, in hæc verba. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Admirantur omnes ſollicitudinem curamque qua Dei amor media inquiſiuit, quibus furor illius iraque ſedaretur (ſi fari ſic liceat) quotieſcumque illam homines peccatis ſuis culpiſque irritarent. Noxa erat illi naturalis noſtra malitia, & refractaria natura, quodque ſingulis horis diuinam iuſtitiam prouocemus, vt contra nos exacerbata nos diſperdat; ipſe media proponebat, & diſponebat, quæ pectus mitigarent, cordiſque ſui in tali tempore commotam placarent indignationem. Illo fine iam à temporibus Noë præparauit arcum cœli, clementiæ ſuæ ſtatuens illum indicium, quatenus, ſi ſemel eum homines eo vſque prouocaſſent vt mundum diluuio demerſerat vniuerſum, aliàs idem non faceret, eſſetque arcus illi cœleſtis furoris ſui frœnum quoddam coercitiuum, & iræ pacificatiuum. *Hoc ſignum fœderis do inter me & vos*, &c. *Arcum meum ponam in nubibus cœli*, &c. *eritque arcus in nubibus, & recordabor fœderis mei*, &c. *Et non erunt vltra aquæ diluuij.* (19) (Ioan. 3. 16.) (I. Deus anxiè quæſiuit modũ quo nos iram eius mitigemus.) (Gen. 9. 13.)

Inter alia ad cordis ſui diſpoſita placationem, quotieſcumque grauioribus homines illud ſceleribus irritarent, eminent paſtilli illi odoratiſſimi, quos vocauit Thymiama. Hæc Deus Moyſi præcepit: ſume tibi diuerſarum ſpecierum aromata quaſi diceremus, ſtacten, calamum, incenſum, cinnamomum, nucem myriſticam, &c. eaque ſint mundiſſima, & ab omni fœce expurgata: hæc omnia diligenter commiſce, atque ex illis maſſam compones, *opere vnguentario, de aromatibus mundiſſimis. Facies Thymiama mixtum diligenter & purum & ſanctificatione digniſſimum.* Septuaginta legunt. *Mixtum purum opus ſanctum.* Qua Domine intentione? *Cumque in tenuiſſimum puluerem vniuerſa contunde-* (II. Thymiamatis compoſitio.) (Exo. 37. 29.)

*contuderis, pones ex eo coram tabernaculo teſtimonij, in quo loco apparebo tibi.* Illudque intendes ſit autem vnguentum hoc tanti pretij, vt illud tibi ſit tanquam ſanctiſſimum, & totius origo ſanctitatis. *Sanctum ſanctorum erit vobis Thymiama.* Et quid inde fiet? quod ex eo proueniet emolumentum? Expoſuit hoc Moyſes iam mundo valedicens: ſcilicet vt eius fragrantiâ Dei pectus mitigetur, indignatio ſedetur, furorque ob
Deut. 33. 10. peccata commotus temperetur. *Pones thymiama in furore tuo.*

Sap. 18. 21. III. Eius effectus. Ita res exemplo patuit in actu illo ſtupendo, teſte Spiritu Sancto quem vt talem expendit ſapientiſſimus Salomon. Populus hic duræ ceruicis in Moyſen & Aaron ſurrexit lapidibus eos præfocaturus vt ſibi fugâ conſulere, & in tabernaculũ ſe recipere debuerint. Sic in ira ſua Deus excãduit, vt illis iuſſerit: *Recedite de medio multitudinis, etiam nunc delebo eos.* Ignem immiſit Dominus adeo vehementem vt eos tali ſuccenderit furore, ac ſi palea fuiſſent aridiſſima. Vidit hoc Moyſes, & miſericordiâ motus, amore erga populum feruens & pietate, tantũ non ferens incẽdium Deiq; ſupplicium, Aarõnem alloquitur. Eia frater cito, velociter, iã hora eſt, Deum placere ſatage. Qua ratione ſume thuribulum, atq; in eo pone thymiama, Deiq; ſiſte indignationem;
Num. 16. 47. iram pacifica, cordiſq; mitiga cõmotionem. *Cum feciſſet Aaron & cucurriſſet ad mediã multitudinem, quam iam vaſtabat incendiũ, obtulit thymiama, & ſtans inter mortuos, & viuentes, &c. Et plaga ceſſauit.* Quid hoc Domine mi? quænam illæ ſunt inuentiones? An fortè tibi corpus & ſenſus ſunt materiales, atque olfactus, qui bono odore reficiatur, malo verò offendatur? An tibi cor ſimile nobis, in quod operetur bonus odor accenſus, & Spiritus eius vitales recreet? Quænã hæc præcautio, quã mandas, vt coniungantur ſpecies aromatum fragrantiſſimæ, ſintq; hæ ſupra modum limpidiſſimè? Quid tanti refert vt earum mixtio fiat diligentiſſimè? *Diligenter.* Quid inde fieri poteſt quod tibi ſit odoratu gratiſſimum? *Thymiama ſuauiſſimum*, tantique pretij mundo, vt hoc vocari velis *Sanctum Sanctorum.* Verbum
Li. qq. in Exod. q. 137. hoc per tranſennam perpendit D. Aug. Hoc verbum *Sanctum Sanctorum*, tranſferunt Septuaginta, *Sanctitatis Sanctitatũ.* Quod iuxta vim phra-
IV. Cur dicatur Sanctum Sanctorum. ſis Hebraicæ ſignificat Sanctitatem, quæ in ſe comprehendit omnes ſanctitates, & ex qua omnes illæ dependent. Quomodo igitur fieri poteſt Domine, vt tales iſte ſit orbiculus aromaticus? Si ipſe in ſe non ſit capax ſanctitatis, quantò minus in ſe comprehendere poterit omnes ſanctitates? Et quantò minus earum cauſa eſſe & principium? Et quid cauſare aliquid purè materiale? Hic tibi conſtabit Dei intentionem in hac non cõſiſtere aromatica compoſitione, ſed quod vlterius progrederetur in illa ſignificans, & per illam, cæleſte myſterium, quod præ manibus habemus: etenim nos præmonuit Apoſtolus, vt hæc legentes, illa ſumamus vt vmbras & ſymbola myſteriorum, quæ veniens in mundum eſſet operaturus.

An quid ſimile ſymbolum vnquam vidiſti 20
Dominicæ Paſsionis expreſſiuum, diſpoſitæ, præparatæ, quaſi paſtillus eſſet aromatum ſuauiſsimus, quo commotum noſtris ſceleribus Dei pectus mitigetur; & iuſta deferueat indignatio, quam in illo noſtrarum excitat culparum enormitas. Componitur ex omnibus ſpeciebus ſuaue fragrãtibus virtutum, non quarumlibet, ſed limpidiſsimarum ac mundiſsimarum: etenim omnes hic refulgent formoſiſsimæ & in ſummo gradu perfectiſsimæ, atque heroïcæ, nullo alicuius imperfectionis arguendæ veſtigio, nullo inquinatæ defectu quales noſtræ admittunt frequentiſsimos: iuxta illud Iſaiæ: *Sicut pannus* Iſai. 64.
*menſtruata vniuerſa iuſtitia noſtra.* Eo fine, vt alias expendemus, SS. declarant nonnulli illa Tract. 3.
verba Dauid quibus Dominum hunc alloquitur in Pſ. 109.
paſsionis ſuæ, pœnarum, mortiſque crucis torrente demerſum. *Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus Sanctorum.* Diem paſsionis eius inſcribit diem virtutis: quia in illa & per illam triumphum egit de diabolo, eius euertit imperium, peccati vires eneruauit, mundum redemit, mortis potentias ſubegit inuincibiles, portas confregit inferni, repagula vectéſque cæli reſerauit. *Tunc* (ita D. Chryſoſtom. propoſito D. Chryſoſt.
noſtro inhærens) *mors abolita eſt, maledictum* Hom. 11.
*perijt, dæmones confuſi ſunt & de iis triumphatum eſt, chyrographum cruci affixum.* Quod ſi in Ioan. Tom. 3.
obieceris (inquit ille) effectus hos fuiſſe inuiſibiles, alia patrauit oculis viſibilia, quibus virtutis ſuæ declarabat omnipotentiam; quænam hæc? repetamus D. Chryſoſt. *Verum cum ſenſu ipſo viſui hæc non deprehenderentur, etiam corpora ipſa vnigenitum Dei filium totius naturæ Dominum certiſſimè demonſtrãrunt, Quippè cum primum ſanctiſſimum corpus cruci affixum eſt, ſol radios abſcondit, vniuerſa terra concuſſa, & tenebris operta eſt, ſepulchra aperta ſunt, & mortuorum multitudo ſurrexit, & ciuitatem ingreſſa eſt, &c.*

Eſſentiæ ſuæ diuinæ pondus oſtendit (inquit D. Hil.
D. Hilarius) *Nam terra contremuit ad onus Do-* L. 3. de
*mini in ligno.* Quæ verba licet ſuperius aliqua- Trinit. ...

liter diuersè explicauerimus, hic ſenſus eſt eorũ legimus, quo teſtari vult Dominus diuinæ Chriſti naturæ magnitudinem contra Arianos. Tu videris an non meritò dies hic dicatur dies virtutis eius. In hoc die, Domine mi, pſallit Dauit, oſtendiſti in te ſplendores Sanctorum. *In ſplendoribus Sanctorum.* Legunt alij: *In ſplendoribus ſanctitatis* q. d. Hic radiis effulſiſti ſanctitatis, cruci confixus fuiſti, velut ſol, qui in altiſſimis cœlorum conſiſtens, radios euibrat clariſſimos, quibus mundum illuminat vniuerſum. Quid innois? An non Chriſtus in paſſione ſua calumniis, ſputis opertus & opprobriis? Cui ſi Herodes veſtem iniecerit candidam, teſſeram regiæ vel dignitates ambientium, numquid non hoc fecit illuſoriè? Quem ſi Pilatus purpurâ veſtierit, pallio regali quis neget hic interueniſſe ſubſannationem? In cruce exaltatus, ſic apertè omni ſpoliatur gloria claritatis, vt oculos eius ipſa videamus tenebris inuolutos, ipſoſque cum tota facie congelato ſanguine coopertos, quem ſpinæ capitis emunxerunt, ac corpus eius dolorum pœnarumque ſpectaculum? Non abnuo; veruntamen in his nubibus, & per illas euibrat, aperit, & manifeſtat radiòs veræ lucis virtutum clariſſimos, de quo melius, quàm de ſummo Sacerdote Onia dicere licet: *Arcus refulgens inter nebulas gloriæ.* Hic etenim earum ita manifeſta edidit indicia, vt omnes in gradu patefierent heroico. Charitas adeò inflammata, vt pro ipſis inimicis, & iis à quibus actualiter torquebatur deprecetur, & pro ſui crucifixoribus apud Patrem medius intercedat, vitam ſuam, ſuumque offerat ſanguinem: tanta erga Patrem æternum pietas animique ſubmiſſio, vt propriam voluntatem animamque libens eius commendet manibus conſignetque voluntati: patientia ſic integra, quæ nec verbum proferat taciturna querimoniæ: humilitas ita profunda, vt cruci confixus caput deuotus inclinet: manſuetudo ſic æqua ac temperata, vt os ſuum in tortores ſuos comminator non aperiat: Magnanimitas ita generoſa, vt tot doloribus, pœnis, & iniuriis oppugnatus, numquam animum oſtenderit deiectum, nec lacrymam tædio affectus effuderit, nec earum intuitu in querelas proruperit: liberalitas ita profuſa ac ſingularis, vt promus cordis viſceribus latentem ſanguinem elargiatur. O Domine, quàm perfectè munere fungeris præceptoris de cœlo miſſi nos inſtructuri, nos docturi, non numeros Arithmeticos, non Metaphyſicam, non Aſtrologiam, de motu curſuque cœlorum, planetarum & ſyderum, ſed quod nobis maximi

V. Paſſio ſua Chriſto fuit ſplendo- rum Sanctorum.

Eccli.50.8

referebat, vt cœlos ingrederemur, ſtellas calcantes, noſtriſque pedibus ſubſternentes, vt Domini ſimus diuitiarum Dei locupletiſſimi. *Ego Dominus docens te vtilia.*

Hæc eſt illa materia virtutum, quam nedum verbo auribus præceptor inſtillaſti: nam per hoc tuo videbaris muneri ſatisfeciſſe, ſed illam operibus oculis ad exemplum confirmaſti: ita vt ſi veniente te nobis Pater iniunxit: *Ipſum audite,* non incongruè diximus te moriente *ipſum videte.* Radios inſpice virtutum præcellentium. Eia faſtuosè, qui tua turgidus ſuperbia ad ipſa lunæ cornua temerarius aſcendis, nec in mundo ſiſtis, attende humilitatem, quâ Dei celſitudo ſtipiti confixa probroſo exſpirat. Auri ſitientiſſime, cui primum hoc eſt & vltimum ſtudium, quo tibi congreges facultates, & viſcera tua pauperi concludas, liberalitatem hanc mirare ita profuſam, vt licet nudus, non tamen ceſſet à tribuendo venarum ſuarum cordiſque ſanguinem pretioſum. Vindictæ cupidiſſime, quem quodlibet exagitat verbum, bilemque commouet, hanc conſidera manſuetudinem, etenim inter tot tamque execrabiles calumnias, ignominias & opprobria non verbum taciturnus effatur. Victima veneris, cui hoc primum curæ eſt, vt luxuriæ carniſque tuæ placeas arrogantiæ, tam inuſitatam perpende mortificationem: nullum etenim corporis huius membrum vulneribus non ſaucium. Veneris idololatra, quem leuiſſima terret pœnitentia, ſuſpice, & hanc tam aſperam attende. Non enim habet vbi requieſcat, niſi noui doloris incremento: ſi namque caput inclinet, fortiùs ac profundiùs ſpinæ penetrant, ſi manibus vel pedibus conſiſtat, clauis diſcinduntur.

Isai.48.17

VI. Adhortatio.

Porrò nedum Deus ſtatuit vt in illo paſtillo ſuauiſſimo conuenirent omnes aromatum ſpecies, ſed omnes inter ſe miſcerentur. *Mixtum diligenter opere pigmentarij:* quò declarat mixturam, quâ omnes virtutes in Paſſione Saluatoris inter ſe collatæ præfulſerunt, & hoc neceſſariò ſequebatur cum eſſent adeo perfectæ: quæ namque tales ſunt, inter ſe miſcentur: hoc enim eſt quod declarant Theologi cum anteſignano ſuo D. Thoma: virtutes tantam inter ſe ſeruare vnionem & connexionem ſic vt non poſſint eſſe perfectæ niſi mutuo commiſceantur. O quàm præclara probatur hæc in illo diuino Thymiamate mixtura, vbi concurrit obedientia pietati, commiſcetur pietas humilitati, vnitur humilitas patientiæ, ſociatur patientia fortitudini, connectitur fortitudo manſuetudini, maritatur

VII. Omnes Chriſti virtutes inter ſe vnitæ fuerunt.

1.2.q.65. per totum.

manſuetudo generoſitati, & generoſitas comitatur mortificationem. Habes his orbiculum ſuaue fragrantem, aitque Deus, eſſe debere ſanctum, non taliter qualiter, ſed in gradu ſuperlatiuo *Sanctũ Sanctorum.* Omnes cōſentiunt hoc perfectè conuenire non potuiſſe huic materiali Thymiamati: nec enim in ſe vel atomũ habebat ſanctitatis, nec eam impertiri poterat, cuius capax non erat; porrò hoc eminentiſſimè cōuenit Paſſioni Saluatoris. *Erit Sanctum Sanctorum.* In Hebræo. *Sanctitas ſanctitatum*, quòd ſignificat primò: illam in ſe rem eſſe ſanctam in gradu ſuperlatiuo, & aliis quoque cauſam eſſe omnis ſanctitatis, ita vt ex ipſa tota pendeat ſanctitas Sanctorum: ideo hæc maximoperè quadrant Paſſioni noſtri Redemptoris.

Primum: fuit in ſe ſancta in gradu ſuperlatiuo, id eſt iuxta Philoſophos, *in ſummo*, quantitas enim illa dicitur in eo eſſe gradu (docet ſic Philoſophus) quando nihil habet de forma contraria: ſicut tunc calor dicitur eſſe in ſummo gradu, quando nihil habet frigoris, qualis ille eſt, quo ignis incaleſcit. Talis eſt Paſſio Chriſti in ratione ſanctitatis: quandoquidem, nec hilum quidem culpæ in ea reperiamus, licet eam per omnes partes conſideremus: vt Dominica Paſſionis diximus. Secundum: eſt etiam principium & cauſa omnis ſanctitatis Sanctorum: qualibet enim præfulſerunt Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Doctores, Pœnitentes & Virgines, omnis illa ex Domini procedit Paſſione: idcircò Dominus hic dicitur

Apoc. 13. 8 Agnus, qui occiſus eſt ab origine mundi.

☞ 22 IX. Prophetia de Chriſto. Hoc verbis præclariſſimis Deus expoſuit mittens Iſaiam nuntium ad templi Præpoſitum nomine Sobnam virum ad ſcelera natum, & tumore faſtuoſum, qui ſic ſe gerebat, quaſi Dominus eſſet templi Domini. Curre Propheta mi & dic homini illi Sobnæ arroganti, qui nulla ratione ſeipſum inaniter iactat; ſciat hoc, quod templo mea expellam eum, & velut pilam luſoriam excutiam vbi amplius non videatur & pereat. Verumtamen non ideircò mihi deficiet ſeruus in domo mea: ſeruum etenim meum eli-

Iſai. 22. 23. gam Eliacim *Dabo clauem Dauid ſuper humeros eius. Figam illum paxillum in loco fideli, ſuſpendam ſuper eum omnem gloriam domus patris eius, vaſorum diuerſa genera: omne vas paruulum a vaſis craterarum, vſque ad omne vas muſicorum.* Multa hic offeruntur dicenda, quibus myſticas explicemus Domini metaphoras; porrò extra quæſtionem eſt ad litteram hic agi de Chriſto Saluatore noſtro, idque tantò clariùs, quanto conſtat tunc temporis nullum vixiſſe Eliacim, in quo hoc impleretur, voluitque eo nomine ſignare Chriſtum: quia propriè hoc illi conuenit. etenim Eliacim ſignificat *Dei reſurrectio*, vel *Deus reſurgens.* Vt interpretatur D. Hieronym. & Leo Caſtrenſ. ingenioſè proſequitur: & hic eſt Chriſtus qui reſurrectione ſua ſe Deum aſſeruit, de quo ſic Apoſtolus. *Chriſtus reſurgens ex mortuis.* Hunc (inquit Pater cœleſtis) figam paxillum in loco fideli, id eſt ſecuro, ne confringatur, ne collabatur. Quis ille locus, niſi crux?

*Crux fidelis inter omnes*
*Arbor vna nobilis.*

Huic illum affixit. Vim verbi perpende: non dixit ſtatuam, ponam, ſed figam illum. Numquid vti poteſt verbo clariori, quo præſens exponat myſterium? Ne timueris caſurum, aut confringendum; aut deſcenſurum, quantumlibet obnixè hoc ab eo poſtulent inimici. *Si Filius Dei eſt, deſcendat nunc de cruce.* O Chriſtiane, tibi namque mundus deficiet, voluptas, excidet de manibus, bona excident, ſpes te ridebit amicorum, verbis ſuis fallaces non ſtabunt, vita tibi terminabitur, & tandem ad eas te lugebis reductum anguſtias, vt omnes, tibi verba dare, & mentiri cognoſcas: tunc loquendò tibi conſtabit verum eſſe illud Hieremiæ vaticinium, terrena aliud eſſe nihil præter *Mendacium aquarum infidelium.* Illos compara fontibus doloſis, qui tempore neceſſitatis exareſcunt: non enim fluunt, aut aquas largiuntur niſi dum pluuiæ decidunt copioſæ: verumtamen nunquam tibi Chriſtus deficiet crucifixus in loco fideli. Si ad illum infirmitatibus, angoribus & aduerſitatibus, in vita & morte confugeris, ſemper adſtat dilatatis brachiis paratiſſimus. *Extendit brachia ſua in cruce* (ſic nos ſolatur D. Aug.) *& expandit manus ſuas in amplexus peccatorum.*

Ex hoc ſuſpendet, inquit, omnem domus Patris gloriam, omnem eius ſupellectilem, vaſaque omnia, & magna & exigua. q.d. De Paſſione Chriſti, eiuſque cruce ſanctiſſima tota dependet gloria beatorum, & omnis poteſtas Eccleſiæ: fides Patriarcharum, ſpes Prophetarum, charitas Apoſtolorum, fortitudo Martyrum, ſapientia Doctorum, puritas Virginum: Hinc omnes dependent iuſtorum virtutes, omnes gratiæ donaque Sanctorum: etenim nemo poteſt nec dragma conſequi gratiæ, nec fauoris cœleſtis atomum, niſi huic ſanctiſſimæ innitendo Paſſioni. Proſequitur illud eleganter D. Hieron-

Hieron. Numquid non merito crux illa & paſſo vocatur *Sanctum Sanctorum*: In quem igitur Domine mi, finem hic paſtillus ordinatur? qua ratione mihi illum aſſumam? Vt habeas quo Deum tibi places iratum, & iuſtam eius ex peccatis tuis commotam mitiges indignationem. *Ponent Thymiama in furore tuo*, prædicit Moyſes. Et qua, precor, ratione ſtatuent? Comminuatur, & in puluerem hæc aromata collidantur, & igni ſuper altare iniectis, fumus aſcendat fragrantiſſimus? etenim omnem Dei ſedare poteſt indignationem Eximio applaudite myſterio. O Sacramentum ineffabile.

IX. Christi Passio per [illegible] partes conſideranda. Hunc ſume tibi paſtillum, illum minutiſſimè contunde mentis tuæ conſideratione: non tibi ſufficiat illum in communi, & pro maiori parte diuinis offerre cōſpectibus, ſed illum confringe, contere, & minutim ſeu ſingillatim perpende, qualiter timore, tœdio, & pauore abreptus in hortum ſecedat Patrem oraturus, cuius tanta ſit cordis agonia, vt ſudorem emittat ſanguineum, nec habeat triſtis animæ conſolatorem, nec fidelem in paſſione comitem, imò nec in ipſis ſibi maximè familiaribus Petro, Iacobo, & Ioanne: nam dum mortali laborat mœſtus agonia, lethargicâ dormiunt inconij ſocordiâ: qua ratione venerint apparitores illum capturi feroci ſtrepitu, armiſque terribiles, quaſi latronem prædonemque indagatum acquiſſimum: nec non qualiter omnes ſuſcipere in nullo à veteri patientiæ ſtatu immutatus, oſculum accipiens perfidi illius & apoſtatæ diſcipuli Iudæ proditoris. Meditare quomodo capiant eum & laqueis nodoſis innectāt, quibus illi brachia conſtringantur: animo reuolue quanta trahant eum confuſione & anguſtia pro diabolica ſua peruerſitate: domum Annæ ingredere, & attende quomodo deſpectui habeat illum inueteratus ille dierum malorum Pontifex. Conſidera illum in ædibus Caiphæ coram toto concilio, vbi omnes vt rugientes leones in eum inſurgunt, &c. Meditare illum in cruce ſuſpenſum, labia præmortua, linguam aridam, oculos obnubilatos, caput deciduum, manus transfixas, pectus hians & apertum. Hoc Hebr.12.3. docet nos faciendum Vas electionis: *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſum ſemetipſum contradictionem*. Non ſimpliciter ait: *Cogitate*, ſed *Recogitate*: quod eſt ſemel & iterum, vno & alio modo ruminari. O qualis hic mentium: vade age, diuinum hoc diſcute, Pſ.47.14. Thymiama. *Venite corda veſtra in virtute eius & diſtribuite domos eius*: hortabatur nos Dauid: progredere de manu ad alteram, euolue eum de capite ad pedes. Hac pia conſideratione ſuccendatur in altari cordis tui erga illum amoris ignis ardentiſſimus, dolorque viuus, & amara ſcelerum tuorum contritio, quæ horum omnium eſſe cauſa deprehenduntur. Dauidem imitare: *In meditatione mea exardeſcet ignis*: & Pſ.38.4. inde ſurſum aſcendat vapor feruentis orationis, quæ fiduciâ conſtant æterno Patri dedices caput illud ſpinis coronatum pro tuæ ſatisfactione ſuperbiæ: ſanguinem illum effuſum pro tuis impudicitiis, os illud felle potatum pro tua carnis ingluuie: manus illas tranſfixas clauis pro petulanti tua libertate: pedes illos harpaginibus transfoſſos pro tui pectoris arrogantia. Omnes illi hos offer cruciatus, non enim pro ſe paſſus eſt illos, ſed pro te, ipſoſque tibi conſignauit, vt illi tibi forent emolumento, & in peccatorum cederent remiſſionem: vt meritò poſſis dicere, hos omnes tuos eſſe, & omne ſanguinis eius pretium tibi communicari. O quam efficax vapor hic, quò pectus Dei ab ira temperetur.

Subtiliter & vtiliter docuit nos D Auguſtin. hoc pietatis exercitium in eo quod ipſe faciebat Patri diuinum hoc offerens thymiama verbis ſibi propriis, quæ ſingula hic adſcribemus, vt illa tua facias, ex eius ore deſumens, à te proferenda. *Aſpicie pie Pater, piiſſimum filium* D. Aug. *pro me tam impia paſſum. Reſpice clementiſſime* Lib. Me- *Rex, qui patitur, & reminiſcere benignus pro* dit.c.6. *quo patitur*, &c. *Cerne manus innoxias proma-* & 8. *nantes ſanguine, & remitte placatus ſcelera, quæ* Tom. 9. *patrauerunt manus meæ. Conſidera inerme latus crudeli perfoſſum cuſpide, & renoua me ſacro fonte, quem inde credo fluxiſſe. Vide immaculata veſtigia, quæ ſemper ambulauerunt in lege tua diris confixa clauis, & fac me odio habere omnes vias iniquitatis. Attende pie Pater, filij* X:I. *Charisſimi caput niuea ceruice deflexa pretioſiſſimam reſolutum in mortem. Candet nudum pe-* D. Augu- *ctus, rubet cruentum latus, tenſa arent viſcera,* ſtini pia *decora languent lumina, regia pallent ora, pro-* de Paſſio- *cera rigent brachia, crura pendent marmorea, ri-* ne Medi- *gat beatos pedes beati ſanguinis vnda. Specta glo-* tatio. *rioſe genitor gratiſſima prolis lacerata membra, & memorare benignus, quæ mea ſubſtantia. Conſpice Dei hominis pœnam, & relaxa conditi hominis miſeriam: vide Redemptoris ſupplicium, & redempti dimitte delictū. Ecce ſpes mea & tota fiducia mea: ſi me pro mea, vt dignū eſt, deſpicis iniquitate, reſpice*

*me ſaltem miſericors pro dilectæ ſobolis charitate. Attende in filio, quod propitieris in ſeruo. Vide carnis Sacramentum, & remitte carnis reatum. Quoties tibi beata prolis patent vulnera, deliteſcant obſecro ſcelera mea. Quoties rubet pretioſus de latere ſanguis, diluatur obſecro, labes mea pollutionis.* Conuenit optimè ſapientiæ & Spiritui
Cap. 8. P.M.Fr.Ludouici Granatenſis argumentum huic noſtro opportunum, noſtram quo ponderat ſortem, veterum illorum patrum multo feliciorem, qui ad placandam Dei iram agnos illi dedicabant & vitulos: & iudicabant medium hoc eſſe maximi momenti, Deoque ſummopere placere, ſi in orationibus ſuis merita proferrent trium illorum Patriarcharum Abraham, Iſaac & Iacob, quorum nominibus vſus eſt Moyſes quo Dei furorem ob adoratum vitulum, mitigaret. Nos autem habemus quæ offeramus vnigeniti filij Dei merita infinito valore pretioſa qui nobis ea vt noſtra forent conſignavit, &c.

§. 10. *Tandem adeſto gratus, ſitque tibi Chriſtus crucifixus liber memorialis, illo dignior, quem Perſæ circumferebant.*

24 HInc tandem procedat officioſa gratitudo, feruenſque deſiderium tam immenſo reſpondendi beneficio, & nedum ſupremo illo ſeruiendi benefactori perpetuò, ſed etiam pro illo patiendi; dicendique cum Dauide:
Pſal. 115. 12. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam.* Notandum illud *Pro omnibus*, & hoc *Mihi*. Omnia mihi dedit in particulari, omnia pro me paſſus eſt in particulari: pro omnibus illi teneor ego in ſingulari. Quò tantum ſoluam debitum? Quò tam infinitis ſatisfaciam beneficiis? Quibus amaris adeo cruciatibus pro me toleratis ſatisfaciam? Veniat Domine, calamitas, irruat ſuper me diſciplina, dolores adſint & ignominiæ, concede vt pœnarum tuarum & tormentorum calicem ebibam. *Calicem ſalutaris accipiam. In omnibus*
D. Aug. In Manu. c. 22. To. 9 *aduerſitatibus* (teſtem adfero D. Auguſt.) *non inueni tam efficax remedium, quàm vulnera Chriſti. In illis dormio ſecurus, & requieſco intrepidus. Chriſtus mortuus eſt pro nobis. Nihil tam ad mortem amarum, quod morte Chriſti non ſanetur.*
Eſther 6. 1. Vt laudabilem & prudentem aſſero Monarchatum Perſidis conſuetudinem: qui cum ſa- Perſarum pietiâ eſſent præſtantiſſimi, morem colebant verè dignum, quem omnes Reges ac Principes conſortes imitentur. Libros componebant ſeu diaria in quibus ſigillatim conſcribebant obſequia ſibi à ſubditis præſtita. Tali die talis miles in tali itinere ſeu occaſione tale præſtitit obſequium. In tali occaſione talis adeo prudens ſanumque dedit conſilium &c. Et quotieſcumque hæc euoluebant & repetebant, & de ſingulis aliqua recurrebant, interrogabant quid mercedis pro tanto ſeruitio retuliſſent. Sic narrat Spiritus Sanctus ab Aſſuero Rege frequentatum: cum enim illi Mardochæus eximiû præſtitiſſet obſequium, quo vitam illi contra nonnullos proditores Regique inſidiatores ſaluam conſeruauerat: ilico litteris & memoriæ mandauit, & elapſis poſtmodum diebus aliquot librum euoluens illudque rememorans, percunctatur: *Quid pro hac fide honoris ac præmij Mardochæus conſecutus eſt?* Reſpondetur: nullum Domine mi; Magna hic commiſſa eſt negligentia, inquit Rex: præclaris tanta compenſemus obſequia beneficiis, tantoque exaltetur fauore vt locum obtineat in regno meo primarium. Sic illis mos erat, ſic Aſſuerus fecit, ſic agendum iis omnibus qui ſe nobiles iactant & generoſos: ſed ſuper hos omnes tibi hoc incumbit Chriſtiane, quem Chriſtus ad tantum euexit gradum dignitatis, quo tibi conceſſit vt vocateris, eſſeſque filius Dei, nec non pleno ore vocare illum poſſes Patrem tuum. Tam omnem Dei memoriam abiecisti, quam memoria retines homines, & terrenorum recordaris, quorum vtinam memoriam perdidiſſes. Ad hoc tibi neceſſaria non ſunt diaria memoriæ ſubſeruientia: in illâ etenim occaſiones lucri tui & commodi retines, honoris tui & incrementi: quinimo & iniuriarum atque conuiciorum quibus ab altero te læſum numquam obliuiſceris. Porro quam nullam habes beneficiorum memoriam, quibus te Deus præuenit abundanter.

Quantum intelligo David hæc animo perpendens quaſi conqueritur quòd tui ſic Deus recordetur. *Quid eſt homo, quod memor es eius?* In Hebræo legitur *Enos* quod Euſeb. Cæſarien. interpretatur Obliuioſus. Domine fierine poteſt, vt ita recorderis eiuſque memoriam habeas perpetuis cum beans beneficiis, qui tui vix vllam habet memoriam, ſic vt nullius minus quàm tui recordetur? Eia Chriſtiane opus tibi eſt diario beneficiorum Dei, vt dignis ei reſpondeas obſequiis. Et quamuis tota mundi non ſufficeret charta, quâ cuncta inſcribas ſingillatim, ſicut D. Ioan. dixit de miraculis Chriſti, per legeſſa compendioſè in paſſione, cruce & morte con-

ſcripta

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſcripta Saluatoris. Liber hic eſt, quem perpetuô D. Paulus euoluebat, & alium neſciebat. *Non enim iudicaui* (ſic ſcribit) *me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum & hunc crucifixum.* O quàm eximias pandectas hoc in libro reperies: diſcurre à capite ad pedes, perlege quidquid in illo eſt, quidquid agit, quidquid loquitur, quidquid patitur, totũ tuo cedit emolumento. Quam conueniens eſſet, vt librum hunc diligenter euolueres, & ſingulis rite perpenſis interrogares. Quid pro hac fide honoris ac præmij conſecutus eſt Chriſtus? Quid pro hoc beneficio gratis rependi, quo ligari voluit, vt me peccatorum vinculis abſolueret? quid, quo flagella ſuſcepit, ſura mea exſoluendo? Quid pro ſpinis quibus caput ſuum paſſus eſt coronari, vt me gloriæ diademate coronaret? Quid in recambium purpurei ſanguinis quem effudit in culparum mearum lauacrum? quid retribui pro morte adeo moleſta, quâ vitam mihi tribuit ſempiternam? O quàm paucas huius libri pandectas inuenies obſequiorum recambio rite perſolutas! O quam graue eſt huius libri debitum, & quàm nullum creditum. Te deprecor, vt aliquod mihi deſignes opus, quod poſſis in medium proferre remuneratorium? ſi vſque modo ſemper recipiſti: nunc ſaltem à modo repende: ſi vſque modo diligentia torpuerit, nunc à modo tuam excita memoriam, taliſque vigeat gratitudo quæ defectus ſuppleat præteritos cunctaſque negligentias.

1.Cor.2. II.

Chriſti paſſio vt liber memorialis ſemper meditāda.

§. 11. Hymno dictô exierunt. *Abſolutâ cœnâ cecinit Chriſtus magnum* Alleluya: *cſtio ſiet hac ita inſolita, vt nobis eſt myſterioſa.*

☞ 15 ABſolutâ myſticâ illa cœnâ, qua Chriſtus agnum concluſit legalem, & finem multiiugis impoſuit ſacrificiis antiquorum, atque legis obſeruantiis, vt ſol fulgidiſſimus tantaſque varias diſſipans tenebras lucis ſuę diuinæ radiis, cum iam ſacroſanctum inſtituiſſet Sacramentum ſecurum verumq; amoris ſui pignus, quo alius non poterat, nec vnquam mundus viderat: quandoquidem in illo verè ac realiter ſeipſum dederit, ſuamque carnem in cibum & ſanguinem in potum, oſtendent quantopere deſiderârit vnici imo viſceribus ſuorum intimis incorporari: deinde cum Apoſtolos ſuos ſacerdotes & Epiſcopos ordinaſſet, vt ineffabile illud Sacramentum & venerabile myſterium numquam finiretur, ſed ſemper in Eccleſia ſua ſeruaretur inuiolatum, per hoc illam vt ſponſam ſibi chariſſimam ita locupletem efficiens, vt nec ipſum cœlum Empyreum nec ipſe gazas habeat in theſauris ſuis ditiores, ſcribunt SS. Euangeliſtæ. *Hymno dicto: Egreſſus eſt Ieſus trans torrentem Cedron, in montem Oliuarum, in prædium quod dicitur Gethſemani, vbi erat hortus, in quem introiuit ipſe & diſcipuli eius.* Circumſtantiæ ſunt hæ tales, quas cum Spiritus Sanctus ſingulari notârit ſtudio, & calamo ſuorum conſcripſerit ſecretariorum, ne nos illas leuiter pertranſeamus: etenim grauiſſimis ſcatent illæ myſteriis.

Prima circumſtantia hæc eſt: *Hymnô dictô:* Eſtque hæc adeo myſtica vt eam Euangeliſtæ notauerint D. Matth. & D. Marc. eamque ſtatuant vt caput & principium Paſſionis eius: & ſi iuxta qualitatem corporis eſſe debet & qualitas capitis, cum corpus Dominicæ Paſſionis inter altiora & grauiora cenſeatur myſteria ſapientiæ & omnipotentiæ Dei, abſque dubio præclaris debet caput hoc ſcatere myſteriis. Singulari ſtudio perpendunt SS. Patres quid propriè ſit hymnus, & quidquid de eo dici poteſt comprehendit D. Augu. opinatus eſſe canticum in laudem Dei: vt autem hymnus ſit, tria ſunt neceſſaria, vt ſit in laudem, & quidem Dei, & cum cantico. *Hymni laudes ſunt Dei cum cantico. Hymni cantus ſunt continentes laudes Dei ſi ſit laus & Dei, & ſi non ſit Dei, non eſt Hymnus. Si ſit laus & Dei, & non cantus, non eſt hymnus: habeat hæc tria & laudem, & Dei, & canticum.* Idem repetit D. Iſidor. ex induſtria tractans eandem materiam, & hinc concludit hymnum eſſe contrarium Threno: ille namque cantus eſt cum laudis alacritate, qualem decantârunt filij Iſraël demerſo victoque Pharaône perſecutore, illis ad littus ſaluis ſtantibus & erepris: hoc autem canticum eſt lugubre & triſte quale cecinit Hieremias ob mortem Ioſiæ Regis vrbiſque Hieruſalem euerſionem, Hoc ſuppoſito, dicendo *Hymno dictô*, rectè inferimus hac occaſione Chriſtum voce altiſona, expreſſa, & alacri ceciniſſe, quod tantò miramur ampliùs, quantò magis illi nouum eſt & inſolitum: quem licet ſæpius plorantem viderimus, ſuſpirantem, & ſpiritu infrementem, vt patuit in morte Lazari: verumtamen eum numquam aliquis vidit cantica cantantem hilaritatis, feſtiuique gaudij, niſi hodie.

*Matt. 26. 23.*
*Mar. 14. 26.*

I. Quid ſit hymnus.

*D. Aug in Pſ. 72. in princ. To. 8.*

*L. 1. Ethymolog. 36. & l. 6. c. 19 & l 1 de officiis Eccleſ c. 6.*

Pro certo confirmant plures moderni *a.* Auctores Dominum cantaſſe ſuauiter, dulciter & alacriter. Nec illi ſoli hoc aſſerunt, ſed etiam D. Chryſoſt. *b.* hoc dicit. *Gratias egit Chriſtus & Hymnum cecinit.* Et antiquus Poëta Chri-

*a Ioan. Suares in Matth. & Pet. Montan. in li.*

*bel. de Paſſio.* ſtianus Iuuencus, quem ſæpe commendat D.
Hieron. dixit.

b. *Ho.* 83. *Ex hinc cantato Sanctis concentibus hymno.*
*in Matth. ante med.* Notandum illud. *Sanctis concentibus.* q. d. Saluator cecinit cantica iubilationis, gaudij, laudiſq; Deo, non vanis gutturis concentibus, ſed com-
c *Contra Tryphon,* poſitis grauitate modulis, deuotis, excitatis cum virili maieſtate & ſanctitate Quinimo per hoc arbitratur D. Iuſtinus Martyr. *c* impletum Dauidis oraculum Pſ. 21. in quo clare, & omni re-
*Pſ.* 21. 23. mota larua metaphoræ de Chriſto loquitur *In*
*Lib.* 3. *cōtra Marcio.* *medio Eccleſiæ laudabo te*: quod Tertullia. legit: *Hymnum dicam tibi.* Hoc impletum eſt, inquit D. Iuſtin. dum Chriſtus hunc hymnum caneret, de quo teſtantur Euangeliſtæ, cum medius eſſet inter diſcipulos ſuos Cœnâ peractâ: & ſatis eſt conforme Græco textui quem nonnulli ſic legunt: *Et hymno cantato.*

II. *Quem hymnum Chriſtus cantauerit.* Quid autem Chriſtus cecinerit non omnibus conſtat, nec certo nouimus: plures arbitrantur ſex fuiſſe Pſalmos celebriores quos Hebræi vocant. *Magnum Alleluya* à Pſalmo 112. *Laudate pueri Dominum*, vſque ad Pſalm. 117. *Confitemini Domino, quoniam bonus.* Omnes enim titulum
*In Pſ.* 112. præferunt *Alleluya* Ita ſentit doctiſſimus Lyran. & notat notiſſimus Burgenſ. qui vtique inter Iudaicas enutritus ceremonias, illas optimè callebat. Aſſerunt hos ſex Pſalmos apud Hebræos cæteris fuiſſe nominatiores, quos maiori quàm reliquos ſolemnitate pompaque concinebant, quibus in tribus maioribus gaudij & feſtiuitatis ſolemnitatibus vtebantur. Illos erecti cantabant, præſertim nocte illa Paſchatis, nam cum agnum comediſſent omnes in pedes erecti magno gaudio & animi tripudio decantabant. Vt intelligo, opi-
a *Ho.* 83. *cit.* nio fuit D. Chryſoſt. *a.* & prior illo ſenſit hoc. Origen. *b* hymnum à Chriſto cantatum fuiſſe in
b *Tract.* 35. *in Matth.* gratiarum actionem abſolutâ cœnâ ſacramentali: prius cœnam perfecit legalem, comedens cum lactucis agreſtibus agnum cum Apoſtolis ſuis. Deinde ſurgens à menſa, pedes illis abluit, quò factò recubuit iterum, & cœnam inſtituit Sacramentalem, ſeipſum ſuoſque Apoſtolos communicans. In gratiarum igitur actionem, Deo Patri hymnum cecinit laudatiuum. Noſter Card. Caieianus opinatur cum Chriſto Apoſtolos ceciniſſe, & forſitan choraliter ſeu alternatim: nam Chriſtus in medio velut muſicæ director vnum attollebat verſum, & alium Apoſtoli: hoc enim (inquit) textus indicat Græcus, qui in plurali dicit: *Cum dixiſſent hymnum.*

☞ 26 *D. Chr-* Hinc elicit D. Chryſ. primò: ſtudium agendi Deo gratias ante & poſt cœnam, Saluatoris exemplo: cum ſuadeat æquitas illum vt auctorem alimenti, vitæque noſtræ recognoſcere: ipſum eſſe, qui diuinæ manus ſuæ largitate nobis illam adminiſtrat & ſuſtentat. *Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das illis eſcam in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam & imples omne animal benedictione.* Hinc argumentum ſumpſit illos reprehendendi qui ad menſam accūbunt Dei omnino immemores vt bruta animalia, illis comparandi quos Hieremias redarguit: *Effuſi eſtis quaſi vituli ſuper herbam*, & D. Iudas Apoſt. *Animales ſpiritum non habentes ſine timore ſemet ipſos paſcentes*, & peracto prandio ventreque repleto menſas deſerunt, nec ſemel ſurſum oculos attollunt tanto gratias agentes œconomo: & cum leges obſeruent vrbanitatis erga inuicem ſibi bene congratulari, ſolius Dei nec parum recordantur. *Audiant hec omnes qui quaſi porci cum iam comederint euerſà calcibus menſà, temulenti conſurgunt, cum agere gratias debeant, & hymnum à menſa decantare.*

*Hom.* 83. *cit.* *Tex.* III. *Gratiarum actio pro cœnam.* *Pſ.* 144. 5. *Hier.* 50. 11. *Iudæ* v. 10. 12. 13.

Secundò: colligit quanto ſtudio ſit huic incumbendum quando conuiuio intereſſumus Sanctiſſimæ Communionis. Chriſtus antequam ſacroſancto hoc pane veſceretur eumq; ſuis diſtribueret, quinimo ante eiuſdem conſecrationem, oculos ſuos ſurſum extulit ad Patrem ſuum cœleſtem benedixit illi & gratias egit *Eleuatis oculis in cœlum, gratias egit & benedixit*, &c. Et poſtmodum ita datâ opera gratias egit, vt quo perfectiùs eas rependeret, cum diſcipulis ſuis hymnum cecinerit. Per hoc ſatisfecit ei, quod iam prælibamus ex Pſalm. 21. qui ad litteram de illo loquitur ſecundum opinionem vt diximus D. Iuſtini Martyris & Tertulliani. Præcinit igitur David in illo Pſalmo. *Edent pauperes & ſaturabuntur & laudabunt Dominum, qui requirunt eum*, &c. Ecce quàm eleganter conuiuium deſcribat à Chriſto diſcipulis ſuis inſtitutum ferculi quò plenè ſatiarentur. *Edent pauperes & ſaturabuntur.* Quodque cor hilaritate demulceret, Deo repleret, vitam æternam tribueret, ad Dei laudes excitaret celebrandas: effectus ſunt hi Venerabilis Euchariſtiæ. *Laudabunt*, &c. *Viuent corda eorum*, &c. Quis dedit laudibus his initium? quis illas cum Hymno feſtiuo cantor præiuit? Quis eſſe debebat, niſi huius auctor myſterij, qui amore flagrans illum intonauit, aliiſque præiuit. *In medio Eccleſiæ laudabo te*, vel, *Hymnum dicam tibi.* Vides quid cui ſit officij, quando ſimili frueris beneficio paneque paſceris, quas referre debeas gratias tanto tamque tibi munifico benefactori, qui ſeipſum tibi tradidit & quid-

V. *Gratiarum actio poſt Communionem.* *Pſ.* 21. 27.

quid

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

D.Chryſost. quid locuples poſſidebat. Adeſt iterum D. Chryſoſt. *Gratias egit antequam diſcipulis dederat, vt & nos ab actione gratiarum inciperemus. Gratias egit poſtquam dedit, & Hymnum cecinit, vt nos quoque ſimiliter faciamus.* Cum Deo tibi familiariter conuerſandum & ante & poſt Communionē cognitio tibi neceſſaria eſt eius magnitudinis ante Communionem, tuæq; vilitatis deinde gratiæ ſunt referendæ; quia menſæ ſuæ te conuiuam admiſit; nec non tanto te dignatus ſit beneficio, totque gratiis cumularit ſuperabundanter.

V. Quando diſcedendum ſit à ſacro. Hinc tertiò colligit admoneri te, vt miſſam audiens non exeas completa ſacerdotis communione, ſed & aliorum expectes & orationem poſtremo canendam: hæc etenim (inquit) locum ſupplet Hymni quem Chriſtus abſolutâ Cœnâ decantauit. *Audiatis etiam quicumque vltimam myſterij orationem non exſpectatis.* Hinc addiſce quàm infinitum ſit hoc beneficium, quantum hoc donum quod nobis SS. hoc confert Sacramento, nam illud celebrat Chriſtus gratias referens Hymnis feſtiuis & canticis, & merito, vt per hoc noſtram ſuppleat ipſe negligētiam. Hæc eſt Dei voluntas vt illi pro collatis donis gratias agamus, cum vt verum Deum omniumque bonorum quæ recipimus auctorem agnoſcentes, conformiter illi quod per Pſalmiſtam regium declarat, quid ſit quod à nobis pro tantis beneficiis doniſque in cambium expoſtulet: non enim noſtrum requirit aurum, non argentum, non greges, ſed gratiarum laudiſq; ſacrificium. Pſal.49.7. *Deus Deus tuus ego ſum; non in ſacrificiis tuis arguam te, &c. Meus eſt enim orbis terræ & plenitudo eius, &c. Immola Deo ſacrificium laudis, &c. Inuoca me in die tribulationis eruam te & honorificabis me.* Hoc S. ſacrificio Deus honoratur: etenim illo proteſtamur eum omnis boni eſſe principium.

VI. Chriſtus pro nobis gratias agit... Maxima omnium beneficia Deus homini contulit in mundo factus homo: cumque tunc maiori vinculo gratiarum Deo gratus eſſe obſtringeretur, ſegniori Deum eo tempore ſtudio coluit inhumanus: idcirco Chriſtus gratias agit pro nobis infinitas noſtram ſupplens ingratitudinem.

In mundo naſcitur factus homo. O quale beneficium! ô quanta gratia! ſed lethargico tunc homines ſomno opprimebantur ingratitudinis Deique obliuionis. Sap.18.14. *Cum quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus Domine à regalibus ſedibus venit.* Eadem tempeſtate ſuos deſtinat Angelos laudes in altiſſimis Deo reſonantes: *Gloria in excelſis Deo, &c.* Viuit in mundo, prodit & ſua incipit dona manifeſtare illi conceſſa, ex eo dæmones eiiciens, à quibus dura premebatur ſeruitute, illum per diſcipulos ſuos illuminans, quos miſerat illi prædicatores. O quàm grande beneficium! Non eſt qui gratias illi referat: dominumque cognoſcat: ipſe Dominus noſtram ſuſcepit ſupplere negligentiam, prodit ipſe Patri cœleſti gratias relaturus. *In illa die exultauit Ieſus in Spiritu S. & reſpondens ait: Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, &c.* Luc. 10. 21. Matt. 11. 25. *Confiteor* (inquit D. Chryſoſt.) hoc eſt, *Gratias ago.* Sanctiſſimum inſtituit Sacramentum, præbet in eo, & per illud homini quidquid boni Deus poſſidet. Cum igitur donum ſit quò nullum eminentius, gratias requirit, quibus nullæ ſint ſuperiores. Anguſtæ nimis ſunt, quas referre poſſunt homines, imo & omnes Angelorum Hierarchiæ. Quis dignis & æqualibus gratiarum laudumq; reſpondebit obſequiis? Ille ſolus qui noſtram venit implere vacuitatem, & noſtrā ſupplere ſocordiam. Ecce quales rependat gratias. In medio Eccleſiæ hymnum dicam tibi. Talis gratitudo tali beneficio: talis forma laudandi numquam viſa, vt ipſe Dominus voce altiſonâ decantet ad talem doni methodum, quâ ſe Deus ſub panis fruſtuli ſpecie totaliter totumque tribuit.

Quæ gratiarum actiones non ſunt nobis rependendæ pro dono SS. Sacramenti tantâ nobis abundantiâ dati in cibum. Paſſim obuia eſt hiſtoria Ægyptiorum, qui vitulum vt Deum colebant, ex quo Iudæi ſumpſerunt anſam ſuum ſimiliter erigendi eumque adorandi. Vocabatur Serapis, Opinantur D. Clem. Alexa. & D. Aug. Lib. 18 de Ciu. c. 4. & 5. quod dum Ioſeph viueret in Ægypto appulit eo Serapis Rex Argiuorum, ibique diem clauſit extremum, tamque glorioſâ honoratus eſt ſepulturâ, vt illum in album retulerint Deorum.

VII. Quis fuerit Serapis. Etenim quò ſepelirent illum, arcæ incluſerunt indeque dictus eſt Serapis. *Seros* id eſt arca. Apis nomē erat illi, vnde dicebatur: *Arca in qua ſepultus eſt Apis.* Eum ſub figura tauri coluerunt, qui fertilitatem ſignat, alebant eum, & mortuo illo quærebant alium, eoq; modo memoriâ conſeruabant illum indelebili, eo honore quò venerabantur illum. Verumtamen rationi non videtur congruum, vt eò veniret Rex ille ab ipſis pro Deo venerandus. Iulius Firmicus, Ruffinus, Bar. Pier. Tom. 4 p. 520. Pier. li. 3. Hieroglyp. 25. lit. f. & alij, quos refert Corn. à Lapide, credunt, quod Ioſeph fuerit iſte Serapis, cui diuinos obtulerunt honores: quia fami ſeptennali prouidit abundanter, cibumque miniſtrauit, in vitæ ſubſidium: qua de cauſa à Rege mundi Saluator intitulatur. Ia. c. 41. Gen. ad fin. Honorant illum ſub figura Tauri,

qui-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

qui denotat victus abundantiam, eò quod tellurem aret, & ſtercore conſpergat, quod bobus opus eſt proprium, quò terra fertilis redditur & abundans. Vnde idem Moyſes illum deſcribit ſub figura Tauri, & vocârunt eum Serapis. *Sar* id eſt *Princeps* ἄπις Græcè eſt bos: q. d. *Princeps bos*. Sar nomen eſt Hebræum quod ſignificat *Princeps*. Ex quo cæteræ nationes hauſerunt vt eo nomine Principem compellent. Syri, Chaldæi, Arabes, Tartari, & hodie Franci: *Sire. Apis* nomen eſt Ægyptium, quod bouem ſignificat. Dominus hic Deus eſt omnium Primarius:
Deut. 33. 17. *quia non eſt alius Deus extra te.* Et ipſe nobis cibum prouidit in abundantia in SS Sacramento, & talem quidem vt ſine ipſo moriamur. Nunc igitur appende, quas gratiarum actiones, quæ laudum præconia Chriſto pro tali munere referre teneamur.

§. 12. Hymno dicto. *Chriſtus principium paſsioni ſuæ dedit, cantando: in amoris ſui ſignificationem, & myſterium illud operatur profundum quod D. Bernardus expoſuit.*

VEnerabilis Beda huic alium addit conceptum, dicens: Dominus hic Paſſionem ſuam inchoauit, cui principium ſtatuere voluit hunc cantum hilarem & feſtiuum, Patri ſuo æterno gratias agendo, quod iam hora appropinquaſſet, in qua pati morique debebat pro humani generis redemptione, atque ſeipſum in ara crucis in hoſtiam offerret: quatenus oſtenderet, quàm voluntariè ac libenter moreretur, quantaque voluptate paſſionem hanc aſſumeret. Sæpius hæſimus in probando & declarando Chriſtum hoc inter cætera tanquam primum fundamentum, ac Paſſionis ſuæ voluiſſe collocare principium, quòd eſſet voluntaria. Sic namque conueniebat vt in ipſo tantò magis eſſet meritoria, & in nobis tantò maiori digna gratitudine. Et extra dubium eſt, quin cum nemo potuerit Deo vim inferre, mors eius non idcirco acciderit, quia illam ei inimici voluerint inferre, ſed quia ipſe eorũ voluerit ſe tradere manibus occidendum. Ad huius confirmationem orditur cum cantico laudis & gratiarum actionis.

a Ho. 36. b Lib. 10. in ca. 30. Iſai. Paulo ſuperius expendimus *a.* ex D. Hieron. *b.* duas Iudæis fuiſſe cauſas ſingularis exultationis & canticorum. Prima antiqua in nocte illa quâ egreſſi ſunt de Ægypto; nam ingreſſi ſunt pede ſicco per mare, in quo Deus viam illis aperuit omnibus notiſſimam, atque inſequente eos Pharaône cum omni exercitu ſuo, ſuper illum Dominus aquas conuertit maris & mediis cum omni populô ſuo demerſit fluctibus: tunc etenim tantis erepti filij Iſraël periculis hymnum illum Domino cecinerunt. *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt.* Alia profertur quãdo aſcendebant feſta Paſchatum celebraturi, nominatim autem feſtum Agni Paſchalis, dum eius ſacrificium celebraturi aſcendebant Hieruſalem: incedebant enim cantando cantica laudeſque iubilationis. Hoc (teſte D. Hieron.) indicat Deus apud Iſaiam. *Canticum erit vobis, ſicut nox ſanctificatæ ſolemnitatis & lætitia cordis: ſicut qui pergit cum tibia vt intret in montem Domini ad fortem Iſrael.* Has binas occaſiones cernit Dominus iam renouatas, vel potius dicamus, nunc videt præſentem harum figurarum veritatem, & vmbrarum corpus: iam iter aggreditur per cruentæ Paſſionis ſuæ rubrum pelagus, quò populum ſuum liberet, & in ea atque per illam Satanam demergat omnemque eius infernalem potentiam.

I. Chriſtus cantat paſsionẽ ſuam.

Exo. 15.

Iſa. 30. 29.

Hodie iter incipit ad veri agni ſacrificium iam immolandi, nimirum ſui ipſius: ex vna & altera ratione voluit vt cum cantico ſolemni, & feſtiuo inchoëtur, atq; huic operi cœleſti principium cũ tam diuino cantico dedicetur. Quando Domine mi mundum hunc puerulus intraſti, ſiquidem Angeli cantârunt, tu tamen lacrymas fudiſti copioſas, vt cum Salomône Rege, & ipſe Rex natus dicere potueris: *Primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans:* Sic te contemplatus ſponſa tua Eccleſia.

Sap. 7. 3.

*Vagit infans inter arcta*
*Conditus præſepia.*

Iam tunc noſtras luxiſti miſerias, noſtras planxiſti calamitates, in illas ingreſſus; noſtram fleuiſti captiuitatem, quâ nos oppreſſos inueniſti, ob noſtras tu culpas doluiſti, quæ te confeſtim offenderunt, & noſtros tu ſenſiſti cruciatus. Ploraſti nos intuens mortuos, vt poſtmodum viſo Lazaro mortuo amico tuo, & ſororibus eius dolore conſternatis: nunc nos omnibus his erepturus, damna noſtra reparaturus, catenas noſtras ſoluturus, vulnera noſtra curaturus: alacri canto Domine mi, animoque, exultet ſpiritus tuus, II. meuſque iubilet: hic etenim dies eſt, teſte ſponſa tua, dies lætitiæ cordis tui. Cygnus niue candidior tota vita ſua lacrymoſos edit gemitus, attamen horâ mortis imminente in cantum effunditur: quia vt aliàs diximus, cor illi dilatatur eo quod illi ſanguis ebulliat qui ad cor confluit illud

Chriſt. cygno compar.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

illud confortaturus. O cygne cœleſtis ex puritate tua diuina niue candidior, ex inuincibili tua patientia mitiſſime qui vitam duxiſti continuo luctu fletuque ob peccata noſtra & calamitates miſerandam: nunc ergo Domine mi iubila, exulta, decanta, modulare, iam tibi cor recreatur ſentiens tui ſanguinis feruorem, quò prodire geſtit ad mundi lauacrum hominiſque redemptionem. Iam Chriſte Saluator extrema imminet hora tantopere deſiderata, quâ teipſum ſanguine tuo balneum traderes, quod fatebaris toto tempore quo differebatur, tibi cor ſupra modum affligere, & ad mortem vſque coarctare.

Luc.12, 50. *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor vſque dum perficiatur.* Modulare Domine mi, & huic tuæ paſſioni ſit cantus exordium: etenim tibi ſit hoc exploratum, planctus fletuſque eiuſdem erit epilogus.

Heb.5,7. *Cum clamore valido & lacrymis.* Quod ſi modò diuinam tuam prodis fortitudinem, humanam tunc tuamque patefacies infirmitatem: quod ſi nunc cantando amoris tui manifeſtas eminentiam, quo pro noſtra ſalute pateris, tunc plorando rebellem noſtram confundes ingratitudinem, quòd nedum talibus non vtamur ad ſalutem medicinis, ſed eas, inſuper deſpectui habeamus, imo & ſanguinem tuum indebitè calcamus, vt tuus veriſſimè dixit Apoſtolus. Ingredere Chriſtiane in hoc odeum & huic Domino ſupremas age gratias, tanto reſponde gratus amori, cui mundus parem non agnouit. Quis talem vnquam vidit exſpirantem, Regem pro ſubdito, pro ſeruo Dominum, ſupremum creatorem pro viliſſima creatura, pro homine Deum? Et nedum moritur, ſed tanta moritur mentis hilaritate & gaudio, vt huius paſſionis ſuæ prologus canticum ſit iucunditatis.

Q. 28 Gentiles vt ſtultitiam explodebant huius myſterij prædicationem.

1.Cor.1, 23. *Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam.*

III. Gentiles Chriſti paſſionē [illegible] ſtultitiã.

Nouerant Gentiles ex luce naturali, Deum eſſe immortalem, & hoc habebant vt impoſſibile: verum conferendo quis ſit Deus & quis homo: & quanto pluris eſt Dei ſolius vita, quàm reliqua creata omnia, fabulas & erynnides cenſebant aſſerere, quòd Deus, qui iam mori poſſet, mori vellet, cum poſſet non mori: & poſito quod mori voluerit, mortuus fuerit pro re adeo vili, qualem hominem eſſe iudicabant. Quod vnus Deus pro alio moreretur (etenim plures illi Deos numerabant) tranſeat; porro quòd Deus pro homine moriatur amentia eſt, erynnis eſt, commenta ſunt. *Gentibus ſtultitiam.* Huic accedat quod ait Apoſtolus: fieri poteſt vt aliquãdo quis inueniatur, qui vitam ſuam pro benefactore ſuo liberalis exponat, & amico ſibi familiariſſimo: ſic namque celebrat antiquitas Codrum Athenienſem, & ambos Decios patrem & filium, & Curtium, qui mortem pro patria oppetierunt. & optimè dixit Cicero. *Quoniam ſunt omnia commoda à patria accepta, nullum incommodum graue pro patria putandum eſt.* Cicer. l. 1. de Orat. Nonnullos etiam laudibus extollit, qui vitam ſuam amicorum gratiâ profuderunt; vt Damon & Pythias quorum ſinguli ſuam pro altero ſupponebant; porro illi, & quotquot inueniri poſſunt moriebantur, inquit Apoſtolus pro eo mori dignum cenſebant & iuſtum. *Vix enim pro iuſto quis moritur: nam pro bono forſitan quis audeat mori.* Rom. 5.7. Caſus eſt rariſſimus pro amico ſuo vitam elargiri: ſed accidit aliquando: verum, mori pro traditore, fœdifrago & rebelli inimico, vitam profundere eius gratiâ, qui tibi mortem machinatur, quis vnquam hoc intellexit? Mori ſeruum pro Domino, rarum eſt, porro & aliquando hoc tulit ſerui fidelitas, quo caſu ſe ſeruus Domino ſuo ſentiebat obligatum: verumtamen Dominum pro ſeruo refractario & proditore mori, quis hoc vidit vnquam? imo quis animo concepit? Ex hoc concludebant Gentiles, vt mentis amentiam habendum dum audirent Deum permiſiſſe ſe clauis in cruce configi pro iis ipſis qui illum crucifigebant, moriq; vt vitam illis tribueret, à quibus illi vita tollebatur. Quinimo hac de cauſa, ſcribit Apoſtolus, hic amoris Dei præcellit eminentia. *Commẽdat autem charitatem ſuam in nobis: quoniam cum adhuc peccatores eſſemus ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Rom. 5. cit. Prodeant hic quotquot mundus vidit & admiratus eſt amores, etiam quos finxit, nam ficta, credit D. Ambr. eorum exempla quæ Græci proferunt. Prodeat Græcia cum ſuis amicorum paribus Theſeo & Pirithoo, Pylade & Oreſte, Damone & Pythia, Alexandro.

Quæſtionem obiecit antiquus auctor Lucianus comparationem inſtituens inter Schytarum & Græcorum amicitias, de quarum eminentia non parua fuerat altercatio; proferendo in deciſionem nonnulla exempla amicitiæ rariſſima, quæ & in hac & in altera natione celebrabantur eximia. In Toxar.

IV. Gentiles ſuos iactant ſibi amiciſſimos.

Extollebat ſupra modum Roma, & elegantiſſimis celebrabat encomiis amicitiam Scipionis & Lœlij: ſic vt Cicero librum de illa compoſuerit. l. de Amicit. In medium protulit Valerius Maximus alia exempla amicitiæ quæ nemo non admiratur. L. 4. c. 7. Hæc & alia quæcumque mundus proponere imo & imaginari poteſt exempla, io-

cus ſunt & vmbra & indigna quæ cœleſtis huius amatoris dilectioni conferantur. Hi omnes aliquid de bonis ſuis obtulerant pro eo qui idem pro ipſis fecerat, vel facturum eſſe præſciebant, ſi caſus hoc tuliſſet, vitam ſuam pro iis expoſuerunt, qui etiam poſuerant vel ſuam pro illis exponerent. Porro Chriſtus pro inimicis ſuis ſeditioſis, ſeruis, proditoribus, & abiectiſſimis creaturis. O amor, vt nedum ad mortem accedat, ſed tantâ properet lætitia feſtinus, vt cantum ſtatuat iucundum ſuæ amariſſimæ Paſſionis exordium! *Quis audiuit vnquam tale? Aut quis huic ſimile?* O Domine, quis te non diligat? quis pro te vitam ſuam non exponat? Cui poteſt eſſe animus te offendendi? Hæc pia conſideratio Sanctos excitabat vt vitam ſuam & animam pro Domino ponerent, vt pati pro illo deſiderarent, tantò ſe iucundiores oſtendentes quantò tormenta quibus occidebantur erant immaniora.

*Iſai. 66. 8.*

V. Vnde Martyres eſſe videbantur inſenſibiles.

Ne culpabiliter hic prætereamus argumentum D. Bernardi quò declarat, qua ratione SS. Martyres ſua ſe vulnera quaſi non ſentire etiam grauiſſima demonſtrabant: vt nedum diceres eos inſenſibiles, ſed etiam alterius naturæ noſtræ contrariæ quandoquidem in grauioribus tormẽtis gaudium præferrent effuſius, & quò martyria vexabant atrociùs, eò mens iucundiùs exultabat. Sic mihi faueat Deus, an homo hic qui patitur? non enim videtur ſenſum habere flagrantiſſimis aduſtus flammis, tormentis examinatus acerbioribus, flagris contuſus immanioribus, &c. Ne mireris inquit, aſcendit etenim anima eius, & ſe recepit vt columba in foraminibus petræ, in vulneribus Chriſti crucifixi: ibique magis quam in corpore conſiſtens, illa Chriſti corporis magis, quàm ſua vulnera perſenſit. Ipſe Bernardus loquatur. *Enim verò non ſentit ſua, dum illius vulnera intuetur. Stat Martyr tripudians, & triumphans, toto licet lacero corpore, & rimante latera ferro, non modo fortiter, ſed alacriter ſacrum è carne ſua circumſpicit ebullire cruorem. Vbi ergo tunc anima Martyris? Nempe in tuto nempe in petra, nempe in viſceribus Ieſu, vulneribus nimirum patentibus ad introëundum. Si in ſuis viſceribus eſſet, ſcrutans ea ferrum profectò ſentiret, & dolorem non ferret, ſuccumberet & negaret.* Porro amor affectus eſt, quò anima de corpore excedit & tranſit in amatũ, vt ibi magis ſit vbi amat, quàm vbi animat. Sic per vulnera penetrat corporis Saluatoris, vt illa ſentiens non ſentiat ſua. Igitur petræ foramina ingreditur, atque ex eâ duritiem eius haurit, & imitatur in patiendo fortitudinẽ.

*D. Bern. ſer. 61. in Cant. ad fin.*

*Nunc autem in petra habitans, quid mirum ſi in modum petræ duruerit.* Ne ſtupeas corpus martyris inſenſibile videri: diſceſſit enim anima, & quonam abiit? in vulnera Chriſti. *Non mirum ſi exul à corpore, dolores non ſentiat corporis.* Quomodo euolauit? quis eam abſtraxit? Amoris alæ. quia vt diximus, magis eſt vbi amat, quam vbi animat. *Non hoc facit ſtupor, ſed amor: ſubmittitur enim ſenſus, non amittitur, nec deeſt dolor, ſed ſuperatur, & contemnitur. Ergo ex petra Martyris fortitudo.* Et hoc eſt, ex eodem D. Bern. quod cœleſtis ſponſa declarat: etenim perſonam induens Martyris ſanguine manantis, vulneribus ſaucij, & cruoris tabo perfuſi: *Nolite me,* inquit, *conſiderare quod fuſca ſim: quia decolorauit me ſol.* Dum conſidero Deum meum amore mei vulneratum, hoc mihi perplacet pro illo pati, carnem meam mortifico, diſciplinis extenuo, verberum vibicibus nigram expono: quia ſolis iuſtitiæ video carnem amore mei dolorum vulnerumque factam ſpectaculum.

VI.

Cant.

Vtinam hæc vulnera ingredereris adeo moleſta, has plagas intrares ita doloroſas. *Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Optabat admodũ Apoſtolus vt cor, pectus & viſcera Saluatoris ingredereris. *Teſtis mihi eſt Deus quomodo cupiam omnes vos in viſceribus Ieſu Chriſti.* Quomodo accedam? Aperta monſtrat, inquit D. Bern. non vnum ſed multa vulnera, tanta quanta claui, lancea, ſpinæ, & flagra intulerunt. *Ferrum pertranſiit animam eius, & appropinquauit cor illius. Patet arcanum cordis per foramina corporis, patet magnum illud pietatis Sacramentũ, patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto. Quid ni viſcera per vulnera pateant? In quo enim clarius quã in vulneribus eluxiſſet, quòd tu Domine, ſuauis & mitis, & multæ miſericordiæ?* Si per portas vulnerum ingredereris ad pectus illud & cor amore flagrantiſſimum, proh quanto tuum igne incaleſceret, & nedum patienter ſed gaudenter acerba quæque perferres eius gratiâ, & illius ſentiens pœnas, dolores & opprobria, tuorum ſenſus ſine dubio mitigaretur.

Cant.

Philip. 1.

D. Bern.

Hoc ipſum declarat Apoſtolus: cum enim dixiſſet, quàm generosè SS. tormenta mortemque pro Chriſto pertuliſſent, quodque Dauid ait: *Æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis:* Quia conſpicit ſtatim à nobis quærendum quis vires illis adeo fortes miniſtrauit, vt tanta tamque grauia tormenta, mortemque tolerarent: reſpondet: Amor quem in Chriſto cernimus & veneramus ardentiſſimum. *Sed in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos.* Omnia calcamus tormenta, ſi

*Pſ. 43.*

*Rom. 8.*

&

VII. Hoc conD. Paulo vincitur amor.

& alactes ſuperamus propter eũ qui dilexit nos. Nonne cõuenientius dixiſſes propter eum quem diligimus? Omnibus perſpicuum eſt quòd operum tuorum principium in ordine, beneficio, & obſequio alterius, non ille amor eſt, quo te diligit alter, ſed ille quo tu illum diligis. *Amor meus pondus meum, illo feror quocumque feror*, inquit D. Aug. Amor quo pater filium proſequitur, ille eſt qui vires illi & patientiam adminiſtrat quâ eiuſdem ferat imperfectiones. Ingeniosè dicit: *Propter eũ qui dilexit nos*. Notemus primò quis ille ſit: *Propter eum. Recogitate eum*, monet Apoſtolus. Cõſidera quis ſit, quòd tuus Deus ſit, tuus Dominus, per te commotus & offenſus, per peccata tua exacerbatus: & nihilominus, tanto nos affectu proſequitur, vt vitam ſuam noſtri causâ largiatur. Quiſnam pro illo ſuam non offeret? *Propter eum qui dilexit nos*. Ignis hic adeo feruens eſt, vt cordis noſtri gelu liquefaciat, viuoq; accendat igne charitatis. Hic eius amor ille eſt qui noſtrum excitat, ita flagrans vt illo viſcera noſtra comburantur. Hæc amoris conſideratio (teſtatur D. Paulus) tantum in me producit vt totum prouocem mundum; nihil enim me poterit ab eo ſeparare. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio an anguſtia, &c. Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus &c. Poterit nos ſeparare à charitate Dei quæ eſt in Chriſto Ieſu*. Hoc ipſum idem ruminabat attentius. *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*. Prima pars ſecundam confirmat & explicat. *Dilexit me*, ait, Et vnde hoc noſti, vnde confirmas? qualis fuit hic amor? Quouſque peruenit? *Tradidit ſemetipſum pro me*. Nefas ducerim ſilentio præterire colloquium, D. Aug. cum Chriſto amorem hunc recognoſcentis. *Peccatum abieram in peccatis, venumdatus eram: veniſti pro me, vt redimeres me, & tantum me dilexiſti, vt ſanguinem tuum in pretium dares pro me. Dilexiſti me Domine, plus quã te: quia mori voluiſti pro me. Maiorẽ hac dilectionẽ nemo habet, vt animã ſuam ponat quis pro amicis ſuis: nec maiorẽ mundus vidérat*. Perpende, quantum Dominus amorem hunc ſupergrediatur, vt eum etiam pro ſuis ponat acerrimis inimicis. Audiamus Doctorẽ melliſluum. *Tu maiorem habuiſti Domine, ponens eam etiam pro inimicis. Cum enim adhuc inimici eſſemus, per mortem tuam & tibi reconciliati ſumus & Patri. Quænam alia videbitur eſſe vel fuiſſe vel fore huic ſimilis charitati?* Vix enim pro iuſto quis moritur, tu pro impiis mortuus es. Et hoc ita voluntariè, vt dixerit Propheta: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit. Non modo voluit, & oblatus eſt, ſed quia voluit*: Tanta animi voluptate, & corde ita feruenti, vt dum ſe proximum cernit occaſioni cantet alacriter inter ſuos & cum illis, & poſito hoc principio curſum ſuum proſequitur. *Hymno dicto egreſſus eſt Ieſus*, &c.

Rom. 8. 35.

Gal. 2. 20.

D. Aug. l. Medit. c. 13.

Ioan. 15. 13.

D. Bern. ſerm. 1. hebd. pen. in fer. 4. ma. pen.

Iſai. 53. 7.

§. 13. Egreſſus eſt Ieſus trans torrentem Cedron. *Dum Chriſtus egreditur de Hieruſalem liberam permittit Iudæis facultatem peruerſa ſua exequendi deſideria, quibus in ſuam lapſi ſunt perditionem.*

CHriſtus igitur in mẽſa cum Apoſtolis ſuis dixit ſex illos celebres pſalmos magni Alleluia, quos quia cantauit, nominant Euangeliſtæ hymnum, vt prædiximus, quo gratias reddidit hilares Patri ſuo æterno, & principium dedit doloribus, pœnis & triſtitiæ paſſionis ſuæ ac mortis: vnde confeſtim ſeſe à diſcipulis ſuis ſegregauit vt eam inciperet, celebri illo ſermone coram ipſis facto, quò demulcebat eos ex ſua abſentia mœſtos, diuina illis promiſſa confirmans, milleque blanditiis ac ſumma teneritudine eorum animas deliniens: cumque medius inter illos ſederet, primus aſſurrexit & ait: *Surgite eamus hinc*, & confeſtim cœpit egredi de Hieruſalem: *Egreſſus Ieſus*. Non vacat myſterio hoc verbum ab Euangeliſta Ioanne conſcriptum: continet enim excellentiſſimum. Quo fine, Domine mi, egrederis de Hieruſalem? Si iam mortis tuæ aduenerit hora, quâ tui te capiant inimici, imo teipſum eorum deſideres tradere manibus: magis ad internum & propinquus hic illis es in cœnaculo; non opus eſt egredi ciuitate; etiam ad manum habebunt te, qui tuam iam capturam moliuntur. 30

I. Cur Chriſtus egreſſus ſit de Hieruſalem.

Fecit hoc primò: reſpondent venerabilis Bœda (a) & Theophylac. (c) vt communicantes doceat, cum primùm Chriſtum in corpore ſuo receperint, pauliſper ſecedant ex tumultu mundique negotiis ad locũ ſeparatum & ſolitarium, ubi ſe diſponant vt agant cum æterno Patre, feruenti oratione & deuota diuinorum donorum meditatione: tunc enim Elias factus robuſtior & animoſior, terrenis valedicens faſtigium aſcendit montis Oreb, vt familiarius cum Deo ageret, quando myſtico illo fuerat pane ſaturatus per Angelum Domini delato.

(a) *In c. 14. Marc.*
(b) *In c. 22 Luc.*

I. Ratio.

3. *Reg.* 19.

Alias rationes poſtmodum ſubiungemus actu ri de oratione Domini, quibus finitis à diſcipulis ſuis ſeceſſit ſolitarios: tantùm aliam ſubiungo ſe-

II. Ratio. go ſecundam intentioni noſtræ congruam: voluiſſe ſcilicet verbis illis oſtendere Euangeliſtã, illud quod in omnibus paſſionis ſuæ actibus voluit Dominus à nobis intelligi: paſſionem ſuam ſibi eſſe voluntariam, quodque peracta non ſit niſi ipſo inimicis ſuis locum cedente & facultatem. Diuino idiomate idem ſignificat abire aliquem ab alio, ac plenè illum permittere libertati, quâ perficiat id quod animo ſuo bene placuerit. Hoc expoſuit in parabolis illius Domini nobilis, qui diuiſis inter ſeruos ſuos bonis

Lu. 19. 12. ſuis illos deſeruit & abiit. *Homo quidam nobilis abiit &c.* Atque in ſingulari Deum egredi de Hieruſalem, & abire idem eſt, ac illos integræ permittere libertati quælibet agendi, ſuaq; peruerſa deſideria, reprobos ſuos appetitus, & paſſiones implendi violentas: ex quibus illis totalis ruina imminebat & perditio ſic vt nihil illos remoretur, nihil ſit obſtaculo, nec voces cohibeant Prophetarum, nec admonitiones prædicatorum exteriùs; nec conſcientiæ remorſus, nec Dei timor, nec diuinæ eius inſpirationes interiùs. Relinquit illos vt ſemoto omni repagulo ſuos impleant appetitus. Sic audit Propheta regius Deum de illis conquerentem.

Pſ. 80. 12. *Et non audiuit populus meus vocem meam, & Iſrael non intendit mihi: dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis.* Hoc illis Dominus verbis illis indicauit. *Ego vado*, ſicut diximus illa declarando eo modo quò aliàs expoſuimus: etenim animam à Deo deſeri, Deumque ab illa diſcedere, nihil aliud eſt quam illi fræna laxare quibus ſuis vacet deſideriis & inordinatas impleat adinuentiones. *Vt impleant peccata ſua*: Iuxta phraſim D. Pauli: vt nihil ſit quod hanc detineat nec exteriùs nec interiùs, quo fit vt vltimam ſuam feſtinet relicta perditionem, de quibus ſupra fuſiùs egimus.

III. Quid ſit, abire aliquem.

Ho. 13. 12. §. 6.

2. Theſſ. 2. 16. Ho VIde 35. § 12

Vſque nunc moram traxerat Dominus in Hieruſalem temerarios eorum cohibens impetus, & ſacrilega eorum impediens deſideria, quibus iam millies illi mortem intentabant. Modò illos timore populi coërcuit, modò ſe ſubducens & petens Galilæam aliaſque longinquas ciuitates, aliàs tacendo & omnem illis auferendo occaſionem, nunc diuinâ ſuâ potentiâ in cordibus operando, miniſtrorum & apparitorum animos conuertendo qui illum capturi conuenerant, nunc nonnullos amore ſuo diuino commouendo, quem in pectoribus eorum vehementem accendebat, alios pauore proſternendo & ſtupefaciendo, ſicut vidimus in ingreſſu illo, quo triumpho magnificus & ſolemni feſtiuus ingrediebatur acclamatione. Hoc ſæpe numero Chriſtus illis proteſtatus eſt, ne fruſtra deſudarent: quantumuis enim illi deſideraſſet, quo tempore ibidem eſſet & vellet, ſua non gauderent eſſe completa deſideria. Ita confirmauit illis ſemel & bis. *Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum.* Io. 7. 33.

III. Chriſti mors eſt voluntaria.

Ne vobis perſuadeatis ex deſiderio veſtro me à vobis nunc occidendum: quia modo nolo, nec vobis ad hoc concedo facultatem. Aliàs quibuſdam illi dicentibus & fugam ex Hieruſalem ſuadentibus, ob intentatam illi ab Herode mortem, *Exi & vade hinc, quia Herodes vult te occidere.* reſpondet. Ite & dicite vulpi illi (hoc eum nomine compellat ob fraudes vulpinas quibus necem maximi Baptiſtæ machinatus eſt) me adhuc hic hærere, & quamdiu mihi placuerit: nec enim illi licẽtiam tribuam quâ ſua pro voto deſideria perficiat. *Ite, dicite vulpi illi: ecce eiicio demonia & ſanitates perficio, hodie & cras, & tertia die conſummor.* Luc. 13. 31. Nunc quando iam hora effluxit, quâ paſſurus & erat moriturus, Hieruſalẽ deſerit & egreditur, quaſi plenam illis tribuens licentiam vt agant illi, qui in ea morantur, quidquid animo contra eum conceperunt, ſacrilega ſua deſideria perficiant, & inuentiones impleant in actibus iuſtitiæ, numquam auditas, numquam viſas, formatas ab ingenio ipſorum Principum tenebrarum, vt eum capiant, colaphis contundant, ſputis conſpergant, ſpinis coronent, felle & aceto potent, crucique configant. Heu quales inuentiones! Hoc ipſe dixit illis. *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum.* Luc. 22.

Ceterum hæc omnia totalem illis pariet 31 ruinam & animæ damnationem: ea namque de causa tanto furore ſuper illos ira Dei corruet, vt miſſurus ſit Romanos, qui ciuitatem hanc euertant & deſtruant ita funditus, vt non remaneat lapis ſuper lapidem inconcuſſus. Meo quidem iudiciò, prædixit hoc illis per Hieremiam Prophetam. *Reliqui domum meam, dimiſi hereditatem meam.* Hier. 12. 7. Nomina ſunt hæc propria Hieruſalem: facultatem illi conceſſi vt contra me pro peruerſa ſua voluntate faceret, & de facto peregit: etenim contra me inſurrexit eadem furens libertate, quâ leo in ſiluis impetit ouiculam, qui rugitus edit horribiles, quibus eam terrore proſternat. *Facta eſt mihi hereditas mea, quaſi leo in ſilua, dedit contra me vocem.* Quocirca illam odio habui ex demerito ſuæ nequitiæ, quæ me prouocauit ad eius euerſionem, & vt ad hanc omnes excitarem & conuocarem inimicos. *Ideo odiui eam. Venite, congregamini omnes beſtia terræ, properate ad deuorandum.* Domine, perpende ciui-

IV. Chriſti mortem talis Iudæi.

tatem hanc eſſe egregiè munitam, muris fortiſſimis, turribus circumquaque altiſſimis, propugnaculis vallis inter ſe diſtinctis inexpugnabilem: Hoc noueris, arma hic ſeruari omnigena & bellicum apparatum copioſiſſimum. Sit ita porro hæc omnia nihil ſunt ſi Deus inde diſcedat eius cuſtos: ſi namque deficiat hic, nec milites, nec vigiles, nec turres, nec arma, vel hilum efficere poterunt. Pſal.126.1. *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.*

Egregiè munitus erat populus Iſrael quando egreſſus eſt de Ægypto cum omnibus armis Pharaónis & Ægyptiorum qui maris fluctibus abſorpti erant, quorum cadauera Deus eiecerat ad littus maris armis ſuis exuenda: vnde dicitur. Exo.13.18. *Armati aſcenderunt filij Iſrael de terra Ægypti.*

V. Nihilominus quando vitulum vt Deum adorârunt Deus ab illis ſe ſubſtraxit, inquit S. Eloquium: nam deſcendens Moyſes inuenit illos nudos & inermes reſiſtendis hoſtibus impotentes. Exo.32.25. *Aaron eum nudum inter hoſtes conſtituerat.* Etenim quantumuis ſit aliquis armatus, ſi deficiat illi Deus, ſibi perſuadeat ſe eſſe velut nudum, omnibus exutum viribus & armis quibus reſiſtat inimicis: vnde ſine vlla difficultate, & aperta ianua ad illum labores, infortunia, peſtis, fames, & mors ingredientur. O ciuitatem maleſortunatam quàm iuſto ordine in te modo videamus Hieremiæ lacrymas, qui ſatis amarè te defleuit: etenim hanc tuam nunc vidit calamitatem: nam te [illegible] quas tunc patiebaris, quando defuncto & deficiente tibi ſanctiſſimo Rege Ioſia, ſuper te ferociſſimus irruit Nabuchodonoſor, dici poteſt liberrimè & veriſſimè: Thren.1.6. *Egreſſus eſt à filia Sion omnis decor eius.*

VI. *Omnis decor eius*, omnis pulchritudo, gratia, formoſitas, fortitudo, ſapientia, & gloria à te receſſerunt: *Omnis decor eius* Quia Ieſus egreditur ab illa, eamque deſerit. *Egreſſus Ieſus.* Eſt Ieſus vita tua, non niſi mors tibi remanebit, quia *egreſſus Ieſus*: Eſt Ieſus fortitudo tua, modò nonniſi infirmitas te grauabit: quia *egreſſus Ieſus.* Eſt Ieſus lux tua tenebræ te æternæ & palpabiles occupabūt: quia *egreſſus Ieſus.* Eſt Ieſus ſubſidium tuum, omni deinceps priuaberis: quia *egreſſus Ieſus.* Eſt Ieſus ſapientia, craſſa te premet ignorantia quia *egreſſus Ieſus.* Ieſus eſt omne bonum, omnigenis malis repleberis: quia *egreſſus Ieſus.* Ezech.10. Hic impletur illud quod Propheta Ezechiel in illo vidit Cherubim: nam illo egrediente de templo, pariter cum eo egreſſum eſt omne præſidium & auxilium & quidquid boni poſſidebat: factū eſt autē ſtabulum immundum nullo munitū auxilio iuxta illud Iſaiæ. *Relinquetur filia Sion, vt vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, & ſicut ciuitas quæ vaſtatur*: Iſai.1.8. de quibus aliàs dictum eſt. Idem tibi ô anima liceat mihi proponere, caue tibi, ne à te Ieſus egrediatur: ſi namque diſcedat omnibus nudaberis gratiæ, donorum, ſapientiæ, conſilij, fortitudinis, virium, omniſque boni ſubſidijs: in te vero nullo reſiſtente cuncta turmatim irruent mala, te tui perdent inimici, vt non ſit qui detinet irruentes. Quàm bene verſatus in hac ſcientia Dauid erat, quando congregatos in concilio hoſtes ſuos audiuit colloquentes. *Qui cuſtodiebant animam meam concilium fecerunt in vnum dicentes: Deus dereliquit eum, comprehendite & perſequimini eum: quoniam non eſt qui eripiat.* Pſ.70.9. Reſponde mihi Rex ſanctiſſime, numquid compertum eſt inimicis tuis, quod quamuis à te Deus diſcedat, tibi remaneāt milites corporis tui cuſtodes, præſidia, fortes exercitus, munitiones, theſauri, turris hæc Sion inexpugnabile propugnaculum? Qua veritate dicunt: *Deus dereliquit eum, non eſt qui eripiat?* Ex veritate loquuntur: etenim recedente Deo, nullum remanet ſufficiens propugnaculum, nec potentes exercitus, nec fortitudo, nec muri, nec vallum, languet omnis armatura fortium: etenim Deus eſt, qui omnibus his vires impertit & ipſo deficiente omnia deficiunt de quibus aliàs latiùs egimus. Ho.13.§.2 vſque ad 10.

## §. 14 Trans torrentem Cedron. *Myſterium in ipſo nomine continet hic torrens, quo declaratur greſſuum Saluatoris obſcuritas.*

32 I. Quis ille fuerit torrens Cedron.

QVo precor tendit Dominus? in alteram partem torrentis Cedron *Trans torrentem Cedron* Ne vacuum crediderìs eſſe myſteriis. Nonnulli capiunt hoc verbum *Cedron*, quaſi genitiuum Græcum id eſt *torrentem Cedrorum*, quòd tranſierit Dominus *torrentem Cedrorum*. Atque in eo mirabilem inuenerunt allegoriam. In SS. litteris *Cedri* duo ſingulariter ſignificant. Primum Angelos cœli, prout proſequuntur Origines *a* & D. Gregor. *b* ita nominat illos, Balaam *c* Cedros iuxta aquas, & Ezechiel *d* Cedros montis deliciarum. Secundum, antiqui & Sancti Patriarchæ ac Prophetæ, vt demonſtrant idem Origenes, *e* & D. Baſil. *f* per illas ſignificantur, quos Propheta Regius *g* appellat Cedros Libani. Egreſſus eſt Dominus de Hieruſalem, ſita in monte Sion, & deſcendens ac tranſiens torren-

a Ho.17. in Num. b lib.32. Mor c.24. c Nu 24. d Ezec.36 e Ho 6. in Exod. & Ho.11.in Ezech. f Ho.in pſal.28. g Pſa.28.

torrentem, Cedros omnes pertranſiuit: quia nunc, teſte D. Paul. legatione ſua functus, vt pſallit Dauid, deſcendit, de ſuperna celſitudine diuinæ ſuæ maieſtatis vſque ad paſſionis ſuæ humilitatem, tráſiens & poſt ſe relinquens omnes Angelos, omnibus illis ſe demonſtrans in-
Hebr.2.9. feriorem. *Eum qui modico quam Angeli minoratus eſt, videmus Ieſum propter paſſionem, &c.* Nũc ſimiliter tranſit torrentem Cedron: quia paſſionis ſuæ torrentem tranſiens, quem hoc nomine idem Dauid inſcribit, perfectè cunctas implet Prophetias quas verbis ſuis nobis Prophetæ reliquerunt, ſcriptiſq; ſuis inſeruerunt, iuxta eiuſdem teſtimonium. *Ecce aſcendimus Hieroſolymam & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis.*

Porro iuxta rei veritatem non hoc ſenſu nomen illud Cedron excipiendum eſt vt ſignificet Cedros: quas nullas ibi creuiſſe noſcimus & cõſtat ex S. Scriptura: ſed nomen eſt proprium illi torrenti qui vocatur Cedron, eo modo quò vnus de quatuor fluuiis ex paradiſo profluentibus, vocatur Phiſon. Vnde nomen non eſt Græcum ſed Hebraicum, quò ſæpius S. Pagina illũ inſcribit, atque in illo multa memoratu digna contigiſſe narrantur. Diuinâ planè ſapiẽtiâ D. Ioannes hic nomen illi proprium poſuit, vt tam inſigni præluderet myſterio, quod in illo monſtratur, quam principaliter ex eo quòd torrens hic figuram Chriſti in hac occaſione prætulerit. Cedron nomen eſt Hebræum, & tenebras ſignificat. Impoſitum eſt hoc illi torrenti nomen: vt enim per vallem defluebat, licet amplus eſſet, erat tamen profundus, inter montem Sion, in quo ædificata
Vide Adricom. de Hieruſalem. n. 202 erat Hieruſalem & montem Oliueti, erat obſcurus & tenebroſus, vt ſol illum non illuminaret permagnis illis cõtectus vmbris ex mõtibus, illis; quas vallis huius augebat arborũ multitudo.

II. Chriſtus obſcura omnia Iudæorum pertranſiit. Chriſtus iam iam paſſurus, omnem hanc obſcuram & tenebroſam vallem pertranſiit. Primò: ad declarandum id quod modo diximus, quòd nimirum morte ſua perfectè & integrè compleret omnes figuras & vmbras S. Scripturæ, quam admirabili ſymbolo torrẽs hic vmbroſus & obſcurus exprimebat. Ipſe Deus illam ſignificauit in figura myſtici torrentis quem oſtendit Vati
Ezec. 47. 1 Ezechieli, qui egrediebatur, quaſi per portam
III. Allegoria. templi & in quibuſdam locis ita tenuis erat, vt ad talos tantummodo attingeret, poſſetque illum debilis auicula peruadare: in aliis verò profundior erat, & ad genua vſque aſcendebat: in aliis vſque ad pectus quem nonniſi animalia grandiora peruadare poterant. Tandem in aliis tantæ erat profunditatis vt tranſmitti non poſſet, nec illum tranſire valerent cerui licet leuiſſimi, nec elephantes etiam robuſtiſſimi. Ecce quam admirabile SS. litterarum Hieroglyphicum; torrens qui procedit de templo Spiritus ſanctus & per eius portam egreditur: quænam hæc? Ora Prophetarum eius ſanctorumque ſcriptorum: *Locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt Prophetarum eius.* Luc.1.70.

Aliquando defert aquas adeo humiles, vt illas tranſire poſſit humilis & hebes intellectus, quales ſunt hiſtoriæ quas referunt & doctrinæ morales legis naturæ: alias profundiores ad quas ingenia requiruntur eminentiora: idcircò namque, ſicut refert D. Hieronymus *a* ſumens hoc à magiſtro ſuo D. Gregor. Nazianz. *b* & ille ex Origine, *c* Hebræi quaſdam notauerant S. Scripturæ partes, quas omnes legere poterant: alias autem quæ tantum legendæ concedebantur illis, qui litteras profitebantur vſque ad triginta annos vt erant Cantica & quædam capita Prophetæ Ezechielis. Erant & alia loca tam immenſæ profunditatis, vt abyſſus eſſent incomprehenſibilis, quæ nec ipſi ſupremorum Seraphim intellectus in omnibus & per omnia valerent comprehendere. Torrens eſt adeo vmbroſus, vt non ſit vel vnicum verbum, ſed nec vnica littera, quæ velut in vmbra non contineat aliquod de Chriſto myſterium. *Vmbram habens lex* Hebr.10.1. *futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum:* Sic ſcribit Apoſtol. Totum hunc vmbroſum pertranſiit nunc Chriſtus Torrentem: quia vt ipſe prædixerat, modo complet omnes figuras has & vmbras, idque tam perfectè vt dicere potuerit. *Conſummatum eſt* & decerneret vt eo ipſo momento à ſummo vſque deorſum velum illud laceraretur quod Sancta Sanctorum obumbrabat fieretque omnibus apertum & manifeſtum.

Secundò: nomen hoc Cedron poſuit Euangeliſta Ioannes, quod interpretatum dicitur obſcuritas, vt nobis obſcuram ita oſtenderet caliginem, quâ via hæc Dominicæ Paſſionis offunditur: obſcuritas in tempore quo contigit. *Erat autem nox*: obſcuritas in intellectu Principum & Sacerdotum: nam propriâ malitiâ obcæcati in hæc ſacrilega corruerunt concilia: Obſcuritas in corde Iudæ ex caligine cupiditatis: obſcuritas in oculis miniſtrorum & militum qui tot laternis & facibus inſtructi Chriſtum quærebant, quem habebant ſibi præſentem, nec tamen eum cognoſcebant: obſcuritas in tribunali Caiphæ: cũ enim Chriſtus ita diſtinctè clarèq; loqueretur, atque lucem illam effunderet quâ vitam ſibi

IV. Variè Scriptura in profunditate.

a In prol. ad Ezech.

b Apolog.

c In prol. in Cant.

V. Apponitur vel Cedron.

Ioan.13.30.

compararent, illum vt blaſphemum morte condemnant: obſcuritas in aula Herodis: cum enim coram ipſo ſtaret cœli ſapientia, illam iudicat vr amentiam: obſcuritas in prætorio Pilati: cum enim ſol hic diuinus in conſpectu illius radios veritatis emitteret lucidiſſimos, non illos tamen cerebrio animaduertit, & cum illi euidentiſſima claritate eius pateret innocentia quem præſentem ſibi detinebat, non tamen illam agnouit nube ambitionis & amicitiæ Cæſaris contectam obſcuriſſima: obſcuritas in tota terra: *Nam tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram*: Obſcuritas in cœlo in illo diuino concilio tantæ celſitudinis vt ipſi maximè lyncei & aperti oculi illud aſſequi non poſſint & perrimari. Dicito tu ſol, an fuerit obſcuritas: *Obſcuratus eſt ſol*, quando media die rerum horrenda flagitia conſpiceret (vt D. Chryſoſt. confido,) lucem ſuam retraxit fulgentiſſimam.

Matt. 27. 45.

Paſſus quos modo redemptor incipit per paſſionis ſuæ torrentem, & quos ingreditur tanta inuoluuntur caligine & ſic omnem ſolis lucem excedunt ac totius lumen creaturæ vt illo conſpectu fatui & inordinati eſſe videantur, ſic mundi totius doctiſſimi iudicârunt. *Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam.* Greſſus ſunt hi ampli adeo & ſublimes quibus diuinus hic ſponſus ingreditur de monte Sion in quo Hieruſalem ſita eſt, ad montem Oliuarum: *Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles.* Vallem hanc tranſiens & torrentem vmbroſum, vt eos capere non poſſit tota terræ ſapientia.

VI. 1. Cor. 1. 23. Cant. 2. 8.

Audiamus Apoſtolum hæc atteſtantem. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos: ſapientiam vero non huius ſæculi, neque Principum huius ſæculi, qui deſtruuntur, ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio quæ abſcondita eſt, &c. Quam nemo Principum huius ſæculi cognouit.* Idcirco hanc magis continuam ac feruentem Deo offerebat orationem quâ lucem eius cœleſtem impetraret ad huius caliginis illuminationem. *Flecto genua mea ad patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt det vobis ſpiritum ſapientiæ &c. Vt poſſitis comprehendere quæ ſit latitudo longitudo, ſublimitas & profundũ.* Perpendamus hic cum SS. Patribus crucis obſcuræ myſterium, quam his deſcribit dimenſionibus latitudine, lõgitudine, ſublimitate, & profundo. Nouerat ipſe dixiſſe Iſaiam greſſus hos tot tenebris concluſos, vt ſine eiuſdem luce, qui illos ponebat & figebat penetrari non poſſent ea, quæ in ſe cõplectebantur, obſcura myſteria. *Oculus non vidit Deus abſq; te, quæ præparaſti expectãtibus te.*

1. Cor. 2. 6. Ephes. 3. 14. Iſa. 64. 4.

His congruenter expendit D. Gregor. quod dum Dominus Hieroſolymam proficiſceretur paſſurus, & huius Sacramenti rationem diſcipulis ſuis inſinuaret verbis ita diſtinctis ac claris vt clariora eſſe non poſſent, nullis vtens metaphoris, nulla proferens ænigmata, nullas ſimilitudines, ſicut alias pro more habebat ſingula omnia propria denotans nominibus: *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & condemnabunt eum & tradent eum gentibus, ad illudendum, flagellandum & conſpuendum & poſtquam flagellauerint occident eum*: & cum tam diſtinctè loqueretur, nec verbum tamen intellexêrunt: nam vt quid admiratione dignum cenſet hoc D. Lucas, duplicans & triplicans loquendi formulam, quâ declarat quàm obſcurum hoc illis fuerit quod tot elucidatum circumſtantiis Chriſtus proferebat, quantiſque greſſus hi tenebris eſſent inuoluti. *At ipſi nihil horum intellexerunt & erat verbum abſconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.* Idcirco confeſtim ibidem Chriſtus lumen cæco reſtituit (ita D. Gregor.) nam per hoc indicat diuinæ ſuæ manus lucem & miraculoſos oculos ſua miſericordia conceſſos neceſſario requiri quibus tantæ caliginis greſſus clariùs intelligantur. Illos autem oporteret à Deo requirere, quibus ille tunc illuminatus exultabat: *Domine vt videam.* Etenim iſta crucis eius myſteria tantis tenebris obuoluuntur vt hæc capere non ſufficias, quod in morte hac vita lateat, in labore requies, honor in ignominia, diuitiæ in paupertate, gloria in opprobrio.

Hom. 2. in Euangel.

VII. Ipſam Apoſtoli non intellexerunt.

Matt. 20. 18. Luc. 18. 34.

Luc. 18. 34.

O quàm raro greſſus hos inambulas! O quàm parum illos intelligis! Tu ipſe conſidera quid ſit quod inquiris, quod fugis & ſi tibi videatur infulſum quando te monemus, vt carnẽ tuam mortifices & crucifigas; quod enim qui illam amat, illam odio habeat, vt vitam tuam coërceas & quaſi mortuam circumferas; qui namq; eius ſtudet conſeruationi ille eſt qui eiuſdem incumbit perditioni: vt illi benefacias qui molitur te crucifigere, vt ad grauiorem ignominiam & iniuriam, caput profundiùs inclines, & os ſtrictiùs tantò concludas: & libera manu facultates illas effundas, quas vt vitæ tuæ ſanguinem poſſides viuaciſſimum, in pauperum & egenorum emolumentum. Greſſus ſunt per vmbroſum torrentem Cedron; etenim ex eo quod agis liquidò conſtat, quòd, poſtquam tibi hoc ipſo meridiano ſole clariùs indicauimus, dicere poſſumus: *At ipſi nihil horum intellexerunt, & erat verbum*

VIII. Nec tu quoque illam capis.

abſcon-

*abſconditum ab oculis eorum, & non intelligebant quæ dicebantur.* O Deus! ipſe vobis oculos aperiat, inquit Apoſtolus: hoc etenim perpetuò deprecor vt vobis lucem infundat, quâ diſtinctè claréque cognoſcatis immenſas diuitias à Deo in cruce ſua reconditas. *Obſecro vt Deus Pater gloriæ det vobis ſpiritum ſapientiæ & reuelationis, in agnitione eius: illuminatos oculos cordis veſtri: vt ſciatis quæ ſit ſpes vocationis eius, & quæ diuitiæ, gloriæ, hereditatis eius in ſanctis.* Vocat te Deus vt ſub vexillo crucis ſuæ reſideas, illamque tibi imponas, carnem tuam coërcens vitamque mortificans. Ipſe te illuminet & oculos tribuat clariſſimos quibus intelligas hic omnia eius bona contineri.

### §. 15. Trans torrentem Cedron. *Torrens hic Chriſtum præfigurat, tranſijt illum, ſicut David: quamuis non ſicut ille fugiens, ſed oſtendens à ſapientia vinci malitiam.*

☞ 34 SVmpſimus has rationes ex ſola ſignificatione nominis huius torrentis: porrò ſunt & aliæ multæ ſublimes, quas colligimus ex eo quod in illo contigiſſe perhibetur. Fuit torrens hic Cedron celeberrimus non tantum quòd proximus eſſet Hieruſalē, ſed quod fuerit quaſi quoddam generale & commune ſordium ſacrilegarum templi, vrbiſque receptaculum; illis in valle per quam decurrebat combuſtis, demum in illum omnes cineres iniiciebantur (vt teſtatur Adricomius) vt ad nihilum redigerentur, & amplius non apparerent: vnde ex iniectis torrenti ſordibus, turbidus ipſe & immundus defluebat, templum verò & ciuitas ſordibus omnibus & immunditiis erant expurgata. Ita teſtatur nobis Spiritus ſanctus accidiſſe ſub imperio Regis Aſa: Pater illius templum totamque Hieruſalem idòlis repleuerat execrādis, nominatim autem idòla Dei Priapi non ferendæ turpitudinis. Suſcepit regni habenas Aſa & diuino percitus œſtro, tantas voluit delere penitus immūditias ſordeſque expurgare; hoc igitur egit: idòlum illud & alia quoque confregit & combuſſit in torrente Cedron eorum illi cineres iniiciens. *Subuertit ſpe cum eius, & confregit ſimulacrum turpiſſimum, & combuſſit in torrēte Cedron.* Idem contigit piiſſimo Regi Ezechiæ: etenim Pater illius impiiſſimus Achaz tot erexerat in Hieruſalem idòla, vt S. teſtetur eloquium. *Fecit altaria in vniuerſis angulis Hieruſalem, in omnibus quoque vrbibus Iuda extruxit aras ad cremandum thus, atque ad iracundiam prouocauit Dominum.* Illo mortuò in Regem extollitur filius eius Ezechias: cœpit hic pollutiones templi mundare vrbemque tot ſacrilegis expurgare immunditiis. Præcepit mundari omnia, cunctaſque ſordes colligi atque in torrentem coniici Cedron. *Extulerunt omnem immunditiam, & aſportauerunt ad torrentem Cedron.*

I. Quis fuerit torrens Cedron.

3. Reg. 15. 13.

2. Paral. 28. 24.

Idem referunt S. litteræ de pronepote illius Rege Ioſia religione feruentiſſimo: cum enim pater eius Ammon & auus Manaſſes omnigena intuliſſent idòla abominanda, illiſque non paruam multitudinem Sacerdotum & ſacrificiorum conſecraſſent: ipſe ad regni gubernacula euectus (quem ea de cauſa multum extollit Spiritus S. *Tulit abominationes impietatis*) ilicò omnē hanc colluuiem idolorum & altarium impiiſſimā abſtulit cunctaq; deiecit in valle torrentis Cedron, omnem hanc igni tradens impietatem, & cineres demergens in torrente, ne poſthac amplius apparerent. *Præcepit Rex vt proiicerent de templo Domini omnia vaſa, quæ facta fuerant Baal, & in luco vniuerſæ militiæ cæli, & combuſſit ea foris Hieruſalem in conuallem Cedron, &c. Mundauitq; Iudam & Hieruſalem.* Idcircò nomen accepit vallis per quam labebatur hic torrens, vt diceretur: *Vallis conciſionis.* Non tantum quia ibidem diuina iuſtitia in extremo die iudicij, quod hic inſtituetur, reprobos concidet conciſione peruaſida: ſed etiam quia in eodem luco grauiſſimi necabantur peccatores & comburebantur, horumque cineres torrenti Cedron iniiciebantur.

Ita refert Ioſephus: quod dum Sacerdos ſummus Ioiada peruerſam illam punire voluit incantatricem (ſic eam inſcribit) Reginam Athaliam interfectricem omnium eorum qui erant de ſemine Regis: iuſſit illam trahi ad vallem Cedron, vt nec puluis illius ſupereſſet, licet illi qui iuſtitiam exequerentur confeſtim illam ibidem trucidârint. Perpende quàm expreſſum torrens hic ſymbolum referat Saluatoris. Erat hic in ſe atque ex natura ſua aquarum torrens lympidarum: porrò turbabatur immundas in ſe recipiens omnes templi & ciuitatis Hieruſalem immunditias. Chriſtus in ſe torrens erat & fons aquarum limpidè fluentium gratiarum & virtutum: verumtamen æternus Pater effecit illum noſtrorum ſcelerum commune receptaculum in quem omnia cōiecit. Teſtem adduco veridicū Iſaiam. *Poſuit Deus in eo iniquitatem omnium noſtrūm.* Quibus ita turbulentus euaſit, eiuſq; ſunt aquæ obſcuratæ

4. Reg. 23.

Ioel.

L. 9. Antiquit.

II. Per torrentem Christus indicatur.

Iſa. 53.

obſcuratæ & polluta pulchritudo, vt illi ipſi qui prius illum probè nouerant, poſtmodum eum ſe noſſe negârint. *Conſiderauimus eum deſpectũ & nouiſſimum virorum*, &c. *Vnde nec reputauimus eum*. Atque ſicut ait D. Paul. noſtram aſſumpſit inopiam, ipſe factus inops, vt nos opibus ditaret
2.Cor.8. vberrimis. *Propter nos egenus factus eſt, vt illius inopiâ nos diuites eſſemus*. Eadem phraſi dicemus quod in ſe noſtram ſuſcepit ignominiam vt per illam nos honoraremur, noſtra vulnera vt per illa noſtrorum criminum vulnera ſanaret, noſtras pœnas vt cum illis nos in ſtatum referret gloriæ, noſtram mortem vt per illam diuinã vitam obtineremus: *Factus pro nobis maledictum*, juxta Apoſtolum, & quam nos merebamur maledictionem in illum coniecit quantum ad pœnam vt æternam nos acciperemus benedictionem.
Gal.3.13. *Factus eſt pro nobis maledictum, vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Chriſto Ieſu.*

35 Voluit pariter Euangeliſta huic corpori ſpiritum infundere, & huic vmbræ corpus applicare, quã David aliquid horum myſteriorũ præfigurauit. In patrem perfidus ſurrexit filius Abſalon poſtquã inter fratres eum præ cæteris pater exaltaſſet & diabolica motus regnandi cupiditate, ſtuduit illud patri eripere, ſibique conquirere. Res eouſque proſperã ſucceſſit fortunã, vt David vitæ ſuæ cernens diſcrimen illico conſilium fugiens egreſſus ſit de Hieruſalem, milites ſuos & Principes ad hoc adhortatus: *Surgite, fugiamus, neque enim erit nobis effugium à facie*
2.Reg.15.14. *Abſalon, feſtinate egredi: ne fortè veniens occupet nos*, &c. Egreditur de Hieruſalem militibus ſuis conſtipatus, & tranſiens torrentem Cedron ad montem ſe recepit Oliuarum. *David aſcendebat cliuum Oliuarum ſcandens & flens, nudis pedibus incedens & operto capite.* Nõ ſine myſterio Spiritus S. has omnes expreſſit circumſtãtias. Hoc tunc agebatur, at perpende nunc id, quod per illud indicabatur. David ſanctiſſime Chriſte mi Saluator: ecce filius tuus refractarius Iudas quẽ ſingularibus donis liberaliter præueniſti: cum inter diſcipulos illum elegeris in Apoſtolum, inter Apoſtolos temporalium illi eleẽmoſynarum acceptionem commendaueris, cui curandi infirmos poteſtatem tradidiſti, reſuſcitãdi mortuos, eiiciendi dæmonia, ſicut cæteris Apoſtolis, pedes illi abluiſti, carnem tuam in cibum & ipſum tuum ſanguinem in potum illi propinaſti, ad dignitatem Sacerdotij & Epiſcopatus promouiſti: poſt hæc omnia, ſacrilegâ nimis incenſus auaritia, & plus quam diabolica cupiditate inflammatus, in te fœdifragus arma mouet & tuam cogitat necem ingratiſſimus: iam Domine mi cõtractum iniit & venditionem: iam turbam ſibi comparauit quã te capiat innocentem. Quid verũ agis David ſanctiſſime? Egreditur de Hieruſalem, tranſmittit torrentem Cedron quatenus ſe recipiat ad montem Oliueti. *Vadit aſcendens cliuum Oliuarum ſcandens & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite.* Caput eius erat diuinitas: *Caput Chriſti Deus*. Pedes, ſanctiſſima eius 1.Cor.11.3. humanitas. Nunc hora eſt in qua natura illius diuina magis operitur, & clariùs humana aperitur infirmitas. Quales lacrymæ de diuinis eius
IV. Chriſtus Iudam vt David Abſalon deflet.
fluebant oculis, dum ruinã luget perfidi filij ſui, & hãcã Satanã ouẽ ſibi eripi ingemiſcit? Si quãdo reſidens in cœna vidit illũ egredientẽ vt proditionis ſeditioſæ negotium ageret narrante D. Ioan. ſeipſum turbauerit, & proteſtationem ediderit diuinis plenã affectibus: *Turbauit ſemetipſum, & proteſtatus eſt.* Ioa.13.21. Quænam ſunt hæ Domine mi proteſtationes? Quænam hæc viſcerum tuorum, & faciei turbatio formoſiſſimæ? Non ſeipſum plangit ſed illum luget male fortunatum: dolenter accipit illius filij perditionem, cor illi pungitur, & comprimitur, & proteſtatur ſe nullius culpæ noxium, cum nullam ipſe ad tantum facinus contra Dominum agendi dediſſet occaſionem. Quid modo faciet, quando diuinis ſuis oculis illũ videt per vrbis Hieruſalem plateas diſcurrentem, quærentem & ordinantẽ copias militares, turbamq; cuſtodem ad capturam animantem, conſilia & præcautiones ſuggerentem, Dominum ſuum accuſantem, vt impoſtorem & necromãticum, ne fortè manibus eorum ſaluus elabatur? Quàm ex animo plorans diceret in corde ſuo illud Davidis *Abſalon fili mi, fili mi* 2.Reg.18. *Abſalon quis mihi det, vt ego moriar pro te!* Por- 33. rò in quantũ illud figura erat & hoc figuratum, hoc illud debebat præcellere, vt figuram veritas, picturam viuum, & obſcuram vmbram ſol clariſſimus. David fugã ſibi conſulebat, ne forſan à filio inuentus interimeretur: ea voluntate tranſiens torrentem Cedron fugit, ſe recipit & abſcondit in monte Oliuarum, feſtinus egreditur de Hieruſalem: ne forſan eò accedẽs filius Patri manus iniecturus, iam in illa eum minimè reperiret: idcircò ait: *Surgite fugiamus, &c. feſtinate egredi, ne forte veniẽs occupet nos.* Porrò Chriſtus fugam non init nec ſuis ait vt David: *Surgite fugiamus*, ſed *ſurgite eamus hinc*. Oſtẽdens quàm volũtaria ſit ſua profectio: nec egreditur de Hieruſalem, ne forſan in ea illũ inueniant, nec tranſit torrentem Cedron & montis faſtigia petit Oliuarum in eis abſcondendus, imò potiùs hoc agit

V. Chriſtus non fugit ſicut David fugiebat.

a *Hom 8. in Matt.* b *L.11. in Ioan. c.31.* agit (ex opinione D. Chryſoſtomi (*a*) & D. Cyril.) (*b*) vt tantò Iudas faciliùs eum inueniat, habeatque ad manum, quem miniſtri poſſint comprehendere; nam eo modo cum erat capturus nullum veritus tumultum & populi ſeditionem, quàm communiter in ciuitate fore præſagiebat.

Notant Euangeliſtæ, quod licet Principes Sacerdotum ſummoperè Chriſtum capere deſideraret, tamen illos ſemper timor retinuerit. *Timebant vero plebem: quia ſicut Prophetam virum*que Sanctum *eum habebant*; vnde modum capiendi illum ſectabantur, quo fieret commodiùs abſque vlla populi commotione. His conformiter aduertunt D. Marcus & D. Luc. quod cum eum Iudas mercator impius vendidiſſet, ſollicitus occaſionem indagauit & locum quo poſſet eum capere & Iudæis tradere opportuniùs: hoc eſt ſeorſum extra populi tumultum, quem Principes ipſeque traditor excitandum fore ſuſpicabantur, quodque omnis populus ad defenſionem Chriſti armatus proſiliret. *Exinde quærebat opportunitatem, vt traderet eum ſine turbis.* Vnde hoc vnicè præoptabat, vt illum in horto reperiret, in quem pro more ſuo ſecedebat oraturus à turba ſeparatus. Cum hoc Dominus cautum noſſet Iudæ deſiderium, ipſe eundem petiit locum quatenus ab ipſo poſſet inueniri & ſemoto omni timore, prout deſiderabat, tradere illum inimicis. Hoc D. Ioan. indicauit: cum enim dixiſſet: *Egreſſus eſt Ieſus trans Torrentem Cedron* in locum vbi hortus erat, quem ingreſſus eſt, adiungit *ſciebat autem & Iudas qui tradebat eum locum: quia frequenter Ieſus conuenerat illuc cum diſcipulis ſuis*. Notanda venit hæc coniunctio: *Et, Sciebat & Iudas locum*: quia in SS. litteris ſæpè vim habet cauſalis, ſicut in illo quod dictum eſt Virgini Deiparæ à cognata ſua Eliſabeth. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, id eſt, benedicta tu: quia benedictus fructus*, &c. Hôc ſuppoſito ſignificat Euangeliſta. Seceſſit Dominus in hortum: quia locus erat in quo Iudas ſciebat Dominum inueniendum, & idcircò ad illum frequenter Dominus cum diſcipulis ſuis diuertebat: quatenus excommunicatus ille à quo tradêdus erat, quando proditionis ſuæ ſcelus executioni mandare voluiſſet, in quærendo non laboraret.

*Marc. 14. 11.*
*Luc. 22. 6.*

VI. Iudas quærit Chriſtũ tradere ſine turbus.

*Ioan. 18. 2.*

*Luc. 1. 42.*

Feſtinus fugit Dauid & deſerit Hieruſalem: quatenus ſi filius patricida & rebellis magnâ inſtet diligentiâ patrem comprehenſurus, multò grauior ſit Patris quâ ſe à filij liberet intentione. *Ne fortè præoccupet nos*, nec ipſe diligentior ad me capiendũ procedat, quàm ego ad fugiendum. Feſtino gradu properat de Hieruſalem exire Dominus, & in hortum tendit monti vicinum Oliuarum: vt ſi Iudas omnem moueat lapidem vt eo accedat Dominum ſuum capturus, nullum non omittat lapidem Dominus vt traditorem præueniat ab ipſo capiendus: ita vt non Iudas illum ſed Iudam ipſe præoccupet. Meâ quidem ſententiâ cernimus hic impletum quod de ſapientia Salomon aſſerit ſapientiſſimus. *Præoccupat qui ſe concupiſcunt vt illis ſe prior oſtendat.*

VII. Chriſtus Iudam præuenit in horto.

*Sap. 6. 14.* 16

Ad litteram loquitur de ſedula diligentia, quâ Deus eos præuenit, qui illum pro ſalute ſua concupiſcunt & inquirunt: etenim ipſe eſt, qui prior diligit, vocat, ſeſe offert, & currit obuius. Porrò poſſemus illa præſenti accommodare propoſito: non enim eô tantum animô Dominus proficiſcitur, ne fortè à Iuda præoccupetur, vt dicebat & verebatur de Abſalône Dauid. *Ne fortè præoccupet nos*, ſed ipſe tantâ præcurrit diligentia ſedulus, vt ipſum præoccupet Iudam capturam ſuam iam meditantem. *Præoccupat qui ſe concupiſcunt.* Pateat igitur quòd, *ſapientiam non vincat malitia.* Magnam paſſus eſt Iudas anguſtiam, ſuam peruerſam impleturus cupiditatem, egrediendi de cœnaculo, quatenus executioni mandaret, quam animo conceperat, traditionem Domini in manus inimicorum: at multò grauiori ipſe Dominus torquebatur anxietate præ charitate nimia & amore, vt hoc impleretur in tantum vt illi diceret: *Quod facis fac citius.* Vadit & pergit Iudas diabolicâ agitatus diligentia militum copias ad proditionis ſcelus armaturus: vult Dominus vt conſtet omnibus quòd maiori ipſe flagret deſiderio vt capiatur, quam Iudas vt eum capiat: ſi namque hunc auri impellat auaritia, Chriſtum agitant vires amoris multò ſuperiores, & deſiderium redemptionis hominum, Patriſque ſui æterni mouet obedientia. Procurrit Iudas inquieta turbatus ſollicitudine, gradumque duplicat ad locum quem prænoſcit & præconcepit, vt quando acceſſerit, nondum illinc Chriſtus deceſſiſſe potuerit: ſed ſuum Chriſtus multò velociùs greſſum triplicat, ne prior Iudas accedat eumque non reperiens deluſus abſcedat: indubium enim eſt quod quantumuis gnaua ſit malitia, tamen illam præcurrat ſapientia, quæ ab illa ſe ſuperari non patitur: hoc audimus ex ipſo Spiritu Sancto: ſuam ſcilicet diligentiam cæterorum omnium ſuperare diligentias. *Omnibus mobilior eſt ſapientia.* Legit D. Auguſt. *Motus eius agilior, celeriorque omnibus motibus.*

*Sap. 7.*
*Lib. 4. de Gen. ad litt.*

bonu

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

O bone Deus quam diligentes motus excitat ipſa malitia ut Dominum comprehendat. In Iuda cupida & auara operabatur auaritia quam adeo diligentem aſſerimus vt eam viderit Pro-
Zach. 5.9. pheta Zacharias alis inſtructam milui, ſub figura quarundam mulierum, menſuram deferẽtium falſam: cum enim miluus volatu ſit celerrimus, ſignificat quam feſtiui ſint & veloces in ſuis ſectandis auari negotiis & fraudibus: quô poſſint deſiderij ſui inexplebilem implere menſuram, Sacerdotes vehemens inuaſit affectus inuidiæ: hæc etenim velut ſtimulus acutiſſimus pungebat illos, & cor penetrabat: nam illam deſcribit Spiritus ſanctus in ſymbolo lanceæ penetratiuæ,
Iſai. 29. vnde vocat illam ſpiritum compungentem. *Dedit*
Rom. 11.8. *illis ſpiritum compunctionis*: etenim ſi præter ſu-
VII. Similitudo. ſorum impetum, quo fertur ex natura ſua agitatus equus, cũ inſuper aſſeſſor calcari ſic pungat vt latera peruadat, efficiet vt parietes vallaque tranſcendat. Tales erant illi, quos præter ingenitam animi malitiam, diabolus ſtimulo prouocabat furentis inuidiæ acutiſſimo. Principes ſimiliter honoris excitabat ambitio: hic etenim ventus eſt turbulentus, & efficax, qui pectoris totum mare commouit vt monſtratum eſt à Deo Danieli. Propria Dæmonem in furias agit malitia quâ contra ſanctos acriùs impellitur, quæritque quem deuorare poſſit, ac acerbiori ſtimulatus furore, quàm leo rugiens, circuit
1. Pet. 5.8. quærens quem deuoret: ita D. Petr. Hac nocte dormiuit nulli, omnes excitati, vigiles omnes ſuis agitati deſideriis, affectibus violentis & efficacibus impulſi: cæterum omnibus mobilibus mobilior eſt ſapientia.

VIII. Christus velocior aliquem quam creaturarum. Quantumuis magnâ omnes diligentiâ prouocentur ad facinus, maiori tamen ipſa ſapientia: quia diuino impellitur amore qui pennis mouetur multò velocioribus quàm omnium amor creaturarum. *Alæ eius alæ ignis atque flammarum*, teſtatur ſponſa iuxta lectionem D. Ambr. vbi noſtra vulgata legit. *Lampades eius, lampa-*
Cant. 8.6. *des ignis atque flammarum.* Itaque nomen quod naſciturus in mundũ illi imponitur hoc eſt *Ac-*
In pſ. 118. *celera, feſtina, ſpolia detrahere.* Eũque vidit ſponſa greſſibus ita incedentem acceleratis vt montes & colles curſu ſuperaret *Ecce iſte venit ſaliẽs in montibus, tranſiliens colles, ſimilis eſt dilectus*
Iſai. 8.3. *meus capreæ hinnuloque ceruorum*: Prout proſe-
Cant. 2.8. quuntur D. Gr. *a* D. Ambr. *b* & D. Aug. *c* eum vidit Dauid vt robuſtiſſimũ gigantem corde læ-
a Hom. 29. in Euang. tum, amore flagrantem iterque ſuum carpentem.
b Lib. de *Exultauit vt gigas ad currẽdam viam.* d Etenim vt opinor, dicit id quòd iam declarauimus, quòd nempe Dominus diuino quodam delibutus gau-
Iſaac c. 4. dio, in cœna cantauerit hymnum, vt dicunt Eu-
& in pſal. 118. Ser. 6 angeliſtę quatenus inde iter ſuum inciperet greſ-
c L. 4. Cõ- ſu multò velociori, quàm quis in gigante poſſet
feſſ. c. 12. notare velociſſimo. Idcircò tantâ procedit ad
apud Lo- hortum diligentia, vbi illum Iudas militibus &
rin. ſup. 8. iuſtitię miniſtris comitatus inueniat quos Prin-
verſ. 14. cipes & Sacerdotes eum capturos emiſerant, in
d Pſ. 18. hoc oſtendens quantò ſit ſuperior vis amoris, quô trahitur ad mortem, ea peruerſitatis auaræ, liuidæ, & ambitioſæ totius vniuerſi imò & furentis omnium inferni cacodæmonum.

O vires ignis diuini, qui ſi corda noſtra comprehenderet quàm multò diligentiores nos efficeret ad ea quæ diuinum ſpectant obſequium quàm mundani ſunt, propriis agitati vtilitatibus & ambitionibus ad peritura. Satis liquidò conſtat quantò præcedat hominum amor ille diuinus: nihilominus perpende quòd amor hominis Dei accendit pectus, eumque ad illius ſalutem ita ſedulum effecit: vt quamuis mors ſua foret tam moleſta, tamen illam tantâ quæsrat ſollicitudine, graduque duplicato, vt omnem inimicorum ſuorum præueniat diligentiam: quid ageret amor Dei, ſi pectus hominis inuadens
D. Greg. Hom. 30. in Euang. accenderet? *Amor operatur magna, ſi eſt: ſi autem operari renuit, amor non eſt.* Hoc irrefragabile eſt D. Gregor. argumentum. Cape experientiam effectus in corde Apoſtolorum, quando illis ſuperuenit, eoſque ignis hic diuinus occupauit. O ſponſe mi dilectiſſime, ſic ſponſa cœleſtis loquitur, illum in corde meo diuinum ignem accende & patebit quanta poſt te curremus agilitate, odore delitiarum tuarum attractæ ſuauiſſimo: *Trahe me poſt te curremus in odorẽ vnguen-*
Cant. 1.3. *torum tuorum.* Nemo non videt quàm longè diſtes ab hoc igne, quandoquidem tam tardè & grauiter Chriſtum inſequaris, quàm lentè procedis in ieiuniis, in eleemoſynis, in operibus mortificationis, quàm quietus reſides & immotus, vt pauperi ſubuenias, hoſpitale viſites, & redimas captiuum: *Si autem operari renuit amor non eſt.*

§. 16. Cœpit pauere, & tædere, & mœſtus eſſe. *Ingreſſus eſt Chriſtus hortum, in quo fructus collegit pomorum, pauorem, tadium & mæſtitiam. Hos adm. remur affectus.*

EGreſſus eſt igitur Chriſtus de Hieruſalem, 37
& tranſmittens torrentem Cedron viã ſuam direxit verſus montem Oliueti ex altera

parte torrentis. Veriſſimè prudentiſſimi fuerunt
*Tract. 35.* illi greſſus & maximè ordinati: Oliua (ſic habe-
*in Matth.* mus ex Origine) miſericordiam denotat ob ſua-
*Hom. 13.* uitatem quam habet oleum in ſe, ſimiliter dici-
*in Leuit.* tur ſymbolum pacis: quia per oliuæ ramum il-
*Gen. 8. 11.* lum Deus Noë poſt diluuium annuntiauit il-
lum mediante columba trāſmittendo. Paſſionem
ſuam Dominus inchoaturus in montem ſecedit
Oliueti: quia paſsio illius ex mera & pura pro-
*Luc. 1. 78.* cedit miſericordia. *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto.* Eius
fructus pax erat; æterni Patris pectus pacificans,
hominemque Deo terramque cœlo reconcilians.
*Coloſſ. 1. 20.* *Pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis.* Ad pedem huius montis
I. Quid ſit Gethſemani. quidam erat vicus dictus Gethſemani in quem
ſingulari myſterio Redemptor noſter contendit.
Gethſemani (vt credendum eſt D. Hieronymo)
ſignificat *vallis pinguis*: eratque verè talis, inquit
*L. de locis Hebrei. & in c. 26. Matth.* ille, ex abundantia herbarum quas proferebat:
nam idcirco eò deducebant agnos electos ad
perpetuum & continuum ſacrificium, vnum et-
enim mane alterum veſperi quotidie ſacrifica-
bant, & inde deducebant immolandos, ad ſa-
crificium.

Iuxta prædicta, quandoquidem Saluator no-
ſter agnus ſit diuinus iam nunc immolandus, cu-
ius ſacrificio cetera finem accipere deberent ag-
norum legalium ſacrificia, congruenter in hanc
*Barrad.* ſecedit villam: vt eum ibi reperiant & inde de-
*Cancor. l. 6 c. 8. To. 4.* ducant ad ſacrificium, immolandum. Alij dicūt,
nec malè, dici vallem pinguem ex abundanti co-
pia olei quæ ibidem tundebatur: erat enim ere-
ctum molendinum in quo premebantur baccæ
Oliuarum, ex quibus oleum effluebat vberrimū:
eſt & alius qui vim expendens verbi hebraici
Gethſemani, vult illud ſignificare pilam ſeu olei
molam. Erat Redemptor noſter oliua diuina:
nam ex illo eliciendus erat liquor ſanguinis ſui,
quouis oleo pretioſior atque ad ſalutem effica-
cior: proficiſcitur ad hoc molendinum, ibi pila
compreſſus timoris, pauoris mortiſque agoniæ,
tantā illud copiā diſtillat, vt terram irriget
abundantiſſimè. Tranſit Dominus torrentem
Cedron circa octauam noctis duabus poſt veſpe-
ram horis, comitabantur eum Apoſtoli timore
pauidi, corde commoto & præ nimia anxietate
& triſtitia palpitante, quam ex ſermone contra-
xerant, quo magiſter eis valedixerat & quem
actualiter proſequebatur, illis mortem ſuam iam
eſſe in proximo ſignificans, atque ab illis diſce-
dens: vnde omnes illum quaſi coronā cingebant:
vltima illa, ſuauia, & tenera audituri verba, qui-
bus illis animum ingerebat, quaſi extremos illis
præſtans amplexus.

Cum illis Dominus hortum ingreditur: qui
erat in vico illo, & locus ad orationē à turba ſe- II.
motus: vtque in eo ſententiā D. Cyrilli, noſtræ
principium daret libertati vbi principium acce-
perat noſtra captiuitas. *Se comprehendendum in hortum recepit, vt ibi initium eſſet noſtræ libertatis, vbi noſtra cœpit captiuitas.* Diuinum profe-
ctò conſilium: nam incœpit ibi curatio, vbi ori-
ginem ſumpſit infirmitas. In horto, atque ea
occaſione fructus eiuſdem initium cœpit diabo-
li poſſeſſio, quā miſerum ſubiugauit ſibi homi-
nem, primoſque iniecit funes, quibus eum liga-
uit ſuumque reddidit ſeruum. In horto incipit
noſter reparator illi dare libertatem, omnia hæc
dirumpens vincula funeſque deligans, permit-
tens vt illa in ſe corruant, ipſe ligetur, ipſe ca-
ptiuetur. In horto morbus incœpit lethalis ſu-
perbiæ, quā homo Deo rebellauit, & ad mor-
tem vſque reſtitit inobediens: in horto medela
incipit tanta humilitate & obedientiā tam pro-
fundā, vt dicat: *Fiat voluntas tua*, quæ ad mor-
tem vſque perſeueret. Fuit hortus locus, in quo
primus Adā cœpit nos à recta cœli ſemita de-
ducere & vſque in infernum agere præcipites:
ſit hortus locus ille, in quo ſecundus Adam nos
à via retrahere incipiat inferni, & dirigere ad
æternam vſque beatitudinem. In horto princi-
pium habuit mors noſtra: in horto habeat no-
ſtra vita principium: nam ideireò ſponſa cœle-
ſtis adeò teneré atque inſtanter Sponſum hunc
cœleſtem deprecatur vt hortum ingrediatur. *Veniat dilectus meus in hortum ſuum, vt comedat fructum pomorum ſuorum.*

Diuina veneremur hæc verba: nam egregiè
alludunt ei, quod in primo ſcimus horto conti-
giſſe. Creauit in eo Dominus pomū quam ſuum
eſſe dicere poterat: quia illam ſibi reſeruauit, ho-
mini liberam concedens ex ceteris lignis come-
dendi facultatem. *Ex omni ligno paradiſi comede: De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas.*
Porrò homo inuerſo omnia fecit ordine: nam
nullam contingens arborem ad ſola poma eiuſ-
dem manus iniecit. Quis inde fructus? Dolor,
lacrymæ, pœnæ, infirmitates, timor, anxietas,
anguſtia, mortalis agonia, vincula adeo ſtri-
cta, à quibus ſeipſum non poteſt ſoluere donec
ad mortem tandem deueniat miſerandam. Hic
eſt ille pomorum Dei fructus quæ ſibi reſerua-
uit: vt enim verè teſtatur Apoſtolus fru-
ctus peccati ex illo nati, pœnæ ſunt & angu-
ſtiæ. Veniat dilectus meus in hortum hunc,
manum-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

manum extendat & his fructibus ſaturetur: *Comedat* non ſolum guſtet ſed perfectè plenèque comedat: & quid obſecro? Cruciatus, pauorem, tædium, mortales anguſtias: hic ſtatuatur eius mortis principium, hic capiatur & ligetur, nec liberetur donec in cruce mortem ſubeat ignominioſam.

38 Ingreſſus Dominus hortum dimiſſis ſeorſum octo Apoſtolis & hortatus eos ad indefeſſas vigilias & orationem: quia iam imminebat hora, in qua vaticinium implendum erat Zachariæ: *Percutiam paſtorem & diſpergentur oues gregis*, ab

III. eis ſe retraxit cum D. Petro, Iacobo, & Ioanne, quantum iactus poteſt iacere lapidis. Plurimas afferunt SS. Patres rationes cur nominatim hos tres, cæteris omiſſis, ſecum aſſumpſerit. Sufficiat autem nobis modo ratio Diui Chryſoſt. cui ſuffragantur Theophilactus & Euthymius: quia erant illi à quibus minus de ſcandalo timendum erat, licet viderent Chriſtum cum extremis mortis anguſtiis colluctantem, quandoquidem illi ipſi tres fuerant qui viderant illum in

IV. monte Thabor gloriâ radiantem ineffabili. Qui Principem videret inopem pallio tectum vili & lacero, de facili ſibi perſuadere poſſet eum tali veſtiri, quia aliud quo ſe cooperiat non habet: verumtamen qui diuitias illius vidiſſet immenſas, cui ciſtas ſuas aperuiſſet, atque ad oculum pretioſa ſua pulchraque monſtraſſet veſtimenta, rubinis ornata & ſmaragdis inſtar ſolis lucentibus: crederet, ſi tali vili induatur veſtimento, non ex eo prodire quod pauper ſit, aut veſtes deſint illi venuſtiores; ſed intelligeret laruatum eum ſic procedere ad ſingulare quoddam ſtratagema & de induſtria compoſitum. Talis erat illa figura, quam Dei filius aſſumere dignabatur, quâ noſtram operaretur redemptionem, ita à gloria ſua & diuitiis aliena, vt neceſſe fuerit diſcipulos aſſumere particulariter inſtructos in diuinæ ſuæ perſonæ diſtincta cognitione: quia dicunt de illo Euangeliſtæ: *Cæpit pauere, & tædere, & mæſtus eſſe.*

Verba ſunt hæc adeo notatu digna, vt non videantur poſſe dari alia magis expreſſiua anguſtiæ quam Dominus patiebatur interiùs, & eius quam vultu præferebat exteriùs. *Pauere* eſt timere, nõ taliter qualiter, ſed metu quodam mortali, qui pauor dicitur, quò capilli capitis eriguntur, & corporis oſſa colliduntur, totuſque homo pauore contremiſcit: hunc Deus inimi- Leuit. 26. 36. Deut. 28. 65.
cis ſuis minabatur immittendum. *Dabo pauorem in cordibus veſtris. Dabit tibi Dominus cor pauidum.* Hoc pauore non parum Pharao perturbabatur quando ſuper ſe vidit aquas maris irruentes: ob quam cauſam populus Dei electus cum Moyſe carmen hoc decantauit. *Irruat ſuper eos* Exod. 15.
*formido & pauor, in magnitudine brachij tui.* In 26.
Græco legimus: *Cæpit obſtupeſcere*, Quò verbò ſignificatur ſtupore aliquem perterreri atque exhorreſcere, eo modo quò viſò quis ſpectro vel phantaſmate contremiſcit & expaueſcit. *Tædere* eſt animi grauedine, moleſtiâ, ac nauſeâ ita torqueri, vt eo modo cor anguſtetur, vt omnimodò tibi videatur deficere, tibi pariat nauſeam, grauemque moleſtiam, nec ſcis quò vultum diuertas, vbi dolor tibi non augeatur. Hoc verbo vſus eſt Spiritus Sanctus declaraturus animi moleſtiam & querimoniam populi in deſerto, cui omnia faſtidiebant, aquæ, manna, ſolitudo,
via, &c. *Et tædere cæpit populum itineris ac labo-* Num. 21.
*ris*, quod alia lectio declarat: *Anguſtia affecta eſt* 4.
*anima populi*: Quidquid enim videbant, ipſos amplius arctabat & nouum pariebat faſtidium: *Mæſtus eſſe*, triſtitiam inuoluit adeo grauem, vt cor eo modo comprimat, vt ſpiritus præfocet vitales, vnde concidunt oculi vultuſque inclinatur figura ita lethali, vt affligat inſpicientes. Hâc pœnâ, vt graui ſupplicio, terrebat Deus ſibi re-
fractarios. *Dabo animam tuam conſumptam mæ-* Deut. 28.
*rore:* 65.

39 In rei veritate verbis his: *Cæpit pauere, & tædere, & mæſtus eſſe*, innuunt SS. Euangeliſtæ quòd Chriſtus coram tribus illis Apoſtolis, oſtenderit ſe metu tremulum, totum horrore perculſum & pauore nimio ſtupefactum, modo in hanc modo in alteram partem oculos conijcientem, velut qui omnia ſibi mala ſuſpicatur, grauique ſe oſtendit torqueri faſtidio, cuique omnia in nauſeam conuertuntur, vultu ita ad triſtitiam compoſito, vt veriùs de illo dixerim illud, quod Spiritus Sanctus de ſummo Pontifice Onia teſtatur, dum vidit Heliodorum theſauros gazaſ-
que templi deprædantem. *Iam verò qui videbat* 2. Machab.
*ſummi Sacerdotis vultum, mente vulnerabatur:* 3. 16.
*Facies enim & color immutatus declarabat internum animi dolorem: circumfuſa enim erat mæſtitia quadam viro, & horror corporis, per quem manifeſtus aſpicientibus dolor cordis eius efficiebatur.* Talis erat eâ hora Saluatoris noſtri facies & anguſtia, quam vt declararet amplius, tres illis Apoſtolis ait, qui timore conſternati illum inter noctis tenebras pauidum intuebantur: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem: ſuſtinete hic & vigilate mecum.* Heu filij mei chariſſimi, hoc vobis notum ſit animam meam tam inconſolabili torqueri triſtitia, & timore adeo forti cruciari,

vt vitam mihi ipſam adimere ſufficiat, hoc eſt *vſque ad mortem.* Senſus eſt hic quem SS. Patres vt magis legitimum horum verborum opinan-
4. Reg 20. 1. tur: ſicut dicitur de Ezechia: *Ægrotauit vſque ad mortem*, & de diſcipulo ſuo Epaphrodito ſcribit
Phil. 2. 27 Apoſt. Paulus: *Infirmatus eſt vſque ad mortem:* ſignificatur infirmitas adeo grauis quæ mortem adferat, morbus lethalis. Simili phraſi locutus eſt
Iona. 4. 9. Ionas: *Iraſcor ego vſque ad mortem.* Nec aliter ſe res habuit; tantus enim taliſque tremor, anguſtia, & triſtitia cor oppreſſit Saluatoris noſtri, vt ſufficiens fuerit nedum illum occidere ſed mille alios, quos idem inuaderet: timor etenim & tri-
1. 2. q. 17. per totam. ſtitia, prout expendit Theologorum præceptor cor coanguſtat, & quando magnus eſt, illud præfocat ſpiritus extinguens vitales.

Heu quis ille timor! vt autem hunc exponeret, petit ne longiùs inde diſcedant, ſed conſtantes adhæreant illi comites. *Suſtinete hic, & vigi-*
Similitudo. *late mecum.* Similitudinem accipe de viro quem grauis apprehendit formido: poſtulat enim à ſeruo ſuo vel amicum deprecatur, ne ſolum eum deſerat, ſed illi fidus adhæreat: vel ab alio in quẽ pondus cecidit adeo graue, vt ab altero humerum quærat illi ferendo ſubſidiarium Quid hoc rei Domine mi dulciſſime, & ſupremæ dux fortitudinis, de quo tibi formidas? Quod phantaſma vidiſti? Quæ viſio ſpectri tuis occurrit oculis vt tanto pauore contremiſcas? Si quid ſcio Domine mi, per hoc teipſum reddis intentioni, quam tibi pater commendauit inhabilem: quandoquidem ſic in eius principio tam horrendo metu, teipſum pauidũ oſtendis & infirmũ. Hoc optimè noſti, Princeps illuſtriſſime, meticuloſum & pauidũ, ex tua ipſius diſpoſitione & decreto à multis annis inſtituto ad bella cenſẽdum incapacem, nec non antiquitus à te præceptum, vt ante prœlij congreſſum præconis voce meticuloſis omnibus interdiceretur, ne quis ex illis cum
Deut, 20. 8 hoſte cõfligeret. *Qui formidoloſus eſt, reuertatur:* etenim timor cor illi gelu conſtringet, eneruabit brachia, ſimilique formidine ſocios perterrefaciet: nil enim ſic ſociis adhæret quàm ſocij ſocordia. Similiter Domine mi, nobis anſam præbes ſuſpicandi, vires tibi languere, quibus affectus tuos & paſſiones modereris: cum tali modo te ab illis monſtres ſuperatum, tuumque cor ab iis ſic occupatum, nec non eorum viribus ſubiectum, vt illud deiiciant & ſubmergant, nec illo es potentior, quem audiuimus conquerentem.
Pſ. 54. 6. *Timor & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ.*

## §. 17. Cœpit pauere, *&c. Voluntariè Dominus hos ſuſcepit affectus, ipſoſque excitauit maiori veritate, quàm ventos Æolus.*

AD huius expoſitionem conueniet duo declarare. Primum: quomodo ſurrexerint & excitatæ fuerint in Redemptore noſtro paſſiones illæ timoris & mœroris adeo graues vt ipſe manifeſtauit, qui illas mouit, & excitauit. Secundum: quo fine, quaue intentione affectus illos prius Chriſtus pati voluerit tot anguſtiis pœniſque terribiles. Circa primum, ſupponenda eſt doctrina Catholica quam docet nos S. Theologia & proſequitur elegantiſſimè eiuſdem Princeps D. Thomas, quòd diuerſimodè quàm in nobis, in Chriſto Domino noſtro ſurrexerint affectus illi & paſſiones vtriuſque partis ſenſitiuæ, iraſcibilis & concupiſcibilis. In nobis excitantur præueniendo vſum rationis, & eiuſdem deliberationem, imo ſæpius & communius ipſa renitente, quam obfuſcant & obnubilant: vnde prodeunt & exurgunt frequentiùs nobis inuitis & repugnantibus. Eo modo timor aſſurgit in periculis, vt eum coërcere nequeas: & ita in occaſionibus iniuriarum, vt illam impedire non poſſis: & gaudium quando optatis fortuna fauet: & acrior deliciarum appetitus, quando quidquam offertur carnis tuæ conueniens appetitui, ſiue in materia ciborum, cum illos vel olfacis vel cernis eſſe tuo conformes appetitui: ſiue in delitiis ſenſualibus propoſitã tibi puellæ alicuius elegantiã. Hac de cauſa celebres illi Philoſophi Stoici quorum principes & anteſignani fuerunt Zeno & Pythagoras, omnes illas paſſiones, & affectus nigro calculo condemnârunt, illas naturæ accuſantes infirmitates eſſe, quæ cum viribus deſtituatur, robore non valet, quò reſiſtat ne tales exurgant, dicebantque ſimiles eſſe ſtolonibus, qui de radice pullulant arboris, ipſique nocent quàm maximè, ex eo quod virtutem ebibant, nec eam permittant fructum proferre copioſum. Hæc erat eorum opinio, ſed inſuper errabant in eo quòd omnes illas generaliter in viro ſapiente reprobarent: quia vt docet S. Pagina, & S. confirmat Theologia, imo Philoſophia declarat moralis, ſæpe neceſſariæ ſunt illæ paſſiones ad ipſos actus virtutis, vt oſtendunt D. Hier. (a) D. Auguſt. (b) D. Thom. (c)

Porro verum quantum ad hoc eſt quod dicebant, motum vid. hunc paſſionum, quæ ratio-

nem

Margin: 40; I. In Chriſto paſſiones ... illi penitus; a Ad Cteſiph. contra Pelag. ...

nem præueniunt & deliberationẽ, quinimo illa reſiſtente exſurgunt argumentum eſſe, quò probatur id quod ipſi non intelligebant, nempe naturam noſtram infirmam eſſe debilem & ſaluce, de vigore & viribus iuſtitię originalis denudatam, in qua Deus hominem creauit ita ſui ſuorumq; affectuum dominum, vt nullus eorum poſſet exurgere, quem ipſe in ſe ex ratione non excitaret. Deficiente hac virtute, ita debilis & infirma eſt natura, vt in nobis oriantur, abſque eo quòd nos illos ex ratione ſuſcitemus. Et aliquando, illos nobis non volẽtibus patimur, vt teſtatur de
Rom. 7.23. ſeipſo doctus experientiâ D. Paulus. *Video aliam legem &c. Non quod volo bonum &c. Sed quod nolo malum hoc ago.* Cæterum in Chriſto Domino noſtro nullus nec quidem minimus eorum ortus eſt, ſurrexit & excitatus eſt ſine ordine ipſius expreſſo, & prudenti voluntatis illius deliberatione: vnde numquam ratio fuit ſubiecta paſſionibus, nec illis vel minimè obnubilata: imo potius omnes illæ prodierunt in illo tantum & præcisè ſecundum quod illas ratio commouebat, & ad particulares excitabat effectus. Idcirco
II. D. Hieronym. non vult vt motus illos vocemus paſſiones, aut dicamus Chriſtum paſſum eſſe paſſiones ſicut de me & de te dicimus, ſed propaſſiones; id eſt affectus quæ rationem non præueniunt, ſed ex eius procedunt deliberatione, & ab ea præuenti ſunt.

Hoc breuibus verbis comprehendit D. Damaſcenus dicens paſſiones noſtræ voluntatem noſtram præoccupant, & diſcurſum præcurrunt in
III. tellectus: in Chriſto autem illam ſequuntur ei que obediunt. Fingebant Poëtæ veteres, atque vt verum credebant Gentiles, qui ſua cœci infidelitate multitudinẽ adorabant deorum, magnum eſſe diſcrimen inter Æolum, quando mare perturbabat, & alios homines idem pernauigantes: aſſerebant enim vt erat filius Iouis Dei omnium ſupremi, quòd Dominus eſſet & Rex ventorum omnium, quos ita ſpeluncis detinebat occluſos, vt nullus flare poſſet, nec mare turbare, quinimo nec leuiter illud mouere, niſi ipſo vocante ſingulos, modò Boream, modò Eurum, modò Zephyrum. Et nullus eorum flabat, niſi quantum ille permittebat, lenè & ſuauiter, vel fortiter ac violenter: quocirca proſpera ſemper & optata nauigatione procedebat. Verumtamen cæteri mare nauibus ſulcantes libero ſuper ventos non potiuntur dominio: vnde licet aliquoties in eorum exſurgant & perflent beneficium, communiter tamen contra eos exſurgunt cientes tempeſtatem eamq; adeo horribilem ut extremis illos exponant pereundi periculis, eoſque cogant perpetua inuigilare ſollicitudine vela contrahendo, clauum moderando ipſis ventis aërem eripiendo & corpus eorum violentiæ ſubtrahendo.

41 Commentum erat illud ſi diuinitatem & dominium ſpectes, nihilominus illud Diabolus perſuadebat, fraudibus Gentiles irretiens, ſed veritatem profitemur certam & Catholicam quâ confitemur Chriſtum Deum & Dominum totius naturæ: vt eiuſdem Dominus abſolutus poteſt in ea quodcumq, voluerit: mutare aquam in vinum, reſtituere cæco viſum, leproſo munditiem, auditum ſurdo, agilitatem claudo, vitamque mortuo. Poteſtate viget ipſe plenaria ſuper omnes ventos paſſionum, etenim illæ ſunt, quæ mare hoc perturbant & commouent. Proh ventos potentiſſimos, quot & quantas excitant tempeſtates! Attende ventum furoris in Cain, in Amnon filio Dauid amore ducto libidinoſo erga ſororem ſuam Thamar, quò miſer motus expirabat: perpende ventum infernalis auaritiæ quàm vehemens ille fuerit in Iuda, *Stetit Spiritus procella, & exaltati ſunt fluctus eius. Aſcendunt vſque ad cœlos, & deſcendunt vſque ad abyſſos, anima eorum in malis tabeſcebat.* Venti illi ſæpenumero in nobis patenter exſurgunt & fortiter contra voluntatem noſtram, noſque anxiæ exponunt ſubmergendi ſollicitudini, ita vt cogant nos contrahere carnis noſtræ vela, illam mortificare, caſtigare & remis pœnitentiæ atque aſperitatis illam cohibere, fortiterque apprehendere clauum rationis & legis diuinæ & feruentioris orationis. Catholicè expreſſit hoc D. Paulus. *Video aliam legem in membris meis, &c. Captiuantem me in lege peccati.* O quam turbulenti mouentur venti, quibus aperto ſubiicior periculo pereundi. *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria &c.* Adlaboro remis operando: *In vigiliis in ieiuniis, à dextris & à ſiniſtris.* Manu clauum arripio orationis. *Ter Dominum rogaui, vt diſcederet a me, &c.*

IV. Chriſto appropiatur.

Pſ 106.25

Rom. 7.23

Gal 5.19.

2. Cor. 9. 27.

Porro Chriſtus verus eſt Deus & dominio mari huius præeſt abſoluto, hoſque ventos ſic moderabatur, vt ne vel minimus eorum flare poſſet nec quidem leuiter, niſi ſecundum quod ille moueret eum & produceret, nunc iræ contra templi violatores, nunc compaſſionis ex conſpectu languentiũ, nunc miſericordiæ motus fame qua turbæ, eius aſſeclæ torquebantur amariùs, vt dicendum. Eſt autem hoc euidens. ſi namque iuſtitia originalis tribuebat Adam tale ſuper naturam ſuam Dominium, eamque habebat ita ſanam

V. Chriſtus ventis imperabat paſſionum.

vt

vt in ea nulla poſſet exurgere paſſio nec carnis affectus, nec in iraſcibili, nec in concupiſcibili, niſi pro beneplacito ipſius: quantó magis hoc in Chriſto debebat operari gratia vnionis naturæ humanæ cum diuina, ſanamque ſeruare carnem illam virtute diuinitatis ſibi perſonaliter vnitæ?

Colo. 2. 9. *In quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Paſſiones illas in Chriſto bene comparauero puellabus Regis Aſſueri, quarum nulla prodire poterat, Regiſque ſe ſiſtere præſentiæ, niſi illa quam ipſe nominatim vocabat, eoque modo quó illam vocare ipſi placebat.

VI. Diſcrimẽ inter Ægyptios & filios Iſrael.

Notat Spiritus Sanctus diſcrimen inter Ægyptios in Ægypto commorantes, & filios Iſrael habitantes in terra Geſſen, nam cum euentibus quibus crebro torquebantur, mouebantur pariter canes latrando, boues mugiendo, oues balando, gallinæ aliæque aues pipiendo quas impedire & cohibere erat illis impoſſibile, porro in terra Geſſen omnes in vtramque aurem obdormiebant: ſic enim legitur:

Exo. 11. 6. *Erit clamor magnus in vniuerſa terra Ægypti: apud omnes autem filios Iſrael, non mutiet canis.* Natura noſtra refraga reſpondet terræ Ægypti: nam præter quotidianos vitæ ſucceſſus, exurgunt animalia paſſionum amoris, timoris, triſtitiæ, gaudij, ſpei, deſiderij, & qui illas cohibeat ſcio neminem.

Rom. 7. 5. Quàm bene ſentiebat hoc, qui dicebat. *Cum eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per legem erant operabantur in membris noſtris*, & grauiter expoſtulabat contra concupiſcentiæ ſuæ paſſionem, dum illud à nobis ſæpius repetitum, ſimiliter ipſe ſæpe repetebat. *Non quod volo bonum hoc ago, &c. Sed quod nolo malum hoc facio id eſt concupiſco:* Similiter querebatur Dauid.

Pſ. 30. 10. *Conturbatus eſt in ira oculus meus, anima mea, & venter meus.*

☞ 42

VII. Luctus D. Auguſtini in obitu matris ſuæ.

Lectu digna eſt illa quam de ſe refert D. Au. Hiſtoria in morte matris ſuæ dilectiſſimæ: vt enim eam vidit expirantem, quam tenerrimè diligebat, excitabatur in illo affectus doloris adeo vehemens, vt lacrymas non poſſet cohibere, ita vt verecundaretur, non parum, quòd ab aliis notaretur ita debilis, & quantumlibet conaretur, non illum poterat pro voluntate ſua moderari. Vnde factum eſt vt iam eum non ita grauaret & mærore afficeret mors matris ſibi chariſſimæ, quàm propriæ debilitatis cognitio, qua lacrymas non poterat cohibere prorumpentes: vnde ſic ait. *Alio dolore dolebam dolorem meum, & duplici triſtitia macerabar.* Eodem modo refert D. Bernardus grauiſſimum ſuum mærorem, quem ex morte fratris ſui Gerardi contraxerat tanta illum exprimens teneritudine verborum, vt lectorem ad lacrymas plerumque permoueat: ait autem hoc ſe maximè doluiſſe, quòd triſtitiæ non potuerit imperare, ab illa ſuperatus, & propriam ipſe arguebat infirmitatem.

VIII.

*Increpabam mollitiem affectus mei: non potui imperare* (ſic ipſe candide fatetur) *triſtitiæ, ſed ſicut ſcriptum eſt. Turbatus ſum & non ſum locutus.* Sæpe tu multa expenderes, vt furor aut motus ſenſualis in occaſionibus tibi oblatis non exurgeret. In terra ſancta humanitatis Chriſti, non fuit, ſed nec minimus ortus eſt affectus vel mota paſſio, niſi ipſo illam excitante quomodo & quando, eoque modo, quò volebat & iudicabat ipſe expedire.

Itaque ex opinione D. Auguſt. *Non animi infirmitate, ſed poteſtate turbabatur, & triſtabatur, & iraſcebatur.* Eo modo prouocauit in ſeipſo motum furoris, quò ſacrilegos templi profanatores caſtigaret, eos inde velut canes eliminans, menſas eorum & pecunias euertens: etenim hic neceſſarius eſt, docente Philoſopho in talibus nobis occaſionibus. Similiter timorem excitauit, quando mortis formidine, quam illi Iudæi machinabantur, fugiens ſeceſſit in Galilæam & cautiùs ſe ibidem obſeruauit. Nec non commiſerationem in ſe prouocauit, quando plorantes vidit Mattham & Mariam ſibi beneuolas ex morte amici ſui Lazari, totaque ſpectante ſynagoga & ipſe lacrymatus eſt: pariter condolens calamitatibus quibus præuidit opprimendam vrbem Hieruſalem, lacrymas fudit vberrimas: ipſo quoque conſentiente contra mortem & duritiam infremit Iudæorum, quando non ſemel, Lazarum reſuſcitaturus, fremitum edit horribilem: ipſe eſt qui modo ſuſcitat affectus illos timoris, pauoris & tædij, eo modo quò induſtrius operarius, cui diuerſa ſunt diuerſis operibus dicata inſtrumenta, nunc ſumit hoc, modò aliud pro libera ſua voluntate, vt cum illis operetur tantum & totum illud quod intendit: hæc etenim ea eſt ſimilitudo, quâ Philoſophus expoſuit rationem, cur natura tales affectus infuderit & paſſiones, quas humanorum actuum vocat inſtrumenta.

IX.

Hôc ſuppoſitô ſi Chriſtus Dominus noſter timere noluiſſet, non timuiſſet, præſertim cum in ſe tali diuina poteſtate polleret, vt ſicut vnico, *Ego ſum*: in terram proſtrauit eos à quibus capiendus erat, minori poſſet negotio cunctam euertere creaturam: & ſi triſtis eſſe noluiſſet, eum triſtitia non oppreſſiſſet, quinimo tanto gaudio potuiſſet demulceri quanto nunc in cœlo

fruiturs

fruitur:eum in ſe ſufficiens eius haberet fundamentum ex animæ ſuæ gloria, quam in corpus diffluere permittere poterat, ut diximus in myſterio Transfigurationis. Verumtamen imminente iam hora paſſionis, ipſe proprio motu ac voluntate in ſeipſo prouocauit pauorem & timorem, voluitq; tantum eſſe vt ex illo totus horrore contremiſceret, & mœrorem adeo exceſſiuum vt illi mortem poſſet infligere, niſi virtute diuina cor ſibi confortaret. Hoc eſt, *Cœpit pauere & tædere, & mœſtus eſſe.* Quamuis autem manifeſtũ ſit verbo *Cœpit* ſignificari pauoris initium, atque in hoc SS. Patres diuina notent myſteria: non tamen erit inconueniens, ſi ſumamus illud tanquam præteritum à verbo *Capio* q.d. quod ipſe ſumpſerit pauorem tædium & triſtitiam: eo modo quo Dauid declaraturus qualiter Redemptor noſter deſcendẽs in lymbum ex eo redemptoros & ſecum capturus eſſet SS. Patrum ani-
Pſ.67.19. mas, ſic ait: *Cepiſti captiuitatem* & eadem phraſi, quã idem Chriſtus expoſiturus, quod ipſe voluntariè mortem ſuſciperet, quam dicit ſomnum, ore Dauidico ſic ait: *Ego dormiui & ſomnum cepi*, ſic legit pſalterium Romanum, quod noſtrum ſic transfert: *Ego dormiui & ſoporatus ſum.*

Pſ.3.6. §. 18. Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. *Mortalem Chriſto triſtitiam attulerunt peccata & perditio Iudæ, ſuique populi: noſtra ex ſe illum contriſtant, vt declarat D. Hieron.*

QVandoquidem ille qui Patris eſt ſapientia hoc ita fecerit & diſpoſuerit, grauiſſimas ad hoc debuit habere rationes. Plures ad huius declarationem adferunt SS. Patres, admirandas omnes: nec hoc mirum: vt enim opus hoc eſt paſſionis Domini, Dei ſapientia, quam dicit D. Paul. in myſterio abſconditam, tantas in ſe comprehendit rationes; vt nec ipſi ſupremi Seraphim eas ſuo poſſint intellectu pertimari: & quamuis plures à SS. Patribus proferantur, ſunt tamen infinitæ conſiderandæ, quas in cœlis intelligemus: etenim ſola lucis illius ſupremæ claritas ſufficit illas reuelare, quamuis nec adhuc perfectè & integrè licet talis ſit, quo minimã earum
I. Chriſtus reuera homo timuit. perfectè poſſimus intelligere. Plures & varias SS. Patres timoris huius & triſtitiæ Domini allegãt rationes, ex quibus duas aut tres tantum excerpemus, ſuppoſita communi quam omnes indicare, & aliàs expoſuimus; quod ex illo teſtari voluerit & probare naturæ noſtræ humanæ veritatem, quam diuinæ ſuæ perſonæ hypoſtaticè vnierat, quam præuidebat à nonnullis, imo à pluribus poſtmodum hæreticis, negandam. *Contriſtabatur* (ita D. Hier.) *ad oſtendendam veritatem* D. Hier. in c.26. Matth.
*aſſumpti hominis* Quinimo idcirco non dixit (ita D. Ambr.) triſtis ſum, ſed triſtis eſt anima mea, Tom 6.
nam illa ipſa erat, quæ vitam humanæ naturæ largiebatur. *Verborum ipſorum proprietatem conſideremus. Triſtis eſt* (inquit) *anima mea: & alibi: Nunc anima mea turbata eſt valde. Non ergo ſuſcipiens, ſed ſuſcepta turbata: anima enim obnoxia erat paſſionibus, diuinitas libera: etenim Spiritus promptus eſt, caro autem infirma.* D. Amb. In c.22. Lu. To.5.

Eſt igitur ratio conſideratu digniſſima, quam Loc. cit. allegant D. Ambr. D. Hieron. & ſupponunt vt euidens timorẽ hunc pauorem & tædium Chriſti ex morte, non fuiſſe, ſicut in nobis. Quomodo credemus (ſic argumentatur D. Amb.) ipſum timuiſſe mortem puſillanimem, ad quem ſeipſum obtulit intrepidus? Ipſe Hieruſalem acceſſit moriturus, ipſe proceſſit obuius militibus illum capere conantibus, ipſe ad vnicam vocem ſuam in terram proſtratos erexit & timorem abſtulit, illum capiendi plenam largiens ipſis poteſtatem, imo quaſi prouocans vt manus illi iniciant violentas. Ipſe in oſculo pacis proditorem ſuſcepit & amicum appellauit. *Triſtis erat non pro ſua paſſione &c. Cæterum quam conſtanter ſe morti obtulerit, connexa declarant: quandoquidem quærentibus occurrit, turbatos confirmauit, trepidos prouocauit, proditorem oſculi dignatione ſuſcepit.* D. Amb. Si moriturus venit (Ita D. Hier.) & indignationẽ oſtendit non minimã D. Petro, quia ſe huic oppoſuit aduerſarium illum accuſans Satanam. *Vade poſt me Satana*: qua ratione mortem ipſe formidaret? Matth. 16. 23.
*Contriſtabatur non timore patiendi, qui ad hoc venerat vt pateretur, & Petrũ timiditatis arguerat.* D. Hier.
II. Chriſtus doluit ob peccata in paſſione ſua committenda. Timor quo perculſus expauit, & ratio cuius gratiã mortem metuebat, & recuſabat ignominiam, hæc ea erat (ex opinione ſanctorum) quod videret paſſionem ſuam executioni mandari diſpendiô vnius ex diſcipulis ſuis, cum ſcandalo & offendiculo Apoſtolorum, cum primicerius eorum illum impudenter erat negaturus, tamq; horrendis populi ſui ſacrilegiis, in quorum pœnam & ipſe in ruinã præcipitaretur, ciuitas autem ſolo tenus eueretur: & ſicut illud Dominicã palmarum dum moriturus adueniret, cor illi tanta repleuit triſtitia, vt videns ciuitatem ex oculis quaſi binis fontibus lacrymæ fluerent vberrimæ: hoc ipſum eſt quod nunc, cum iam iam paſſurus eſſet, ipſum grauiter perturbat & ſummopere contriſtat. Loquatur D. Hieron. *Contriſtabatur* D. Hier.

III. *propter infelicißimum Iudam & ſcandalum Apo-*
Iudæ do- *ſtolorum, & reiectionem populi Iudæorum, & euer-*
loris rui- *ſionem miſeræ Hieruſalem.*
nam.

Itaque duo ſunt, quæ ſingulariter affligunt, torquent & pauore conſternunt Redemptorem. Primum horrenda peccata, & ſacrilegia diſcipuli ſui & Apoſtoli Iudæ, ſuique populi Iudaici, quem vt filium elegerat ſibi primogenitũ, quæ in mortis ſuæ executione perpetranda forent. Secundum: perditio & damnatio eorum, Apoſtolorum ſcandalum, quòdque præuideret eos diſpergendos ſicut illis prædixit, ſicut oues abſque paſtore, cumque Petrus tertiò eſſet abnegaturus. Sit ita, quòd mors mea in remedium futura ſit peccati, quatenus illud in mundo deleatur, ſuaſque vires perdat & potentiam: ad vitam & ſalutem totius humani generis, quâ mortui ad vitam reuocentur & homines à pœnis liberentur incolumes, æternis cruciatibus flammiſque ob peccata ſua mancipati, vt in vnam Eccleſiam, vnamque cœli gloriam colligantur electi: quod autem huius executio fiat tot tamque innumera atque horrenda committendo peccata, & quidem à meis ipſis electis, diſcipulo & populo, idque futurum ſit in perditionem & totalem eorum deſolationem, diſperſionem, ſcandalum, & chariſſimorum Apoſtolorum meorum offendiculum, quomodo non exhorreſcam? Hoc eſt quod ipſum proſternit, hoc illi mortis adfert formidinem, non quòd horrendos illos extimeat cruciatus, ſed quod perficienda ſit tot ſacrilegis inuoluta ſceleribus in quorum ſupplicium illi, qui manus extenderunt adiutrices miſerè ſunt perituri: inſuper ea de cauſa (dicunt SS. Patres) in oratione quam modo Chriſtus effudit, non petiit non bibere calicem abſolutè, ſed illum, ob quem tantopere premebatur, qui nempe tam enormibus mixtus erat peccatis & ſuprema populi ſui peruerſitate abominabilis. *Poſtulat* (ecce

D. Hie. denuo D. Hieron.) *non timore patiendi, ſed miſericordia prioris populi, ne ab illis bibat calicem propinatum: vnde & ſignanter non dixit: Tranſeat à me calix, ſed calix iſte, hoc eſt populi Iudæorum, qui excuſationem ignorantiæ habere non poteſt, ſi me occiderit, habens legem & Prophetas qui me quotidie vaticinantur. Nec illud diſtat à vero* (ſic loqui-

D. Amb. tur D. Ambr.) *ſi triſtis erat pro perſecutoribus ſuis*
IV. *quos ſciebat immanis ſacrilegij pœnas daturos, &*
Cur di- *ideo dixit: Transfer hunc calicem à me, non*
xerit *iſte* *quia Dei filius mortem timebat, ſed quia nec ma-*
*calix.* *los perire volebat.*

44 Hanc propono vobis ſimilitudinem: ſi exper-
V. tiſſimus adeſſet medicus atque curaturus mortiferam totius vrbis luem contagioſam, medicamen componeret efficaciſſimum, ſi videret quòd eius compoſitio fieri deberet, infligendo filiis ſuis ſibi chariſſimis mortalem & venenatam peſtilentiam, quodque omnes illi mori deberent furibundi & proprias manducando carnes, quâ non anguſtia obrueretur eâ horâ quâ tale componendum eſſet medicamentum? Quo mærore? Quibus anxietatibus? Non timeret Chriſtus mortem, vtpote medicinam efficaciſſimam curandæ peſti peccati totius mundi, omnibuſque à liberandis, ſi potuiſſet executio mandari per manus & vngues animalium ferocium, leonum, tigridum, luporum, modo nullum interueniret peccatum, nec hominis alicuius perditio: hoc eſſet quod ipſe votis omnibus optaret: & quamuis cum peccato & perditione fieret Barbarorum, idololatrarum, gentilium, qui nullam de Deo, neque de hoc habebant myſterio cognitionem, Deuſque ipſos habebat vt populum obliuioni traditum, perditum & abortiuum, de quo D. Paulus: *Permiſit gentes ingredi vias ſuas*, vt abirent quocumque eos ferret impetus voluptatis, tranſeat: ſed quod executioni mandanda ſit mors eius ſupremæ malitiæ & primæ notæ ſceleribus, totali perditione, caſu & morte temporali atque æterna vnius Apoſtoli, & illius populi electi, atque dilecti, quocum conuerſatus fuerat, egerat familiariter, quem filij loco habebat: hoc fert moleſtiſſimè, hoc illi cor mærore conſtringit, hoc tantâ animam replet mœſtitiâ, vt dicere licuerit: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Hoc autem ita patet (ex ſententia D. Ambroſ.) nam ad terminum iam deueniens ſuæ paſſionis, oſtendit hoc illi maximè viſcera lancinare perditionem hanc vtique; ac proinde illud primum deplangens quod illi maximè dolebat; (a) primum verbum de cruce hoc protulit, quô Patrem ſupplicat pro inimicis ne perirent illi, ita ſui, in pœnam eius quod in morte illa delinquerant, quæ Salutationi totius mundi, imo & gentilium deſtinabatur. *Vnde & dixit Pater dimitte illis hoc peccatum: ne exitialis eſſet populo paſſio ſua, futura omnibus ſalutaris.*

Hinc duo ſunt elicienda. Primum: quantum VI.
malum ſit peccatum, vt in tantã deuoluet Deum triſtitiam, eamque tam intenſam vt vitam illi ſi tollere ſufficiat, *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Illudit hæreticis D. Hier. Manichæis quia vetus Teſtamentum reiiciebant eo præter tu, quô indicabant illi in eo dicere Deum nonnulla ſibi non decentia, & in particulari quædam notabant verba dicta per Ezechielem Prophetam.

phetam Synagogæ Iudæorum: nam recenſito
Ezech. 20.43. criminum eorum catalogo ſubiungit: *Et contriſtabis me in omnibus iſtis.* Ita legunt Septuaginta ſecundum D. Hieron. quod nos ſcribimus: *Et prouocaſti me in omnibus his.* Ecce tibi, obiiciebant illi, quod dicere non poterat ille qui verus erat Deus. Hic etenim nullâ poteſt torqueri triſtitia; hæc namque eſt propria mortalibus. Amentiam ſapit hoc nimis apertam, reſpondet D. Hieron. quia hôc ſuppoſitô & eodem titulo reiiciendum pariter eſſet nouum Teſtamentum: quandoquidem in illo nobis præcipiat & hortetur D. Paulus ne contriſtemus Spiritum Sanctum.
D. Hier. in c. 16. Luc. Th. 4. Ephes. 4. 30. *Interrogemus eos, quomodo illud ſuſcipiant, quod certè boni Dei mandatum eſt: Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in die redemptionis.*

Sic eſt, nec refragamur, quòd Deus in ſe nec habere, nec pati poſſit veram triſtitiam: nam eius non eſt capax: nec aliarum paſſionum ſimilium: etenim puriſſimus eſt Spiritus; nihilominus veraciter dicimus, quòd ob peccata noſtra contriſtetur, cumque nos illis contriſtemus, *Contriſtabas me omnibus his*: eſt etenim Deus adeo bonus & peccatum adeo malum eiuſquedam bonitati it contrarium: vt quantum eſt ex parte peccati, Deum contriſtare ſufficiat, ſi in illum cadere poſſet triſtitia, vſque adeo vt illum in maximam afflictionem mortiſque deduceret agoniam. Si hoc non agat, non ea ratio eſt quòd ad hoc non ſufficiat: ſed quia in Deum cadere non poteſt, nec talem effectum in eo operari. Eadem de cauſa dixit Iſaias impio Regi Achaz, rebellem nempe eius infidelitatem nedum affligere pœnamq; inferre fidelibus & Prophetis ſanctiſſimis: ſed ipſum Deum ad mœſtiſſimam & anguſtiſſimã deducere mor-
Iſai. 7. 13. tis agoniam: & quod in noſtra vulgata littera ſcribitur, *Numquid parum vobis eſt moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & Deo meo*: legerunt Septuaginta & Theodocion, vt notat D. Hier. *a.* ſicut etiam legerunt antiqui Patres D. Irenæus
a In c. 7. Iſai. *b.* & D. Cypri. *c.* *Agonem præbuiſtis Deo meo.*
b Lib. 3. contra hæreſ. c. 26. Dicitur hoc ob eandem rationem, quòd ſi realiter in Deum cadere poſſet agonia & animi triſtitia, hanc illi peccatum tantam adferret vt vitam illi auferre ſufficeret.
c L. ad. Iud. c. 9. "Hoc tibi liquidò conſtet: quod cum Dei filius naturam aſſumpſiſſet horum affectuum capacem: quamuis illam diuinæ ſuæ perſonæ vniuiſſet vinculo illo cœleſti & indiſſolubili vnionis hypoſtaticæ, tamen in eo fuerunt ita efficaces, vt ipſe fateatur illos ſufficere ad ſuam internecionem: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.*

VII. Peccatũ reddit Deum amarum.

Argumentum non noui efficacius, quò peccati malitia declaretur, quàm ſi dicamus, eſſe in ſe adeo potentem vt Deum triſtitiâ torqueat adeo moleſtâ, vt poſſit, quantum eſt ex parte ſua, illi vitam adimere. Quanta foret illa vnius grauis aloës amaritudo, ſi ex ſe ſolo poſſet totum amarum reddere mellis vel dulciſſimi lactis Oceanum? hoc attribuitur peccato, iuxta D. Hieron. nam illa Prophetæ Sophoniæ verba ponderans: *Væ ciuitas peccatrix*: aduertit in Hebræo legi verbum *Marath* quod ſignificat Deum amarum efficere, *Quod poſſumus dicere Deum amarum faciens, id eſt ſuo vitio dulcem Dominum atque clementem vertens in amaritudinem.* Idem notat iuſtam illam enucleans querimoniam Dei populo ſuo propoſitam. *Conuertiſtis in amaritudinem iudicium, & fructũ iuſtitiæ in abſynthium.* Id eſt ex eiuſdem interpretatione. *Mutaſtis naturam Dei, vt dulcem amarum faceretis, & fructum iuſtitiæ eius in abſynthium verteretis, quæ herba eſt amariſſima.*

D. Hier. Lib. 3. in c. 6. Amos. Tom. 5. Sophon 3. 1.

Amos 6. 13.

VIII. Iudæi ſunt gens exaſperans.

Hac phraſi frequenter vtitur S. Pagina confirmans à peccatoribus Deum reddi amariorem. Hoc nomine compellat Dauid populum illum duræ ceruicis: *Generatio praua & exaſperans.* Legit D. Aug. *Generatio praua & amaricans.* Ita ſimiliter. *In exacerbatione ſecundum diem tentationis in deſerto.* Legit D. Aug. Conformiter antiquæ tranſlationi: *In illa amaricatione*: & eſt hæc phraſis illi frequentior: *Exacerbauit Dominum peccator. Exacerbauerunt eum in deſerto. Sanctum Iſrael exacerbauerunt, &c.* Nam facere poteſt hoc ex ſe peccatum, amaricare, contriſtare, Deumque exacerbare: patetque ex præſenti hiſtoria: cum enim poſſet Deus triſtari, timere & mortis agoniâ comprimi; tu videris quales in illo peccata noſtra cauſent affectus, vt dicat: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Tu animo ſedulus perpende, quòd quantò gaudes alacriùs ob impletum appetitum tuum ex conſortio talis puellæ, vel ob lucrum acquiſitum iniuſtè: tantò contriſtes Dominum hunc amarius & anguſtiis affligas acerbiùs, imo ipſe ſis qui præ cæteris illum his detines infirmatum.

Pſ. 77. 8. In Pſ. 77. Pſ. 94. 9. Pſ. 9. Pſ. 77.

IX. Peccata Deo in ſe non nocent.

Verumtamen Domine cœlorum, quid tua refert, quid inde tibi mali quod malus ſim? Quid tibi damni, quid perdis, cum populus hic perditur ingratus? An tibi deſunt ſerui pro placito tibi ſeruientes? Abundat tuum his palatium: myriades vidit Propheta tuus, omnes ad manum tuamque voluntatem promptiſſimos. *Millia* Dan. 7. 10.
*millium miniſtrabant ei. & decies millies centena*

*millia aſſiſtebant ei.* Sæpius tibi contigit vt populi huius ſeditione ſtomachabundus, illum delere propoſueris aliumque tibi aſſumere, qui gratioribus tibi reſponderet obſequiis, Moyſi vero pro illo deprecanti reſpondiſti, nihili tibi referre talem populum, aliumque tibi aſſumendum eminentiorem: *In gentem magnam:* numquid in aliquo reprobi ſuis perverſi nequitiis derogant maieſtati tuæque gloriæ celſitudini? Num ergo ſceleribus ſuis vel minimum de tuis eripiunt fures diuitiis? Quis credat tibi facultates accreſcere quando boni ſunt? Iam olim dixit Eliu amicus Iob à ſapientia commendatus. *Suſpice cœlum, & intuere quòd altior te ſit.* Suſpice & conſidera tam altum vt obnubilare non poſſet gloriæ eius ſplendorem tuorum ſcelerum fumus & nebula quantumuis condenſa, nec ſolis eius augere lucem quaſcumque candelas accenderis. *Si peccaueris quid ei nocebis? Et ſi multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Porro ſi iuſtè egeris quid donabis ei aut quid de manu tua accipiet? homini qui ſimilis eſt tui, nocebit impietas tua, & filium hominis adiuuabit iuſtitia tua.* Vicino tuo tibique ſimili, & eandem, quam tu, calcanti terram tuis potes actionibus nocere perverſis, ſed numquid Deo? Proximo tuo miſeriis afflicto remedium adferre potes, & ex tua miſericordia ſubſidium: numquid & Deo?

Exod. 32. 10. Num. 14. 12. Iob. 35. 5.

Penſat D. Chryſ. argumentum hoc Apoſtoli: nam catalogum recenſens peccatorum abominabilium quæ Philoſophi quondam illi perpetrabant, quorum ſuperbia meruit, vt manum ſuam Deus ab illis retraheret, vnde dilaberentur deorſum de peccato in peccatum, donec omnino Deum omnem abnegarent, atque vt talem colubros ſerpentes, & buſones adorarent. *Commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt & ſeruierunt creaturæ potius quam creatori:* adiungit: *Qui eſt benedictus in ſæcula amen. Amen* vox eſt iuramenti, quâ Dominus vtebatur rem aliquam confirmaturus, *Amen dico tibi* q. d. Apoſtolus: ſub iuramẽto ſolemni aſſeuero, quòd Deus benedictus ſit & glorioſus in ſæcula. Ad quid dicit hoc? Quia poterat opinari aliquis malitias illas contra illum à Philoſophis commiſſas, in aliquo potuiſſe eius turbare gloriam vel eius maieſtatis derogare magnitudini. Nihil tale ſuſpiceris: quantumuis enim multa, grauia & horrenda ſint hominum peccata, nec atomum quidem illi poſſunt detrahere: nam in omnia ſæcula in eodem Deus remanet eſſe gloriæ ſuæ infinitæ, non minus quàm ſol, quantumuis enim ſpiſſi ac fœtentes aſcendant de terræ ſterquiliniis vapores, ad illum non accedunt nec obnubilant quam habet in ſe claritatem. Vnde interprete D. Chryſoſt. hoc Apoſtolus ſignificat. *Non propterea ipſe detrimentum accipit, manet enim laudandus ac benedictus in ſæcula.*

D. Chrysost. Ho. 4. in Epiſt. ad Roma. To. 4. Rom. 1. 25.

X. Ratio cur Deus ſe peccatis ... dat contriſtari.

Quid ergo hoc eſt, Domine mi, quòd propter peccata hominum te monſtres tantopere contriſtatum? Primò: quô bonitatem ſuam declaret infinitam, quę tantum abeſt vt in ſe patiatur culpæ vel peccati malitiam, vt etiam illa quæ in nobis eſt, non paruam poſſit illi cauſare triſtitiam & anxios adferre cruciatus, illam tantummodo conſpicienti. *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris.* Ita teſtatur Vates Abacuc: Quando vir aliquis munditie præſtat candidiſſima, nedum in ſe non tolerat vllam in ſua veſte maculam, ſed inſuper illi mouentur viſcera ſi cloacã cernat immundam. Qui puro gaudet olfactu, nedum non permittit vt in ſeipſo hæreat aliquid peruerſi odoris, ſed etiam is qui ab alio dimanat eum offendit, halitum adimit & perturbat cerebrum. Secundò: quia nos diligit, & ſicut delectatur, vt more noſtro loquamur, noſtris commodis, illaq; nobis conferens in beneficium: *Lætabitur Dominus benefaciens vobis:* Ita contriſtatur & affligitur (eodem loquendi modo) ex malis noſtris, damnis & aduerſitatibus, quô confirmat illam propoſitionem, quam vt primum principium Sanctiſſima Sara ſtatuit: *Non delectaris in perditionibus noſtris:* Pariter & ipſe Salomon: *Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione viuorum,* præſertim eorum quos elegit, ac ſingularibus ſuis donis ditauit abundanter; ſed in hac cor illi dolet & viſcera lancinantur.

Abac. 1. 13. I. Simili... do. Tob. 3. Sap. 1.

## §. 19. Triſtis eſt anima mea, &c. Contriſtauit Dominum populi ſui Iudæque perditio, ſicut Abſalonis Dauid. Ne tu illum contriſtaueris.

II. Iudæ cõdictio ponderatur. Isa. 4...

Singulare eſt quod prælibauimus, videre 46 Deum tot repletum amaritudinibus & anguſtiis propter populi ſui peccata, vt nomen illi dederit: *Generatio amaricans.* Domine quamobrem ita te populi huius ſcelera contriſtant? An non ſunt his grauiora Gentilium quibus mundus ſcatet abundanter? Illi ipſi erant, qui liberrimè in profanas & beſtiales protrudebant venerei luxurias, inter ipſos in ſummo gradu vigebant rapinæ, iniuriæ, adulteria, homicidia, & illis alia non eſſet lex, quam ſua cuique potentia:

ab

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ab eis horrenda colebantur idôla nemine contradicente, ſummaque libertate: quod ſi populus tuus ſimilia patraret peccata, non ea tamen erant continua, nec in omnibus regionibus, nec perfrictâ fronte fiebant; nam aliquantulum prædicatione Prophetarum tuiſque minis coërcebantur. Vt quid ergo cum nec tanta eſſent illius peccata nec tanta ab eis colerentur libertate ſimulacra, ſicut ea aliarum nationum quàm plurimarum, quibus mundus impletur, te triſtem oſtendiſti & conquereris gloriæ tuæ eſſe iniectum abſynthium, quo amarum te reddiderunt; nec tamen te talem declaras ob aliorum peccata & perditionem?

I. Similitudo. Ratio ſit hæc, quia populum hunc amore dilexerat infinito eumque vt ſuum elegerat, quem ſuorum regnorum atque diuitiarum heredem inſtitueret. Si ſupremus omnium imperator ſuâ merâ gratiâ inter omnes ſibi ſubditos eligeret ſeruum, vilem reiectitium, eumque vt in filium & regni ſui heredem adoptaret, illi totum amorem ſuum conſecraret, ceteris omnibus omiſſis, atque ad bonam eius educationem pædagogos illi prouideret & magiſtros, illudque ageret vt ipſi curiæ ſuæ magnates illi deſeruirent, eoque modo pluribus annis mille deliciis hic enutritus adoleſceret: quod ſi eo tempore quo dignitatem illi conferret imperialem regnique ſui firmaret ſucceſſorem, intelligeret quòd illi mortem machinatus fuiſſet, mille perfidus traditionibus, & horrendis ferox crudelitatibus, quem iuſtitia depoſceret publicô locô condemnandum, quàm graui tunc dolore torqueretur? Quomodo contriſtaretur? Cernens in vanum, tot collata dona tantamque in fumos abyſſe ſollicitudinem: denum quòd qui pater fuerat piiſſimus, nunc illi mutandus eſſet in iudicem ſeueriſſimum, in cuius locum alium inquirere deberet, in filium ſibi & heredem adoptandum? II. Iudæorũ electio prædeſtinata. Elegerat Dominus populum & hũc ſibi in filium adoptauerat: *Primogenitus meus Iſrael.* Amorem illi ſuum impenderat: *Dilexi vos*, teſtatur apud Malachiam. Hunc in gloriam elegerat ſibi particularem.

Iſa.4.12. Præclara hic verba non prætereamus populo illi dicta à Moyſe iam morituro: *Dominus elegit te hodie vt ſis ei populus peculiaris, ſicut locutus eſt tibi, vt cuſtodias omnia præcepta illius, & faciat te excelſiorem cunctis gentibus quas creauit in laudem, & nomen, & gloriam ſuam vt ſis populus ſanctus Domini Dei tui.* Diuinam ſtupere bonitatē; Creauit mundum eius ſolius gratiâ: quia proprium boni eſt communicare ſeipſum. Mundum productum bona ſua communicauit naturalia, eſſe, viuere, ſentire, intelligere. Porrò ſicut bonum eſt infinitum non ſe continuit hac communicatione, ſed illũ voluit facere bonorum ſuorum omniũ infinitorũ & ſupernaturalium, conſortē, quibus ipſe fruebatur: ſic vt in ipſo nullum eſſet bonum quod non illi cōmunicaret. Ad hoc populum illum elegit particularem, fide ſua & diuina illuminauit cognitione, legibus ac ceremoniis inſtruxit particularibus, & ſingularia illi nonnulla ſeruanda mandauit, cæteros omnes in mundo relinquens peccatorum & idololatriæ tenebris inuolutos. *Dominus elegit te hodie vt ſis ei populus peculiaris, vt cuſtodias eius præcepta.* Domine, vt quid illi præcepta, mandata, legemque præſcripſiſti? Numquid tibi proderant obſequia ab illis tibi præſtanda? Nequaquam, ait Deus, ſed illis ipſis, nam per hoc ſe dignos efficient, quibus mea bona, gratias, donaque communicem, quô fiet vt cæteris gentibus palmam eripiant eminētiores. *Vt faciat te excelſiorem cunctis gentibus*, in laudem (inquit Deus) meam meique gloriam: *in laudem & nomen & gloriam ſuam.* Gloria quâ Deus non æſtimat maiorem, ea eſt, quâ ſuas nobis communicat miſericordias, & hæc ea eſt, ob quam perpetuas illi ſoluere tenemur gratiarum actiones: *Gratias agimus propter magnam gloriam tuam* de quo diximus aliàs.

Itaque populũ hunc inter alias mũdi nationes elegit, vt ex illo ſibi gloriam acquireret, non aliquid ab illo recipiendo, ſed illi bona ſua ſuprema & ſupernaturalia gratiæ ac gloriæ communicando. III. Beneficia ei collata proponuntur. In hunc finem in manu potenti & brachio excelſo eduxit illum de Ægypto, & quaſi vineam ſuã in illa plantauit regione adeo frugifera, vt dicatur lacte & melle menare, ex illa Chananæos eiiciens poſſeſſores. Eô animô tradidit legem illis ita propria manu ſua conſcriptam, vt non alio calamo quàm proprio digito illam exarârit. Ea intentione ſanciuit illis ſacrificia, oblationes, Sacerdotes, Leuitas, vnctiones, altaria. Ad hoc erexit illis templum ita celebre vt per totum mundum eiuſdem fama vagaretur. *Quod per vniuerſum orbem honoratur.* 1. Machab. 12. Ea voluntate Reges illis iniunxit illuſtres, potentes, opulentos, & honoratos. Eo fine miſit illis Prophetas, magiſtros & Doctores. IV. Inde orta eſt in Christo tanta triſtitia. Vt igitur vidit populum hunc electum, tot modis auctum, vt in illum ſuas effunderet diuitias, ſibi contumacem, ſuis aduerſarium miſericordiis & earum torrentes ingratitudine ſua ſuſpendentem, ſua peruerſitate diuinam iram prouocantem ni fallor, Dei viſcera commouebantur, & quaſi vim patie-



bantur.

bantur, eo modo quò fons vberrimus vim pateretur ſi quis ſummo conatu eius curſui, ne flueret, ſe opponeret.

47 Talem ſe Deus Prophetis ſuis proponit anguſtatum. Illum Vates Michæas intuetur quaſi cœli cardines inambulantem, & triſtia de corde ſuſpiria producentem: *Væ mihi.* (Mich. 7. 1.) Quid te mali habet Domine mi? Quod in populo illo neminem inueniam cui benefaciam: omnes etenim contra me ſuorum criminum ænea tormenta direxerunt. *Rectus in hominibus non eſt*, &c. Hoc igitur eſt ex opinione D. Hieronym. & D. Ambroſ. quod eum hac tempeſtate tam extrema premit anguſtia, vt hanc dicas ſufficientem, quâ coanguſtatus moriatur, dum videt populum, à tot annis electum tam ſingularibus donis prævențum, tam extraordinarijs amoris fotum indicijs, cui ipſe ſingulariter promiſſus fuit pro cuius ſalute & libertate ita nominatim aduentus eius deſtinabatur, vt ipſe declarauit: *Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael.* (Matt. 15. 24.) dum videt inquam, illum futurum qui manus ſuas in ſua morte, tamque ſacrilegis ſceleribus commacularet, vt in tanti criminis pœnam gloriæ ſuæ, templi ſui, donorum, ciuitatis, vitæque ſuæ pateretur naufragium: hoc illi mortis adfert agoniam, hoc letali cor eius vulnere transfodit. *Contriſtabatur* (ſic D. Hier.) *propter reiectionem populi Iudæorum, & euerſionem miſeræ Ieruſalem Triſtis erat* (ita D. Ambroſ.) *pro perſecutoribus ſuis quos ſciebat immanis ſacrilegij pœnas daturos*, &c.

Hoc illi cor & animam vulnerabat, & ob eandem cauſam mortali triſtitia perditio Iudæ deprimebat: *Contriſtabatur propter infeliciſſimum Iudam* Ipſum etenim elegerat ſibi in Apoſtolum, poteſtate munierat ſupra Dæmonia, morbos & mortē, pedes illi proſtratus abluerat, carnē ſuam in cibum & ſanguinem in potum bibendum illi propinauerat; quod hic ita pereat, ita vorax illum leò deglutiat, ita lupus auferat infernalis: Heu quàm profunda demerſit animam triſtitia glorioſi martyris Euſtachij, quando (hiſtoriam narrante Simone Metaphraſte) (Apud Surium To. 6. die 2. Nouemb.) iam per flumen in humeris tranſtulerat vnum de filiis ſuis, reuerſus alterum tranſpoſiturus, iam illi vicinus cernit illum à leone inter voraciſſimos dentes auferri.

V. Dauidis erga Abſalon amor.

Non minus ardens & efficax erat cœleſtis huius patris amor erga diſcipulum hunc inhumanum, quam Dauidis erga filium ſuum Abſalon Patri refractarium: qui quando arma ſumpſit rebellis vt illum vita regnoque ſpoliaret, atque per hoc viam eum percurrere ingemuit perditionis, ducibus ſuis imperauit contra eum copias in campum producentibus, illum ne occiderent, ſed: *Seruate mihi puerum Abſalon.* (2. Reg. 18.) Quando iam mortem eius intellexit infortunatam, ita fleuit amarè, vt non eſſet quod triſtem poſſet delinire: vnde letalibus merſus anguſtiis modò in hanc partem, modò in alteram continuò conuerſus animæ illius ingemuit luxitque perditionem. *Abſalon fili mi, fili mi Abſalon, quis mihi det, vt ego moriar pro te!* (2. Reg. 18.) Nec vnquā verba hæc illi de ore deficiebant, ſemper repetebat illud: *Abſalon fili mi:* Quia hoc ipſo quod filius ſuus eſſet illi viſcera dirumpebantur, dum eius conſiderabat animæ perditionem.

VI. Christi fletus erga Iudam.

O Dauid ſanctiſſime Chriſte mi Redemptor, quam grauibus hortum hunc obambulas anguſtiis præfocatus, & mortali mœrore conſumptus! Quid te, Domine mi, contriſtat? Quid tuam obnubilat gloriam? Quis oculos tuos torrentes effecit vberrimos? Quod videam filij mei refractarij Iudæ naufragium: *Abſalon fili mi, &c. Quis mihi det vt ego moriar pro te;* Videbatur ex ſententia D. Gregor. Nyſſen. mortuo filio ſuo velle reconciliari. *Cum mortuo in gratiam redit.* Mortuum & occiſum in ſua rebellione peruicacem intelligit, & nihilominus ad ſuam inuitat gratiam omnibus exoptans votis eum poſſe in gratiam recipere & reuerſo dicere: Fili mi: heu fili mi, in me mortis tuæ nulla damnatur occaſio: ſuperba te traxit in ruinam ambitio: hæc etenim te in arma coēgit in Patrem, ſeditioſum. Vtinam ad me reuerti tibi daretur, heu quàm benignus te ſuſciperem! Vtinam venires, quàm aperta tibi meæ paterēt brachia clementiæ, quibus te vt pater ſuſciperem amantiſſimus! O quis te mihi viuum reſtituat, licet meæ mortis impendio! Ruinæ huius infelicis coniunxit aliorum diſcipulorum ſcandalum quod futurum prouidebat (inquit D. Hier.) quos Diabolus circumquaque profugos agitaret, diſperſos, fugitiuos, afflictos, anguſtiatos, & timore perterritos. Heu quanto Dei pectus dolore torquent anguſtiæ, quas à ſuis videt tolerari: iam de hoc aliàs diximus.

Singulariter conſiderauit quod Diſcipulus cui præ cæteris fidebat, illum eſſet tertiò negaturus: quod teſtante Spiritu Sancto mortalem adferre poteſt triſtitiam, vt cras dicemus, hęc igitur prima eſt (aiunt SS. Patres) mœroris cauſa Saluatoris, videre populi ſui electi perditionem, quē tantis cumulauerat beneficiis & pro quorum ſalute potiſſimum ipſe deſcenderat. Hinc collige, ô Chriſtiane, quantum poterunt illum contriſtare

& affligere peccata tua tuaque damnatio. Nos ſumus populus electus, vt in nobis oſtendat, noſque reddat miſericordiæ ſuæ receptaculum. [illegible] *In laudem & gloriam & honorem*, ait Apoſtol. Petrus, cui concinit Apoſt. Paulus: *In laudem gloriæ ſuæ.* Quis meritò conferat præſtita illi populo beneficia, cum illis quibus nos præuenit immerentes? Si namque illos de poteſtate eruit Pharaonis, & per mare tranſduxit rubrum: nos per mare ſanguinis ſui de diaboli ſeruitute vendicauit. Illis manna pluit de cœlo Angelicis manibus ex rore nubium compoſitum. Nobis ſuum tradidit corpus operâ Spiritus Sancti efformatum, ex ea quæ ſolem ipſum puritate tranſcendit. Illis potum tribuit aquam de petra: nobis autem proprium propinauit ſanguinem. Illis Sacramenta præſcripſit, & ſacrificia purificationibus deſtinata corporalibus: nobis autem animarum purificationi. Illis terram conceſſit fertilem: nobis autem cœlum obtulit eminentiſſimum. Cum illis in vmbra & figura arcæ conuerſatus eſt: nobiſcum verò in rei veritate & Matt. 28. 20. propria perſona. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.*

Tandem eadem arguitur differentia illorum ad hæc beneficiorum, quæ reperitur inter viuum & pictum, inter corpus & vmbram, inter veritatem & figuram. O qualis hic Eccleſiæ ſuæ 1. Pet. 2. 9. ſanctæ populus. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium gens ſancta, populus acquiſitionis, vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum.* Veſtra perditio contriſtat illum; veſtra affligunt illum incommoda, veſtra illum crimina timore percellunt, tantoque mœrore conficiunt vt illi mortem adferre ſufficiant. Habemus hic D. Ambroſ. *Doles* D. Amb. in Luc. [illegible] *ergo Domine Ieſu non tua ſed mea vulnera, non tuam mortem, ſed noſtram infirmitatem. Et nos æſtimauimus eſſe in doloribus (ait Propheta) cum tu non pro te, ſed pro me doleres.* Et quid hoc (quærit ipſe) miraris quòd ſe affligat & contribet & illorum doleat perditionem, conſiderans quòd illos vt populum ſuum amore complecteretur: quandoquidem ex ſolo conſpectu mortui amici ſui Lazari tantum contriſtatus fuerit, vt lacrymas profuderit vbertimas? Cum gemitus & lacrymæ Marthæ & Mariæ cor illi ſic vulnerârint, vt continuò oculos illius fontes viderimus fuiſſe lacrymarum? Quid igitur non ageret mortem & perditionem tantorum, quos ſic tenerè diligebat intuitus, quales omnes erant illius populi contribules. *Quid mirum quando pro omnibus doluit, qui pro vno fleuit? Et quid mirum ſi moriturus pro omnibus tædeat, qui Lazarum reſuſcitaturus illacrymatur? Sed & ibi pro ſororis lacrymis commouetur, &c.*

Formac concluſionem & ait. Si tantopere populi illius plangat perditionem, quia electus erat; 48
& ſi tantum contrahat mœrorem ex damnatione Iudæ ſacrilegi proditoris, quia collegio ſuo ſociauerat eum Apoſtolico; quem non angorem illi inferre poterit populi Chriſtiani perditio, ſingulariter electi, & Sacerdotis conſecrati, tuaque ô Chriſtiane, quem ineffabili & ſingulari ſuæ diuinæ beneficio miſericordiæ in ſuam adduxit Eccleſiam, ſuo lauit ſanguine, ſuis ditauit muneribus, ſuaque diuinâ gratiâ reddidit formoſum? Sic dixit D. Paulus, quod refert D. Hiero. Ephes. 4. 30. *Nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei, in quo ſignati eſtis in diem redemptionis*: Vobis rectè dicere potuit: *Nolite contriſtare Chriſtũ Ieſum, qui dedit ſemetipſum pro vobis, vt vos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, &c.* Hoc argumento ducitur D. Ambr. Verumtamen non hoc ita ſumendum vt dicamus Chriſtum mortem non exhorruiſſe, quam realiter exhorruit, vt ſæpius diximus & dicemus, ſed quod ſignificet quòd eo modo mortem non timuerit, quò nos illam formidamus, nec illi fuerit inuoluntaria, eiuſque deſiderio repugnans: quinimo illam deſiderauit & voluit: ſed hoc potiſſimum illum afflixit, quod ipſe minimè deſiderabat, peccatũ & perditio Iudæ atque Iudæorũ, licet ipſo permittente ita ſuccederet.

§. 21. Triſtis eſt anima mea, *&c. Triſtitiam aſſumpſit Chriſtus in pœnarum ſuarum augmentum, quas ita deſiderabat vt ad illarum paſſionem maius effecerit miraculum, quàm illud Iordanis.*

SEcundam huius timoris & triſtitiæ Chriſti 49
cauſam aſſignat D. Augu. quòd nempè mortem eo modo voluerit aſſumere, quò foret illi moleſtior, non ſuis nudam accidentibus grauioribus, ſed iis omnibus duram, quibus non poſſent eſſe truciora. Nemo Catholicus negat Dei filium veniſſe in mundum, vt pateretur pro nobis & moreretur: in hunc finem corpus aſſumpſit magis diſpoſitum ad dolores pœnaſque ſentiendum, cui nullum ſimile in tota natura formatum agnoſcimus. Hoc verbis illis myſticis indicauit. *Oblationẽ & hoſtiam noluiſti, corpus autem aptaſti mihi, &c. Venio vt faciã voluntatem tuam Deus, &c.* Verbũ illud, *Corpus aptaſti mihi,* Pſal. 39. 7. Hebr. 10. 5.

non

I. Chriſtus corpus aſſumpſit aptum ad patiendũ.

non tantum ſignificat à Deo corpus illi formatum abſque virili opera in puriſſimæ Virginis aluo: ſed quandoquidem paſſurus aduenerat, illud ita diſpoſuit, vt præ cæteris omnibus maximè in hunc finem aptaretur: hęc etenim emphaſis eſt verbi illius *Aptaſti*: quia vt aliàs cum D. Auguſt. trutinauimus, aptum dicitur aliquid in ordine ad formam vel finem aliquem: venit paſſurus atque ad hoc dedit illi corpus magis conueniens paſſioni, magis tenerum, magis ſenſibile, potentias habenas viuaciores. Ita vt dolentiùs ſentiret vnius aciculæ punctionem, quam tu nouaculæ aperturam, imò & lanceæ, magiſque eum ieiunium affligebat ordinarium, quàm te in pane & aqua abſtinentia, prout aliàs probauimus. Veniens igitur paſſurus, non tantum corpus aſſumpſit magis paſſibile, ſed etiam plura & grauiora voluit pati tormenta: qualia nullus in mundo pertulerat, eoque modo, vt ipſe ſolus multò grauiora toleraret, quàm omnes Martyres, vt probat Theologiæ Princeps D. Thom.

*Li. 5. Confeſſio. c. 13.*

*Tract. 7. Nu. 102.*

II. Omnes pati refugiunt.

Nec hoc ſolum ſed illa voluit eo modo perpeti quò poſſent illi dolorem inferre acerbiorem & grauiùs illum torquere atque mouere truculentiùs. Homines quotquot in mundo ſunt, pati fugiunt & tormenta, quanto poſſunt ſtudio, ita vt quatenus ſe illis liberos eripiant quælibet agant admiranda. Quem non mouet alter lapidem vt fugiat & lateat ne reus à Rege comprehendatur? Iam captus quas nõ ingenioſas quærit artes quibus ſe vinculis abſoluat, præſertim ſi capitis vitæque periculum pertimeſcat? Quidquid in mundo fit in eum finem dirigitur vt nullum patiatur quis cruciatum. Agricola ne famem incurrat, quos non cum tellure labores perpetitur? Mercator ne paupertatem ſentiat, infirmus quia colicâ torquetur vel febribus exæſtuat, vt ſe his omnes eripiant, quæ non ſtupenda moliuntur? Non ſolum hoc agunt ſed quando ſibi cognoſcunt impoſſibile cruciatus euadere, omnibus remis conãtur vt pœna quanta poteſt ſit minima, deinde eo modo quo minorem ipſis poſſit adferre cruciatum. Quid agit ille iam condemnandus, vt pœnam ſibi minuat, infligendam, vt tanta non ſit, & quando iam eſt infligenda, minori qui poſſit rigore & tormento exerceatur? Quid non molitur alter, quàm inſtanter vrget ne non membratim diuidatur ſed ſolummodo iuguletur? Et hoc ita fiat vt ſibi peplo oculi obuelentur habeatque adſtantes ſibi conſolatores. Imò & ipſe cui vena aperienda præſcribitur, laborat vt eo modo fiat quò minorem ſentiat ex nouacula moleſtiam.

III.

Porrò Chriſtus non ſolum pati refugit, aut vllam adhibuit diligentiam, quâ ſe de tormentis morteque liberaret: quinimò miracula edidit vt poſſet eximia. Quis talem vidit illum? Res videtur omnem fidem ſuperare: ſcias nihilominus de fide eſſe Catholica, tantùm vt pati poſſet, miraculum hoc adeo ſtupendum operatus eſt, & cæteris omnibus eminentius, nec non triginta trium annorum curriculo confirmatum: nam ab instanti puriſſimæ ſuæ Conceptionis in ventre Virginis immaculatæ, vſque dum in cruce moriens exſpiraret animæ gloriam continuit abſconditam, & quaſi vi compreſſam, ne dimanaret & deflueret in corpus: hæc eſt enim natura gloriæ, vt Deo vnito animæ, eo modo quo Theologi declarant, ex hac vnione proceſſat, quod anima luce gloriæ beata ſit & glorioſa: & ſicut hæc forma eſt corporis illique motum ſuum vitamque communicat & cum illa anima ſit glorioſa, naturaliter & neceſſario cõmunicatur hæc gloria corpori, vt illud non ſolùm reddat ipſo ſole clarius, agile & leue, quaſi ſpiritus eſſet puriſſimus, vt ipſos poſſit penetrare cœlos: ſed etiam impaſſibile: vt quãuis medium ignibus hæreret infernalibus, nec minimum poſſent illi dolorem inferre, nec quamuis mille pugionibus impeteretur, vulnerari poſſet, nec mille tormentis æneis quaſſatum vel in minimo poſſet confringi. Non poſſet in ipſo ſtatu corpus ſentire grauitatem, non famem, non ſitim, non aliquam pœnæ ſpeciem licet minimæ. Vniuit ſe verbum diuinum naturæ humanæ in ventre virginali: hinc anima eius beata fuit, tanta imò eadem gloriâ quâ modo fruitur in cœlo, ſcilicet omnium eminentiſſima. Ex hac ſequi naturaliter & neceſſario debebat in corpore gloria, quodque illud efficeret glorioſum, ipſo ſole ſplendidius, nulla grauitate, nullo pondere moleſtum, immortale, vt illud mors non poſſet euertere, impaſſibile vt nullum pœnarum genus poſſet illud excruciare.

Vt autem pati poſſet, illud tunc prodigioſum operatus eſt miraculum, quô gloriam hanc in anima ſuſpenſam detinuit, quaſi curſum eius reprimens naturalem, ne torrentem ſuum effundere poſſet in corpus; præclarius eſt hoc longè miraculum, quàm calorem flammarum ardentium Babylonicæ fornacis in illis ipſis cohibere, ne profluere poſſent nec dimanare in corpora Sanctiſſimorum illorum adoleſcentum, qui ſani & integri inter medias flammas obambulabant: tantòque mirabilius, quantò conuenientius eſt & magis proprium gloriæ animæ, illam in corpus defluere, quàm calorem de flammis procedere

dere flagrantiſſimum. Itaque cum animam haberet vt mare gloriæ, eius cohibuit impetus, ſic vt nec gutta quidem in corpus deflueret; illud relinquens perfectè planèque paſſibile & mortale: nam niſi Deus eſſet qui hoc ageret (cui plenè ſubiecta eſt natura quæ nullam patitur violentiam in eo quod in ipſa operatur) diceremus vim illi maximam inferri: ſicut diceremus quòd vim inferebat flammis fornacis Babylonicæ viuaciſſimis, ſuſpendens in illis calorem, ne cum prodierent & corpora comburerent eorum qui illa circumcingebantur: nam etiam vt grande miraculum cenſet Spiritus S. Ignem in ſinu deferre & veſtimenta non comburi. *Numquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo vt veſtimenta illius non ardeant?* Prou. 6. 27.

Cap. 51. Inter inſigniora miracula quæ Deus operatus eſt, quibus populo ſuo portam aperiret in terram promiſſionis hoc præ ceteris celebratur, quod in aquis Iordanis toto ſtupente mundo patrauit nouiſſimum. Tranſire debebat populus hic Iordanem fluuium, cuius numerus vltra ſexcēta millia bellatorum excreſcebat, exceptis paruulis, mulieribus, gregibus, aliiſque animalibus. Quomodo fiet iſtud? nam *Iordanis ripas alueisui, tempore meſſis, impleuerat.* Præcipit Dominus vt arca ſua per illum ingrediatur: & ecce continuò vehementior aquarum impetus in parte cohibetur ſuperiori, eo modo vt inſtar montium accreſcerent: vim patiebantur, & deflueret niſi Deus illas à fluxu cohiberet. Per hoc dilabentibus inferioribus via patebat ampliſſima, quà pedeſtris per alueum fluminis tanta tranſiret populi multitudo, magni & parui & animalia quàm plurima. Inſigne fuit hoc abſque dubio miraculum, at multò hodiernum illô præclarius, quô nobis viam ſterneret ad terram promiſſionis nempè cœli, quæ debet eſſe vt Iordanis quidam myſticus, hic eſt Chriſtus verus Dei filius factus homo, tranſiens per omnes dolores, pœnas, & calamitates, quas noſtra merebantur crimina. Quomodo fiet iſtud? Stupendo nouoque miraculo.

IV. Iordanis flumi[nis] prodigiũ. Ioſue 3.

De fonte diuinæ eſſentiæ in ipſo profluit vehementiſſimus gloriæ animæ fluuius, hic ſi deflueret curſumque proſequatur, impoſſibile erit vt per aliquod poſſit tranſire tormentum aut pœnam, quantò magis per mortem. Ad hoc igitur fiet ſtupendum hoc miraculum quo cohibeantur aquæ gloriæ in parte animæ ſuperiori, ſint ibi velut conſtrictæ & coactæ, relicta parte inferiori ita ſicca & arida, vt nec earum quidem gutta in illam defluat deorſum: explico me: corpus ita maneat paſſibile & mortale vt per *illud tranſire* poſſint alapæ, vincula, carceres, flagra, ſpinæ, claui, crux, totuſque exercitus tormentorum innumerabilis, paſſu ita libero, vt nullum illis fiat obſtaculum, nullum illa retineat impedimētum. O facinus obſtupendum quod Chriſtus agat vt pati poſſit tam mirabile prodigium! hoc tu quidem faceres, ſi vires tibi non deeſſent, quo non patereris, ſed quo patereris quis vmquam fecit? hoc miraculum Dominus totâ vitâ ſua ſic continuauit, ita abſque omni diſpenſatione, vt vel ſemel dum gloriam hanc animæ defluere permiſit in corpus, in myſterio ineffabili ſuæ transfigurationis, nouo adſcribatur hoc miraculo.

V. Præd[icta] hoc [...] Chriſto.

Quærit D. Thom. vtrum miraculum fuerit quod tunc Dominus operatus eſt: nam nonnulli cenſent quòd non, cum potius fuerit vel parum deſiſtere à continuatione miraculi illius continui, quod in ſeipſo operabatur, animæ ſuæ gloriam ſuſpendens ne in corpus dimanaret, ſicut miraculo adſcriptum non fuiſſet, ſi calori ignis Babylonici habenas laxaſſet, vt iuuenum illorum corpora concremaret: imò potius fuiſſet interrumpere eiuſdem continuationem, illum in ipſo detinendo. Magnum hic interuenit miraculum (ait præfatus Doctor) non quod currere permiſerit animæ gloriam in corpus: quinimo miraculum erat illam conſtrictā ſuſpendere, ſed quod tali modo pateretur illam defluere, vt totum corpus occupans, illi non ademerit aut conſumpſerit mortalitatem aut paſſibilitatem: vt enim naturale eſt gloriæ animæ, deriuari in corpus, ſic quoque naturale eſt quando deriuatur, illud efficere immortale & impaſſibile, atque in eo totum hoc conſumere, quod illi vel minimam poteſt adferre moleſtiam: & miraculum eſt prodigioſum mortalitatem & paſſibilitatem illius conſeruare corporis, quod gloriâ circumcingitur ab ipſa anima procedente, non minus, quam in rubo quem vidit Moyſes ſpinas conſeruare illæſas, cum totus voraciſſimo igne comprehenderetur, & non minus quàm fidem conſeruare, quæ eſt habitus obſcurus, in intellectu Apoſtoli Pauli quando ſapiens illum Deus ad tertium cœlum, clariſſima luce gloriæ colluſtrauit, de quibus ingenioſè diſputant Theologi.

3. p. q. 45. a. 2.

VI. An Chriſti transfiguratio fuerit miraculoſa.

Itaque tam conſtanter operatus eſt Dei filius hoc miraculum, quô pati poſſet, vt vnica vice quâ voluit ad modicum tempus diſpenſare, Apoſtolis ſuis prototypon quoddam promiſſæ gloriæ propoſiturus, vt ibidem diximus: operatus fuerit alterum non inferius: quod illud?

Quod in corpore ſuô conſeruauerit eſſe paſſibile & mortale: nam tale erat etiam in illo breuiſſimo tempore, quo communicata fuit illi gloria licet illô ſpatio nullam ſenſerit pœnam, ita vt nec quidem in illo voluerit ipſum à paſſibilitate & mortalitate liberare. Perpende quanto flagrarit ſtudio patiendi. Nec hic ſubſtitit, ſed in eo ipſo quod paſſurus erat, hoc voluit eo modo perpeti, quo grauiori poſſet illum dolore, pœ-

Iſai. 53.3. naque cruciare: nam ideircò vocatur ab Iſaia *vir dolorum & ſciens infirmitatem*: imò quaſi in illis ſibi complacens, vt aliàs diximus. Homines nedum ſunt amantes delitiarum, at inſuper illis laborant eo modo frui, quò maiori poſſint voluptate recreari. Non ſatisfit guloſo ſi proponatur illi gallus indicus vel perdix in cibum, inſuper procurat vt talibus coquatur condimentis vt guſtui ſuo placere poſſit ſapidiſſimè. Potator autem inexplebilis non ſibi ſatisfactum æſtimat, ſi vina bibat optima, ſed inſuper adlaborat ſic illa condiri & refrigerari, quô dulciùs ſuo ſapiant appetitui. O Chriſte Saluator quàm tibi bene ſapiebat dolorum pœnarumque paſſio? quocircà non illi ſatis fuit ita cuncta diſponere vt in ſe pœnas omnes & tormenta ſuſciperet, ſed etiam voluit hæc ita fieri vt pœnam illi & tormentum poſſent adferre truculentius.

### §. 21. *Aſſumpſit Chriſtus quod illi poſſet augere cruciatus: ad hoc in cruce bibit acetum, non vero vinum myrrhatum.*

☞ 52 Hinc opus hoc manauit, vt cum recuſaſſet vinum bibere ante crucifixionem ſibi propinatum, bibere poſtmodum voluerit acetum in ſpôgia antequam exſpiraret oblatum. Non eſt leue negotium, quod SS Patres expendunt circa id quod SS. Euangeliſtæ in hac occaſione ſcribunt. Teſtantur D. Matth. & D.

Matt 27. 34. Marc. *Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum, & cum guſtaſſet noluit bibere.* Idem Euangeliſta Marcus & D. Ioannes referunt quod

Marc. 15. 23. dederint illi in ſpongia hyſſopo circumligata acetum bibere, hyſſopus autem herba eſt ama-

Marc. 15. 36. riſſima: & ait D. Ioan *Accepit acetum*: Domine

Ioan. 19. 29. mi, vt quid tantummodo vinum guſtare amarum & bibere noluiſti? Si pati deſideres, multum ex illo bibe, quod tanto guſtum torquet cruciatu. Si vinum fuerit quod illi dederunt, quâ de cauſa dicit D. Ioannes acetum fuiſſe? Si hoc non biberit quomodo dicit: *Cum accepiſſet accepiſſet acetum?* Videntur hæc ſibi contradicere, non tamen ſic eſt, imò præclaram inuoluunt veritatem & myſterium inſuper multò præclarius. Non fuit vnicus ſimplex potus, ſed duplex: vnus vini, & alter aceti.

Primus fuit vini, quem illi in monte Caluariæ priuſquam crucifigerent illum, propinârunt. Notat diligentiſſimus pariter & doctiſſimus Nicolaus Lyranus & ait ſe hoc ſumpſiſſe ex libro quodam Iudæorum qui inſcribitur: *Liber iudicum ordinariorum*: Quamuis enim apud multas nationes mos hic increbuerit, quo crucifigendis vel ſtipite nodoſo perforandis, vaſculum vini cum myrrha aliiſque ſpeciebus confortatiuis exhiberetur, quibus ex vna parte cor illis roboraretur, & ex altera corporis ſenſus obſtupeſcerent ne ita grauiter dolorem perſentirent (res eſt hæc quam iudices eius inſcij nonnulli apud nos fieri procurant, quando aliquem neceſſe eſt tormentis agitari ne illa perſentiſt) hoc tamen agebant Iudæi illo Spiritus Sancti commoti conſilio. *Date ſiceram mœrentibus & vinum his qui amaro ſunt animo, & bibant & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordentur amplius.* Ex profeſſo curioſè ſatis & diligenter agit Cardinalis Baronius aliique auctores de vini huius efficacia, aiuntque quod hominem redderet velut inſenſibilem inſtar lapidis ſenſus omnes obſtupefaciens. Erat vinum hoc amariſſimum, quia myrrhæ permiſcebatur quæ amariſſima eſt, & meritò aloë comparanda. Vinum hoc Chriſto propinârunt iam ad montem accedenti antequam cruci figeretur D. Aug. credit idem eſſe quod ait D. Matth *Vinum cum felle mixtum*, hoc quod dicit D Marc. *Myrrhatum*: dicitur enim felle mixtum quia myrrha fuerat, quæ eſt amariſſima, temperatum. *Dederunt ei vinum, inquit bibere cum felle mixtum id eſt amariſſimum fel poſuit Matt pro amaritudine.*

Aliorum opinio eſt quod realiter aliqui pietate moti hoc vinum myrrhatum & amarũ procurarint, vt Chriſto daretur, quô cor illi confortaretur, & ſenſuum viuacitas impediretur, ne tantam in cruce pœnã experiretur. verum quòd tantã fuerint hoſtes impietate crudeles, vt parum iudicarint hanc myrrhæ amaritudinem, ſed inſuper illi fel admiſcuerint, quatenus illud quod non ſentiret hauſti vini efficacia, potius fellis amaritudine pateretur. Propinatum ſibi Dominus vinum, guſtauit quidem, ſed bibere recuſauit, ſatis ſibi ducens illud ſolummodo deguſtare: *Cum guſtaſſet, noluit bibere.*

Alius potus fuit aceti, hunc illi exhibuerunt iam quãdo iam in cruce exhauſto omni ſanguine ſiti cruciatus torque-

I. Duplex fuit Chriſto potus propinatus. Primus ante crucifixionem. Lyra in c. 27. Matth. Prou. 31. 6. Tom. 1. Annal. anno 34. [illegible] D. Aug. lib. 3. de conſ. Euang. cap. ... Tom. ... Secund...

torquebatur ariđiſſima potumque poſtulauit: tunc autem cum ad manum adeſſet vas plenum aceto ſpongiam intinctam aceto, & hyſſopo circumponentes obtulerunt ori eius, vt acetum illud exſugeret & biberet quod de facto ſumpſit: *Cum accepiſſet autem*, &c. Non parua quæſtio mouetur inter Doctores in quem finem adductum eſſet ibi vas aceti: vt illius D. Ioan. ſpecialem fecerit mentionem. *Vas ergo poſitum erat aceto plenum.* Quis illud aduexit? Qua intentione? Card. Baron. variis rationibus ex pluribus auctoribus profanis ac ſacris relatis concludit eidem adductum fuiſſe, quatenus ſpongiã illi intingentes illo plagas Chriſti temperarent ne ſanguis effueret: etenim ad hoc acetum virtute valet efficaci, & hoc (inquit) ex magna fecerunt rabidi crudelitate, quatenus retento & ſuſpenſo ſanguine, Chriſtus Dominus non tam cito ſpiritum exhalaret, & proinde foret eius tantò pœna productior, tempuſque adeſſet, quo illi crura frangerentur vt hoc crurifragio vt ralij prædones occumberet, morte, ſcilicet ignominioſa: notat autem ſapientiſſimus Cardinalis, quod quamprimum Iudæi audiuerunt Chriſtum de ſiti conquerentem, actutũ accurrerunt ſpongiam aceto immergentes & arundini imponẽtes cum Hyſſopo, ac primò vulnera illius ſanguine manantia temperârint vt fluentem ſiſterent, cumque ſpongia tota ſanguine maderet ori eius obtulerunt (ô crudelitatem omni beſtiarum feritate immaniorem!) & verè Chriſtus acetum accepit hauſitque propinatum, probatur autem hoc, ait eximius ille Doctor, quia hodie beatiſſima illa ſpongia Romæ aſſeruatur in Eccleſia Lateranenſi D. Ioannes Baptiſtæ cum ſumma veneratione, videturque tota rubea ſanguinem referens cui fuit immerſa.

II. Cur adeſt & vas aceto plenum.

I. Baron. Anno 34. c. 109. & ſeqq.

Ioan. cap. 19.

III. Spongia Chriſti ſanguine tincta [illegible]

Auctores alij referunt ab illis acetum hoc procuratum quia ex vigore ſuo ſit penetratiuum & datum in potum vulneribus ſauciato ſenſus illi viuificat, pœnas adauget & cruciat, vt non tolerandam afferant illi moleſtiam. *Acetum* (ait alter Cardinalis) *valde vulneratis nocet. Acetum* (ait alter Auctor ex induſtria de hoc agens) *membris & neruis læſis vehementer nocet, & dolorem primum, deinde ſtuporem lethalem adfert.* Nunc igitur myſteriũ euoluamus. Vinum myrrhatum pœnam habet amaritudinis, ſed huic oppoſitum habet remedium, quod ſumptum cor fortificet & ſenſibus ſtuporem inducat lethalem. Chriſtus totum hoc ſumpſit quod moleſtum erat & os illi amaricabat, quia verò ad hoc guſtare ſolummodo ſatis erat, tantummodo guſtauit: videtur enim quod amplius noluerit quàm illud ſumere quod ſufficiebat quantũ poterat inferre linguæ tormentum: porro non ſumpſit hoc quod cor poterat confortare, & remedium exhibere, quò non tanto ſentiret dolore cruciatus: vnde *Noluit bibere.* Quando propinant illi acetum ita quidem hoc bibit: quia ſenſus excitat, vulnerum auget dolores, efficitque vt velut acutiſſimi pugiones cor peruadant, & intima penetrent viſcerum, atque per ſecretas venas & abſconditas diſpergantur arterias, deinde neruos & muſculos ſtupidos excitat: demum hoc agit acetum, vt dolores ad intimas oſſium peruadant medullas. Ecce qua ratione pœnas & dolores pati voluerit: etenim hoc primùm agit vt cruciatus eo modo perferat quò torqueri poſſit ſæuiùs, & affligi crudeliùs.

IV. Vini ef- fectus [illegible]

Tolet. in 19. Ioan.

V. Chriſtus non tantum id ſumpſit, quò dolores ei augebantur.

Huic correſpondet ſententia doctiſſimi magiſtri noſtri & Epiſcopi Cani: quod nedum Chriſtus miraculum illud prodigioſum, quale diximus, toto vitæ ſuæ curriculo ſit operatus, quatenus pati poſſet, ſuſpenſam detinens animæ gloriam, ne in corpus diffueret: ſed inſuper paſſionis ſuæ tempore prodigium aliud edidit mirabilius, nempe illud: quod in illa anima, quæ beata erat & viſione Dei lætabatur, gaudium retinuerit ac ſuſpẽderit ex illa viſione conſequens: eo modo quô quando tu ore contines ſaccarum, dulcedinis iſtius guſtus auferretur, quæ ex illo dimanat: & hoc vt dolores tantò forent puriores, & omni ſemoto obſtaculo tormenta fierent acerbiora. Sic ille, quem nonnulli ſequuntur, cum autem ſit contra doctrinam Doctoris Angelici, illi ego non ſuffragor. An ergo cœlorum Domine, quidquam præter hoc in maiorem rapere nos poteſt admirationem? Quod tu Domine mi tanto ferueas patiendi & moriendi deſiderio, vt miracula facias obſtupenda, quatenus tormenta omnia liberum & non impeditum in diuiniſſimam tuam perſonam acceſſum inveniant & ingreſſum? Nec tibi ſufficiat omnibus illis patulam aperire portam & teipſum quaſi centrum ſtatuere ad quod omnia conuolent impetu vehementiori, quàm lapides ad terræ centrum; & velut mare patentiſſimum, in quod liberrimè defluant omnes dolorum pœnarumque fluuij: ſed inſuper labores illos ſuſcipere eo modo, quô cruciatum inferant tibi grauiorem?

L. 12. de locis c. 13.

3. p. q. 46. a. 2.

Optimè ſibi conueniunt vates Euangelicus Iſaias & doctor gẽtium D. Paul. *Nec oculus vidit,*

VI. Duabus de cauſis hoc fecit. *Iſai.* 64.4. 1.*Cor.*2.7. Primo: vt perfectiùs ſatisfaceret.

*nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit.* tale namque opus tibi ſoli tuoque amori ſeruabatur exequendum. In quem finem hoc agere voluit humani generis aſſertor? Duabus de cauſis, prima: vt tãtò perfectiùs pro noſtris ſolueret peccatis: tantâ etenim nos omnes malitiâ laboret ramus, vt nedum ingreſſii permittamus liberum, ſed etiam toto ſtudio appetitus noſtri delicias guſtumque procuremus, inſuper ſic carnis ſectamur voluptates, quò maiori nos poſſint guſtu delectare. In huius ſatisfactionem omnes aſſumpſit pœnas, & eas quidem eo modo quò poſſint illum acerbiori torquere cruciatu. Deinde ſiquidem verum ſit quòd quælibet per ſe pœna, quam Chriſtus paſſus eſt, etiam earum minima meriti eſſet & valoris infiniti conſiderata in ordine & reſpectu diuinæ perſonæ illam patientis, & potuiſſet ſatisfacere vnico ieiunio perfectè atque ex rigore iuſtitiæ pro omnibus mundi ſceleribus, imò mille mundorum ſi tanti eſſent; verumtamen non hic ſtetit & ſe continuit, ſed inſuper voluit, vt pœnæ illæ in ſe eſſent eminentiſſimi & diuiniſſimi meriti, quo nullum dari poſſet eminentiùs. Quia verò per hoc merentur Sancti quòd dolores tolerent, mortem & tormenta, pro gloria Dei, eius amore, commodo & charitate proximi (hic enim eſt *Luc.*8. 15. fructus centeſimus de quo Chriſtus: *Fructum Iacob.*1.4. *afferunt in patientia*: & de quo teſtatur Apoſt. Iacobus: *Patientia opus perfectum habet*) ipſe voluit Dominus, vt id quod pateretur tantum eſſet, vt non ſolùm excederet in quantitate ſicut 3.*p.q.*46. declarat D. Thom. totum illud quod paſſi ſunt *a.*5. & 6. & paterentur omnes ſimul Martyres, ſed etiam in qualitate; paſſus ipſe ſolus tormenta & dolores ita viuaciter & ſenſibiliter, vt acerbiùs ſentiret eorum minimum, quàm omnes Martyres pœnas omnes quaſcumque vnquam pertulerũt.

☞ 54. Non accedunt omnes ſimul iuncti ad illud *Gen.*37.6. tantum quod Chriſtus pertulit, in rei veritate complens quod prius in ſomnis, deinde in vmbra demõſtratum fuit caſtiſſimo Ioſeph, vt proſequitur D. Ambr. vidit etenim hic quòd ipſe ſuique fratres meterent in campo triticum omneſque ſuos componerent manipulos: porrò in tantum ſuperarunt manipuli quos Ioſeph meſſuerat & collegerat, caputque ceteris extulerunt, vt ceteri fratrum eius manipuli ſeſe demiſerint & Ioſephi manipulum adorârint, in illo omnimodam cognoſcendo prærogatiuam. Obuium omnibus eſt Sanctos appellari Chriſti fratres quibus incumbit metere & bonorum operum colligere manipulos, præſertim pœnarum quas amore Dei patiumur. O quantos collegerunt manipulos Apoſtoli & Martyres D. Petrus crucifixus D. Paulus capite truncatus, D. Bartholomæus excoriatus, D. Laurentius aſſatus, D. Stephanus lapidum imbre præfocatus. Quot ſinguli eorum tormenta tolerârunt, carceres, flagra, alapas, ſcuticas, ignes, gladios, leones, vrſos, &c. Verumtamen hæc omnia cedunt Chriſti tormentis: non ſolùm ratione meriti: nam quantamlibet ſancti virtutem habent, hæc illis ex virtute manauit Redemptoris: nam hoc ſignificat illum adorare: ſed etiam ſi multitudinem & grauitatem cruciatuum pœnarumque conſideremus, maximè verò in eorum ſenſu viuaciſſimo, tum ex illis quæ diximus, tum ob alias rationes poſtmodum enucleandas, declarando qualiter ſuos Chriſtus tolerârit cruciatus abſque vllo genere conſolationis, præterquam quòd in ſe adeo moleſti eſſent eoque illos modo pateretur, quò poſſent ſibi grauiorem afferre cruciatum.

Secundo: prædicto patitur modo, quo nobis efficaciſſimum exhiberet medium æterni Patris iram noſtris peccatis prouocatam mitigandi, eiuſque mouendi atque excitandi miſericordiam, pœnas has omnes tantas tamque viuas illi præſentando quas filius ſuus patitur non pro ſe ſed noſtræ cauſâ redemptionis. Obiectum motiuum miſericordiæ & compaſſionis pœnæ ſunt, dolores, & tormenta, quæ tibi viſcera commouent atque ad viuam excitant compaſſionem quibus eos affligi cernis, quibus omnia fauſta apprecaris, filium tuum, patrem tuum, vxorem tuam, amicum tuum, tantòque mouetis efficaciùs quantò labores ſunt acerbiores. Heu quàm amaras Chriſtus ſuſtinet calamitates! Heu quàm acutos patitur cruciatus, & tales quidem vt (teſte Chryſ.) ſol oculos lucis ſuæ occludat & obſcuretur. *Sol obſcuratus eſt: non enim ferre poterat iniuriam creatoris: retraxit radios ſuos ne videret impiorum facinus.* Terra motibus contremiſcit inſolitis, ipſi lapides diffringuntur, & conteruntur, mors impia & crudelis enervatur & apertis ſepulchris viuos reſtituit, quos illis mortuos ferox incluſerat: quid aget æterni Patris pectus mare compaſſionis, abyſſus miſericordiæ, dum oculis eius hoc triſte ſpectaculũ offertur, & arcus ille cœleſtis oſtenditur præclaris ſuis depictus coloribus, vel meliùs dixero doloribus pœniſque in cruce deformatus? Hoc erat D. Aug. exercitium, quô criminum ſuorum à Deo plenariam depoſcebat indulgentiam: hunc eius obtutibus obiiciebat. *Aſpice pie Pater*, &c.

Cuius

Chriſti verba ante retulimus. Aliam rationem addere liceret ex amore Chriſti quò Patrem æternum diligebat feruentiſſimo, quò flagrans ſummè deſiderabat illi per omnia ſatisfacere, placere, eiuſque gloriam adaugere. Quia verò hoc patiendo faciebat, idcirco modum inquirebat, quò plura & plura pateretur: quod ſi hoc in puris hominibus Dei charitas operetur: nam quia conſiderant Deum pœnis ſuis, quas eius gratiâ patiuntur, ſibi complacere, illas optant & inueſtigant, illiſque delectantur, vt vidimus in multis martyribus; quid ergo operaretur ille, cuius amor tantum incaluerat vt omnis ſanctorum omnium & Seraphinorum amor ſit inſtar aquæ guttæ reſpectu huius maris infiniti. Verùm ne fuſius excurramus hæc ſufficiant.

*§. 2. Quia mors timore cruciat, illam Christus in ſummo gradu aſſumpſit: illam ille præcedebat ſicut armiger Goliath.*

55 HInc paulatim ratio pateſcit, quam inſequimur profundæ triſtitiæ & timoris extremi Saluatoris. Sicut inter omnia mala & terribilia, primas partes mors habet, iuxta

I. Mors omnium terribiliſſ.

Philoſophi dictum: *Omnium terribilium terribiliſſima mors*: aſſumens Chriſtus alia moleſta, non denudata ſed eo modo quò grauiùs illum torqueri poſſent, & dolorem inferre ſæuiorem: eo modo voluit & ipſam mortem aſſumere. Hic quando neceſſariò quidquam eſt perferendum, omni ſtudio conamur vt quo minus eo grauiùs affligat. Terribilis eſt medica potio, verumtamen quæ potes adhibes media, vt tibi minus amarè ſapiat. Si pillulæ ſunt exhibentur tibi fragmento hoſtiæ obuolutæ vel oui vitello. Si potus ſit minorem quam potes optas quantitatem & expreſſionem materialium potiorum, vt non ita denſus ſit, nares tibi occludis, ad manum habes pomum aut ſaccarum vel oliuam, quo tibi potionis tollatur amaritudo.

Porrò terribilis eſt ipſa mors, & quantò quiſque omnibus viribus ſuis, quando iam præſentem videt, ſtudet eam accipere eo modo quò minorem infligat illi cruciatum: nam huic ſeruiunt medici qui fiduciam ingerunt, confeſſarij qui ſolantur, amici qui longos annos & ſanitatem acclamant: tantò imo magis voluit eam Chriſtus aſſumere illo modo quo grauiùs ex illa torqueretur, contriſtaretur & anguſtaretur. Optimè dixit D. Auguſt. quod mors in ſe nec ſentiatur, nec torqueat, nec moleſtiam inferat: quia mutatio eſt inſtantanea, nam idem eſt mori & mortuum eſſe, agere & actum eſſe, ſed propter accidentia quibus veſtitur, potiſſimum eiuſdem timorem & horrorem. Hunc illi tolle, eamque denuda, & nullam adferet pœnam, imo pluribus eſt voluptati: amygdalum ori tuo & dentibus per ſe graue non eſt niſi ratione corticis quo veſtitur, tolle corticem quò operitur, ſit ipſum nudum & mundum, abſit vt tibi dolorem adferat, imo voluptati ſeruiet non minimæ. Talis eſt ipſa mors: aufer illi laruam timoris & formidinis & parum eſt ſi nullam tibi moleſtiam excitet, inſuper & recreabit, vt patet in illis quos Iob deſcribit, quos miſeriis vtique oppreſſos & calamitatibus vitæ tædebat, in qua non niſi pœnas ſentiebant & cruciatus vnde mortem vt terminum, finem & remedium malorum omnium exoptabant. *Quare miſero data eſt lux, & vita iis qui in amaritudine animæ ſunt? Qui expectant mortem & non venit, quaſi effodientes theſaurum, gaudentque vehementer cum inuenerint ſepulchrum* Ne velim hæc verba prætereas: *Expectant mortem.*

II. Mors et ſe non cruciat, ſed ex apprehenſione.

III. Similitudo.

Iob. 3. 20.

Spes, inquit D. Thom. ex doctrina Philoſophi, eſt de re bona, ſicut timor de mala. Homines inuenias qui mortẽ vt bonam iudicant conſideratis malis quibus hæc vita tranſigitur: hi non ſolum illam non reformidant tamquam malam, ſed tamquam bonam amant & deſiderant. In hebræo verbum habetur *hecah* quod ſignificat deſiderare, non languidè ſed affectuosè, quò vates Iſaias declarauit quanto Deus nos affectu præſtoletur, & dilatatis expectet brachiis ut noſtri miſereatur. *Expectat vos Dominus vt miſereatur veſtri.* Ita quoque nonnulli ſunt qui mortem deſiderant, quam volupe & brachiis recipiunt apertis, vt illi de quibus D. Ioannes: *Quærent homines mortem & non inuenient eam, deſiderabunt mori & fugiet mors ab eis.* Perpende verum damnati in inferno mortem acciperent: nam vnum hoc erit illis tormentum grauiſſimum, illam non inuenire: quandoquidem illis mors melior millies eſſet, quàm vita quâ torquentur miſerrima, illiſque dici poteſt illud Sapientis *Melior eſt mors quam vita amara* Nec opus eſt in infernum deſcendere, nam experientia nos docet hoc quotidiana in illis qui calamitate fracti ſibi puſillanimes laqueum iniiciunt: non enim illam non reformidant, ſed ipſi illam ſibi adſciſcunt, quibus moleſta non eſt, ac proinde illam minimè timidi refugiunt.

IV. Quid ſpes, quid timor.

Iſa. 30. 18

Apoc. 9. 6.

Eccl. 30. 17.

Itaque mors ex ſe non cruciat niſi timore veſtita, hic enim eſt qui torquet, affligit, & anguſtat,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Eccl.41.1.* ſtat, quantòque magis quantò maior eſt. *O mors quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti,* &c. Non dixit quod ipſa eſſet amara, ſed eius memoria & apprehenſio, & cõuenienter dicit eam amaram eſſe vitam diligenti, eamque in pace poſſidenti: quia talis mortem attendit, velut aliquid quod aufert illi id quod amat & poſſidet: vnde illam timet, & hoc eſt quod infert Chriſto moleſtiam. Decreuit Saluator noſter quatenus mors illi foret moleſtior, quàm illa, quam aliquis vmquam in mundo pertulit, illam aſſumere non nudam ſed timore horrendo & mortali circumdatam, tali qualem numquam viderat aliquis: ad hoc permiſit animæ ſuæ vt tanto vitam ſuam affectu proſequeretur, quanto poterat, & ipſa amari debebat: nam ſecundum hoc nullus vmquam in mundo tam intensè vitam ſuam dilexit: nec vlla anima ſic ſibi complacuit in corpore ſuo habitare, nec corpus aliud ſibi magis de anima eſt congratulatum. Cum pax eſſet inter corpus & animam, animæ ſuæ mortem repræſentat quæ veniat ita terribilis & horrenda, vt tanta tormentorum immenſitate perdat vitam illam adeo ſibi charam & prædilectam. Per hoc tales in ſe excitauit timores, tam horrendos metus, tam tremendos pauores & exceſſiuas anguſtias, vt color illi mutaretur, vultus palleſceret, toto corpore contremiſceret & mœrore contabeſceret profundiſſimo. *Cœpit pauere & tædere & mœſtus eſſe*, vt in hæc prorumperit verba ſuſpirans. *Triſtis eſt anima vſque ad mortem*: quæ iam expoſuimus.

V. Anima Chriſti corpus amabat ardentiſſimè.

☞ 56 Ex prædicta doctrina colligitur timoris huius & triſtitiæ magnitudo: quia Chriſtus eſt qui cuncta hæc quæ facit, mirabili diſponit proportione: *In numero pondere & menſura.* Cum ipſe ſit qui timorē hunc mortis excitet, & triſtitiam prouocet, eo quod iam immineat, eſſe debebant affectus illi proportionati. De ipſa confirmat D. Tho. fuiſſe tam horrendam, vt ipſe ſola in ſe mala omnia, pœnas, ignominias, dolores, tormenta, & eorum includeret occaſiones ita vt in ipſa ſola interuenerint hæc amplius, & maiori cumulo quàm in omnium hominum morte à principio mundi, eo modo vt ſi omnium mortes iungerentur, atque ex illis cumulus quidam conflaretur, qui omnes includeret cum omnibus ſuis pœnis, afflictionibus, anguſtiis, & agoniis, multo his maiora eſſent quæ ſola Chriſti mors includeret: vnde talem tremorem excitauit & anguſtiam quæ tantis conueniret malis & per conſequens grauior fuit Chriſti timor quàm omnes quibus vmquam homines perculſi tremuerunt,

*Sap.11.21.*

VI. Mors Chriſti omnia mala in ſe concludit.

& licet ex omnibus illis cumulus colligeretur, minus adhuc foret ipſe formidabilis: nam ſi id quod mortem reddit moleſtam, timor ſit eiuſdem, nulla fuit vmquam homini alicui, ſicut ipſa Chriſto: quandoquidem nullus vmquam, ſic vt ille, tanto fuerit timore perterritus. VII.

Norunt etiam tremuli Dauidis cum Goliath monomachiam. Erat hic gigas monſtrum horrendum ingens, qui ſolo ſuo conſpectu tanto Hebræorum exercitum pauore terrebat, vt fortiſſimos quoſque eorum in fugam ageret ignominioſam. *Omnes Iſraëlitæ cum vidiſſent virum, fugerunt à facie eius.* tantoque cæteris omnibus maior erat, vt homines maximi etiam coram eo pigmæi cenſerentur. Hora iam imminente, quâ cum Dauide ad ſingulare deſcenderet certamen, occurrit illi monſtrum hoc informe paſſu tremendo & faſtuoſo: notat autem diuina Scriptura: *Ibat Philiſthæus incedens & appropinquans aduerſum Dauid, & armiger eius ante eum.* Præcedebat illum inquit Abulenſis onuſtus armis gigantis, quæ deferebat illaque coram omnibus iactabat, nam ſecundum hoc geſtaret clauam, qualem affingunt Herculi & pharetram acutiſſimis armatam ſagittis arcumque tenſum, quibus terrorem incuteret ad certamen cum illo prodeunti.

1. Reg. 17. 24.

Chriſtus Redemptor noſter certaturus venit cum morte: proh quàm robuſtus hic miles! Numquam in arenam cum aliquo deſcendit, qui vitam ſibi ſeruaret incolumem: adeo terribilis vt ſolo ſuo conſpectu perterreat, atque in terram proſternat pauore correptum ducem tanto robore vegetum qualem nouimus omnes Saulem fuiſſe, & lachrymas excitet Regi tanta potentiâ celebri, qualem fama tulit, Ezechiæ. Et congruè mors Chriſti hoc monſtro giganteo deſcribitur: nam omnes reliquæ mortes, quantumuis aſperæ & crudeles, imo & inuictiſſimorum martyrum pigmæi ſunt, paruæque mortes huius comparatione: fuit etenim talibus tormentis pœniſque mors horrida, quales nullam quis vidit. Accedit iam mors illa, gradu properat duplicato, multo ſtrepitu terribilis, iam vicina pulſat oſtium, at ſola non venit, ſed eam præcedit armiger palam deferens & iactans omnia eius arma fera, & horrenda; ſcilicet timorem: hic fuit ille, quem præferebat & oſtentabat copias funium ſpinarum, alaparum, ignominiarum, flagellorum, ſpinarum, clauorum, fellis & aceti & tandem crucis ignominioſæ. Hic eſt ille timor, qui præcedenter illum affligit itaque animo proſternit; vt dicat ingemi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

gemiſcens: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.*

Audiamus hoc Theologicè declarantem noſtrum Cardinalem Caietanum. *Cruciatum propaſſionis addere cruciatui ſuæ paſſionis voluit, ita quod voluit non ſolum exteriùs pati crucem & mortem; ſed etiam interiùs præuenire cruciatum, meditationis triſtitiæ & timoris futuræ paſſionis*

IX. *& mortis vt omnia noſtra mala experiretur.* Aduertendum duos illos affectus timorem & triſtitiam ordinariè non coniungi: quinimo deſe ſunt incompatibiles: quia timor eſt mali futuri, triſtitia verò mali præſentis, ſicut probat D. Thom. ex doctrina Philoſophorum: voluit tamen illos in hac occaſione in corde ſuo coniungere, vt pœna foret illius tantò difficilior: etenim ex vna parte mortem recogitans moleſtam, vt futuram in executione adeo horrendam & immanem, in ſe timoris affectum excitauit adeo moleſtum, vt ex illo membris omnibus contremiſceret; ex alia verò parte viuaciter eam apprehendens in imaginatione ſua, & quaſi præſentem cernens, alterum triſtitiæ prouocauit affectum ita mortalem vt ſufficeret illi vitam auferre chariſſimam: quod his verbis diſcipulis ſuis expoſuit: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.*

### *§. 23. Iob vt vates illuſtratus in ſeipſo timoris præmiſit ſymbolum, quo Chriſtus hic anguſtatur.*

17 AD regulam hic cadunt verba Prophetæ Iob, quibus lamentationis ſuæ declarat rationem. Iob figuram præmiſit inſignem Saluatoris: vt aduertit D. Greg. *a* & curioſè proſequitur Pineda *b* oſtendens ipſum figuram quandam eius fuiſſe vniuerſalem, & qui non ſolum verbis ſed propriâ ſuâ perſonâ diuina eius prædixit myſteria: qua de cauſa hanc illi D. Augùſt. præ ceteris inſignem tribuit prærogatiuam, vocatque [illegible] *ximum Prophetam.* Sedebat in ſterquilinio à tribus ſuis amicis viſitatus triſti lamentatione ſui cordis aperiens pœnas & anguſtias. Iudicabant illi hæc ex defectu prouenire patientiæ, quocirca reprehendunt vt impatientem & murmuratorē, & qui ſe parum diuinæ conformaret voluntati, eiuſq; cœleſti ſe ſubmitteret diſpoſitioni: vt autē illis reſponderet verba hæc protulit triſtiſſima: *Verba mea dolore ſunt plena quia ſagittæ Domini in me ſunt quarū indignatio ebibit ſpiritum meum & terrores Domini militant contra me.* Heu amici chariſſimi liquidò ſatis patet, ignotas vobis eſſe meas afflictiones, & quantâ premarur cor meum anguſtiâ. Notum hoc vobis ſit animam meam acutiſſimis & fortiſſimis ſagittis eſſe transfixam. Hoc ſignificat. *Sagittæ Domini in me ſunt.* Vocat S. Eloquium ſagittas Domini flumina horrenda quæ vitam perdunt & vires eneruant, vt nihil ſit quod illis reſiſtat eorumq; robur moderetur, ita cecinit Dauid *Miſit ſagittas ſuas & diſſipauit eos, fulgura multiplicauit & conturbauit eos.* Sagittæ ardentiſſimæ, ſagittæ deſolatoriæ ac comburentes. Pſ 17.15.

Hac metaphorâ ſignificat Iob pœnas & dolores cor illi penetrantes ita efficaciter, vt nihil ſit quod lenimen poſſit adferre deſolato. Cor doleo ſagittis transfixum fortioribus & penetrātibus, quibus aduritur, confringitur & affligitur ita vehementer, vt nec locum dent reſpirandi, fauceſq; mihi concludant morituro. Hoc eſt, ait D. Tho: quod ait: *Quarum indignatio ebibit ſpiritū meum.* Sed quod animū meum maximè proſternit, terrores quidā ſunt potentiſſimi mihi bellum inferētes. *Terrores Domini militant contra me.* Vocantur terrores Dei, nonnulli timores ita vehementes, vt cordis eneruēt vires, alaſq; eius deiiciant, virumque terrore concutiant. nec non metu ſubmergant profundiſſimo. Hoc metu ſolebat Deus populi ſui percellere inimicos. Illo metu vires ſubneruauit illius populi qui contra Iacob arma ſumpſerat, quando caſus ille contigit in vrbe Sichimorum. *Timor Dei inuaſit omnes per circuitum ciuitatis, & non ſunt auſi perſequi recedentes.* Gen. 35.5.
Hunc effudit ſuper corda Chananæorum, dum populus ſuus terram ingrediebatur eorum, vt teſtatur Rahab *Irruit ſuper nos terror veſter, & elanguerunt omnes habitatores terræ.* Hic eſt ille Ioſue. 2.9.
quem Moyſes in cantico ſuo petebat à Domino contra Dei inimicos. *Irruat ſuper eos formido & pauor. in magnitudine brachij tui.* Exod 15.16.

Inſurrexit inquit Iob, exercitus terrorum Domini me impugnantium. *Terrores Domini militant contra me.* Notemus verbum hoc, *Militant* proprium enim eſt militibus bello duriori certantibus. Nulla fuit vnquam ciuitas extremis adeo conſtricta anguſtiis nec euidentiori expoſita periculo ob coronam ferocium militum, quam illi ex omnibus impugnant partibus, vt cor meum terroribus tremoribus afflictum eſt & triſtitiis: vnde ne mireris ſi verba proferam gemitu & dolore pleniſſima *Vnde verba mea dolore ſunt plena.* O quam congruè hæc verba conueniunt ori Saluatoris noſtri diuini Iob qui iam tribus comitibus ſuis Apoſtolis in hortum ſeceſſit oraturus Quā acutis cor eius ſagittis vulneratur, iiſq; tantis quantæ ſunt pœnæ, quæ ma-

dent-

nent illum iam nunc patientem & morientem. Iam illas in corde & anima tolerat, ex eo quod illas animâ conſideret & euoluat, quas poſtmodum in corpore nouit ſe toleraturum. Hic intus animam habeo, quam mille & mortales transfodiunt ſagittæ: *Sagittæ Domini in me ſunt.* Sufficit hæc pœna cui ſubiaceo, vt vitam mihi tollat & ebibat reſpirationem. *Quarum indignatio ebibit ſpiritum meum.* Potiſſimum autem me torquent & cor affligunt metu, terrore, triſtitia, eius quod iam mihi video præparatum: nec miseris verba mea lamentabilia: *vnde & verba mea dolore ſunt plena.* Heu quæ verba, quanto dolore pœnaque pleniſſima! *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem, ſuſtinete hic & vigilate mecum.* Heu amici chariſſimi, heu quanta in cor meum irruit triſtitia! Tanta eſt vt ego & mors vix vno gradu diuidamur. Adhærete mihi comites, hic mecum ſuſtinete, hic mecum vigilias agite inſomnes.

☞ 58 Notanda eſt emphaſis horum verborum *Suſtinete hic & vigilate mecum.* Hâc loquendi formâ quis vtitur, quando tanto prægrauatur pondere, vt ſolus illud leuare nequeat & manus poſtulat ab alio ſubſidiarias. Diuina roboratus virtute eduxit Moyſes populum illum de Ægypto: magnum hoc erat onus ob tantam populi multitudinem; nam bellatorum dumtaxat tranſibant ſexcenta millia, ſed maius ex natura plebis obſtipa, peruicaci & ſeditioſa; ſic vt ipſe fateretur ſibi humeros deficere tanto oneri ſuſtinendo: vnde ſic Deum tandem alloquitur. *Cur impoſuiſti pondus vniuerſi populi huius ſuper me? Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum, quia grauis eſt mihi.* Conſulit illi ſocer Iethro Sacerdos Madianita: Amice, quando pondus adeo graue eſt vt illud vnus ſuſtinere nequeat, adiutorem aduocet, & hoc tibi incumbit agendum: viros in auxilium tibi conuoca quibus fidas. *Vltra vires tuas eſt hoc negotium, ſolus illud non poteris ſuſtinere*, &c. *Prouide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum*, &c. *Leuiuſque ſit tibi partito in alios onere.* Acquieſcit Moyſes ſoceri conſilio, vt ipſe teſtatur iam moriturus. *Dixi vobis: Non poſſum ſolus ſuſtinere vos*, &c. *Non valeo ſolus negotia veſtra ſuſtinere & pondus, & iurgia. Date ex vobis viros ſapientes*, &c. Innuit Dominus Apoſtolis ſuis heu vos Diſcipuli mei, heu quanto prægrauor pondere: *ſuſtinete mecum*: adeſte mihi & veſtrâ præſentiâ onus hoc ſubleuate, mecum pariter vigilate. O cœleſte myſterium! O Venerabile Sacramentum! Quàm mirabile viſu eſt ſupremam cœli lætitiam ad mortem vſque in terra contriſtari? Gaudium myſticum Angelorum mortalibus inter homines preſſum tiam anguſtiis: Dei fortitudinem trementem: ipſum robur timet, virtus infirmatur, vita mortem reformidat: verumtamen talis eſt mentis eius abiectio quâ torquetur, vt ſubſidium & fauorem à creaturis ſuis rogare videatur.

I. Verbi *Suſtineo* explicatio.

*Num. 11. 14.*

*Exod. 18. 18.*

*Deut. 1. 9.*

II. Triſtitiæ Chriſti

Quòd homo à Deo quærat auxilium, quô corporis & animæ ſuæ pondus ſuſtineat, frequentiſſimum eſt: omnium ori & linguæ hæc apprimè verba conueniunt: *Adiuua nos Deus ſalutaris noſter*, &c. Omnibus nobis incumbit ex conſilio Apoſtoli recurrere ad Deum attritis tribulationibus, ac ſupplices deprecari vt nobis comes adhæreat, & vires ſubminiſtret quibus illas cum merito lucroque ſuſtineamus: *Vt poſſitis ſuſtinere.* Quòd homo ſupplices Deo palmas extendat ne ab eo deſeratur, ne ipſe diſcedat, ſed fidus adhæreat Achates, æquum eſt, dicendò cum Pſalmiſta. *Deus ne elongeris à me, Deus meus in auxilium meum reſpice.* Quòd homo à Deo poſtulet vt ſecum vigilet ne forte contra eum leo rugiens præualeat inimicus, ſuadet æquitas & neceſſitas: *Exurge, quare obdormis Domine.* Porrò quòd Deus hominis requirat ſocietatem & ſubſidium quô pondus ſuſtineat mœroris & laboris, quô premitur, dicendo: *Suſtine hic*, &c. Quis tale vidit vmquam aut potuit imaginari? Heu gloria cælitum, quis tãtis te iniecit anguſtiis? Quis ita tuam turbauit venuſtatem, cor tuum exacerbauit, vultum tuum contriſtauit, tuam illam turbauit alacritatem, tuum tremore corpus percuſſit, animamque afflixit ſanctiſſimam? Quis te his detinet anguſtiis, vt mendicus à creaturis tuis poſtules auxilium: *Suſtinete hic & vigilate mecum?* Eia age Chriſtiane, tuos huic oneri humeros ſuppone, hunc (detur venia verbo) adiuua Dominum, cum illo vigila, cum illo ora, patere cum illo, eius cum illo pœnam ſuſtine, eius tibi crucem impone & animi triſtitiam quam pro peccatis tuis ſuſtinet.

## §. 24. Triſtis eſt anima mea. *Timorem hunc & mortis triſtitiam Chriſtus aſſumpſit, vt illam nobis auferret: oſtendens ſe vnicornem de quo Dauid.*

TErtiam rationem proferunt D. Athanaſius *a*, D. Ambr. *b*, & D. Aug. *c*. quâ pa- 59
tentiùs exponitur verbum *Cæpit* quo v- *a Ser. de Paſſio. & cruce.*
tuntur Euangeliſtæ in ea ſignificatione quam di-
ximus *Accepit*, q. d. ſibi Chriſtus aſſumpſit affe- *b Pſ. in*

ctus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ctus illos moleſtos & intolerabiles timores & triſtitiæ mortis: in quem finem? vt nos ab illis redderemur immunes, ſuam nobis ipſo dante fortitudinem & mentis alacritatem, quâ roborati nedum mortem nō timeamus puſillanimes, ſed eam acceptemus & recipiamus excitati. Nonnulli, inquit D. Ambr. timorem hunc, triſtitiam & agoniam Saluatoris repellunt: verùm ego, inquit, nedum illum ab his velim excuſatum, quinimo quantò illas apertiùs confiteor, tantò Domini erga me pietatem cerno liquidiùs. *Ego autem excuſandum non puto, ſed etiam nuſquam magis pietatem Dei Maieſtatemque demiror. Minus enim contulerat mihi, niſi meum ſuſcepiſſet affectum.* Ingens fuiſſet haud dubiè beneficium hoc ſolum, ſi me Deus ſuâ benignus omnipotentiâ à mortis timore & triſtitia liberaſſet: at multò præclarius eſt, eiuſque magis commendat pietatem, dum affectus illos in ſe ſuſcepit, quatenus ab illis me liberaret. Loquatur iterum D. Ambroſ. *Ergo pro me doluit, qui pro ſe nihil habuit quod doleret, & ſequeſtrata delectatione diuinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur. Suſcepit enim triſtitiam meam vt mihi ſuam lætitiam largiretur: & veſtigiis noſtris deſcendit vſque ad mortis ærumnam, vt nos ſuis veſtigiis reuocaret ad vitam. Confidenter ergo triſtitiam nomino qui crucem prædico.* Hoc egit Chriſtus Dominus noſter (ſit benedictus in ſæcula) vt nos eriperet ab omni eo, quod nobis moleſtum eſt & graue: quia verò inter omnia quæ talia ſunt, ſupremum eſt mortis formido, ab illa nos voluit vendicare & vēdicauit illam in ſeipſo ſuſcipiens, quò factum eſt, vt illam à nobis tolleret. Hoc duobus impleuit mediis.

I. Chriſtus timuit mortem, vt nos à timore mortis eriperet. D. Ambr. Luc. 22.

II. Duobus modis. Primò: Chriſtus abſtulit peccatum.

Primò: reſcindendo & amputando radicem principalem timoris mortis. Notiſſima omnibus eſt doctrina D. Pauli principalem mortis timorem oriri ex peccato. *Stimulus mortis peccatum eſt.* Stimulus qui viſcera perrimatur in hora mortis, peccatum eſt: hic etenim impium Antiochum in extrema illa mortis agonia ita crudeliter affligebat: vocem eius audiuimus. *Reminiſcor malorum quæ feci in Hieruſalem*: & quid te torquet acerbiùs quando manifeſto laboras vitæ diſcrimine, niſi tuorum memoria peccatorum, quodque tibi comparendum ſit coram ſupremo Deo iudice, vt eorum cum ſolutione ſeueram reddas rationem? Egregiè nos de hoc præmonuit Spiritus Sanctus? *Ne intuearis vinum quando flaueſcit, cum ſplenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet.*

1 Cor. 15. 56.

1 Machab. 6. 12.

Prou. 23. 31.

Quàm tibi formoſa cenſetur illa tot aciculis compoſita & bene culta? quàm alacri delectat colore voluptas oculis tuis oblata? Quàm gratus auaro color auri? Quanta poſſides illud voluptate, qua te mulcendo blanditiæ, ſicut ille qui bibit vt guſtet amplius? Porrò tandem adueniente morte nullus ita viuaciter mordet coluber, nulla vipera tam moleſtos infigit morſus, nullus baſiliſcus pœnis ita te replet mortalibus: itaque mors moleſta eſt mecumque ingerit, ſed propter peccata principaliùs. Venit Chriſtus atque in ſe illa ſuſcipit & imponit. *Qui peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignū.* Per illum habemus eorum remiſſionem, quia illa ſibi clemens impoſuit: & per hoc nos ab omni timore liberauit. 1. Pet. 2. 24.

III. Apis natura.

Stupemus omnes opus apum cum per illas fauos habeamus mellis: ſed times illas, quia gerunt aculeum, quo te pungunt. Si quis veniret & aculeum tolleret, iam vltra apes non timeres ſed imperterritè manum iniiceres dulciſſimo fauo quo fruereris. Mors apis eſt: etenim in iuſtis gaudium conficit faui gloriæ, quocirca dixit Apoſtolus: *Mors lucrum*: verumtamen eſt illi ſtimulus nempe peccatum, quod nos ipſa veniente, timore percellit. Hunc Chriſtus abſtulit ſtimulum, illum in ſe ſuſcipiens, quia ſibi eiuſdem impoſuit ſolutionem, & per hoc ab omni timore liberamur, pace gaudio & tranquillitate delectamur: dixit enim Apoſtolus: *Iuſtificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.*

Philip. 1. 24.

Rom. 5. 1.

IV. Secundò ſibi Chriſtus ſumpſit mortis aſpera.

Secundum nouimus fuiſſe medium, de quo fusè SS. Patres, quod ſcilicet Chriſtus ſibi ſumpſit quidquid mors habet aſperum, terribile, horribile moleſtum & anxium: illum igitur his omnibus affectibus aſſtrictum conſidera: ecce timet pauet, tædio afficitur, triſtatur, & agonizat: affectus illi non ſunt illi proprij ſed nobis, inquit D. Ambr. Si pondere grauiori ſupprimaris quo tibi deficiunt humeri, & quis acceſſerit alter, illudque à te tollens ſuis audacter imponat, claro clarius eſt te exonerandum & cum agilitate ambulaturum.

Nemo non nouit quod ipſa nos docet experientia in eo quod ante diximus de ape, quòd aculeo ſuo lancinet: quod ſi corpus pungat mortuum, aculeum non perdit, at ſi viuum, inhæret illi cum viſceribus, ipſaque moritur. O quàm notabile diſcrimen, ſed propoſito noſtro ſupra modum appoſitum! Mors apis eſt ingens, & prius corpora vulnerabat mortua: nam omnes propter peccata noſtra eramus mortui

Rom.8.10 eo ſenſu, quo dixit Apoſtolus. *Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum*, &c. Idcirco quantumuis pungeret, nec aculeum nec vires amittebat; verùm Saluator noſter viuus erat, imo & ipſa vita per eſſentiam, caro eius nedum eſt caro viua, ſed viuificans veramque producens vitam, quia in ſe continet vitam per eſſentiam quæ eſt ipſa diuinitas, vt ipſe de illa locutus expoſuit. Carnem hanc vitam mors momordit ſtimulo timoris ita fortiter & efficaciter, vt ad intima cordis & viſcera penetrauerit, prout modo contemplamur: etenim anguſtiæ illæ timores & mœrores quibus ad mortem vſque contriſtatur, aculei ſunt mortis; porro hic illos ipſa reliquit, & ſine illa manſit: quocirca iam omnem perdidit fortitudinem, aſperitatem, & feritatem quâ cunctos percellebat, quam iam ſancti minimè reformidant aut ab illa fugiunt, imo potius illam deſiderant curruntque illi obuiam cum D. Paulo: & non ſolum eius reformidant præſentiam, ſed inſuper illam irrident & verbis illis explodunt quæ
Oſ.13.14. Propheta dixerat & repetiit Paulus Apoſtol. *Vbi*
1.Cor.15. *eſt mors victoria tua? Vbi eſt mors ſtimulus tuus?*
55. Iam illum amiſiſti dum Chriſtum nihil verita morderes, qui tibi ſtimulum eripuit & occidit. *Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*: his congruè
D.Hier. dixit D. Hieronym. *Gratias tibi Chriſte ſaluator*
Epiſt.3.ad *tua agimus creatura qui tam potentem aduerſa-*
Heliodor. *rium noſtrum, dum occideris, occidiſti.* Noſtram
circa in te mortem ſuſcipiendo, nobis illa mortua
prin.To.1. corruit, & metum, triſtitiam, & horrorem ſuſcipiendo quem illa nobis inferebat, omnem contriuiſti, ut iam nos amplius non inuadat addatve cruciatum.

In Pſ.28. Sententia eſt D. Baſil. D. Hier. & D. Auguſtini litteralem eſſe ſenſum de Chriſto verborum
Pſ.28.6. Dauid Pſallentis: *Dilectus quemadmodum filius*
V. *vnicornium.* Propalam eſt dilectum hunc ſigna-
Chriſtus re Chriſtum ſuper quem in ſpecie columbæ Spi-
vnicorni ritus S. deſcendit & vox clariſona Patris into-
cõfertur. nuit. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Hic eſt dilectus primicerius, in quo & per quem nos Deus amore proſequitur. Hic eſt, inquit velut vnicornis. qua de cauſa comparatur vnicorni? D. Baſil. & D. Hieron. opinantur per hoc eius ſignari fortitudinem: quia nota paſſim eſt fortitudo vnicornis, inquit D. Baſil. ſicut illum Deus apud Iob deſcribit. *Vt in Iob dicimus*
D.Basil. (verba ſunt Auctoris) *vnicornis eſt animal inſu-*
In Pſ.28. *perabile virtute, hominibus minimè ſubiectum,*
To.1. *aut obtemperans; non enim ligo ipſum, aut vinculo ligabis, neque dormiet ad præſepe, & multa alia de ipſius libertate & indocilitate ad parendum hominibus in ea prophetia parte dicuntur.* Omnino ſingulare eſt (vt credimus D. Gregor.) quod L.31.Mor.
Deus Iob confirmat de vnicorni & transfert hoc c.14.
D. Iſidorus; illum nullis poſſe viribus comprehendi, ſola poteſt illum puella ſubiugare, quæ ſe humilem illi obiicit dilatatis brachiis, ſinũ ſuum offerens & pectus in reclinatorium. *Virgo ei puella* D.Iſid.
*proponitur, quæ venienti ſinum aperit, in quo ille* L.13.
*omni ferocitate poſt poſita, caput deponit, ſicque ab* Etymol.
*eis, à quibus capi quæritur, repente velut inermis* c.2.
*reperitur.* Si hoc, vt ait D. Baſil. vaticinium eſt, ecce quàm eminenter in Chriſti Domini incarnatione compleatur.

Sed his præteritis declarare voluit Dauid (ex iudicio D. Baſil. & D. Hieron.) victoriam quam referret de Iudæis, de quo ibidem ipſe vaticinatus fuerat quòd ipſos velut cedros Libani comminueret: *Confringet Dominus Ce-* L.contra
*dros Libani*: cui ſententiæ fauit antiques Ter- Iudæos.
tullianus. Verumtamen ſubeſt alia ratio ſumpta ex eo quod omnibus perſpicuum eſt de vnicorni & proſequitur notiſſimus magiſter noſter frater Ioannes à S. Geminiano in ſumma ſua, confirmans in prouincia Libiæ tantam eſſe venenatorum ſerpentum copiam, vt referente
Abulenſe, nonnulli credant quod Deus populi In c.21.
ſui rebellionem, per illos puniturus, inde eos Num.
malorum Angelorum miniſterio adduxerit, eoſque ita venenatos eſſe ac mortiferos, vt Scrip- Num.21.
tura vocet eos *ignitos ſerpentes.* Cum ad potum accedunt in fontibus & ſtagnis aquarum, aquas inficiunt ſuumque illis venenum infundunt ardentiſſimum. Creauit ibidem Deus in remedium vnicornem cornu ſuo medicinalem, qui illud extinguat: naturali ducta inſtinctu animalia ad potum accedentia circumcirca fontes vel ſtagna ſe detinent perterrita veneno, quo fontes cognoſcunt infectos, donec ipſe veniat qui cornu ſuo ſalutifero illas contigit; ac bibens quaſi totum ebibit ipſe venenum, eaſque reddit expurgatas, ſic vt ſumma hauriant illas voluptate cetera animalia, quinimo ſe illis iniiciant ad caloris ſui flagrantiſſimi refrigerium.

Habes hic rationem quare Dauid Chriſtum ei comparet vnicorni, ob id quod in aquis operatur; de quo paulo ſuperiùs dixerat: *Dominus ſuper* Pſ.28.3.
*aquas multas.* Aquæ illæ, aquæ ſunt fluminis mortis, quæ per hunc humani generis currit alueum: *Omnes morimur & quaſi aquæ dilabimur.* 2.Reg.14.
Teſtatur illa ſapientiſſima Thecuitis Regi Da- 14.
uid,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

uid, in has aquas iniecit ſerpens infernalis poſt peccatum pœnarum, dolorum, timorum & anguſtiarum venenum, quæ furentem excitant agoniam, non erat qui ex aquis illis haurire præſumeret: omnes mors perterrebat, imo & ipſum
Exo.2.14. Moyſen, qui cum tanto vigeret robore, vt ſolo clamore Ægyptios interficeret, illam tamen reformidans, fugiens deſerit Ægyptum, & in terram vſque Madian incola proficiſcitur: Ipſum Prophetam Eliam, virum tanta poteſtate præditum, vt ſolo verbo ſuo cœlos clauderet & aperiret, atque ex illis nunc aquam terræ, nunc ignem ad ſui contemptores educeret exurendos; ita meticuloſum reddidit vt fugam inierit ex terra Iſrael vſque ad montem Horeb. Venit inſignis victorius: ipſe etenim eſt qui plena poteſtate his aquis imperat: cũ ipſe ſit qui claues habet mortis & vitæ, & potentiam adfert diuinitatis ſuæ fortiſſimam (quæ in SS. litteris per cornu deſignatur; Eſtque vita per eſſentiam: accedit hic ad aquas illas easque tangit & nunc ſitiens ebibit. Illam conſidera quàm triſtis ſit, ſibi timens, anxius, ſollicitus, quaſi omne hoc venenum timoris anguſtiæ, & triſtitiæ mortis deguſtaſſet. *Pro*
Hebr.2.9. *omnibus guſtauit mortem.* Ait Apoſt. Non tantum ait quod mortuus ſit, ſed quòd omnes mortis ſapores guſtauerit, quales ſunt anguſtiæ, terrores, & triſtitiæ, per hoc ſic aquas illas, abomni purgauit veneno, vt iam ſalutiferæ ſint, & nedum horrendæ, ac timendæ viris ſanctiſſimis: ſed eas ſummo gaudio, voluptate & alacritate libenter exhauriant: iam ad eius conſpectum exultant, eam votis omnibus exoptãt, & ſi quando illis ipſis denuntietur: eam cum honore læti ſuſcipiunt. *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus.*

V. Christus venit contra venenum timoris mortis cibis.

*§.25. Meſſuit Dominus in horto triſtitiam, & timorem, quem ſeminauit Adam, quo nos ab illis reddidit immunes, ſicut in* Maltha *ſeu inſula Melitenſi, à viperis, & patet in D. Andrea & alijs Sanctis.*

61. His appoſitè conſidero quod contigit viperis ac colubris inſulæ Melitenſis: nam eorum hi ceteris omnibus venenatiores: quãdoquidem nullum morderent quem veneno non
Act.28.3. interficerent. Vna ex illis vipera in Paulum inſiliit illum morſura quem reuera momordit, ſuum illi iniiciens venenum: veruntamen non illum valuit inficere, imo potius eſſe ipſe illam de manibus excutiens in terram deiecit contractam & infirmam, ipſe ſaluus & incolumis. Hinc ortum eſt vt omnes illius Inſulæ viperæ venenum ſuum amiſerint, & nedum quis earum poſtmodum veritus eſt venenum morſuſque peſtiferos, ſed inſuper naſcuntur ibidem quædam linguæ ſerpentum lapideæ quę contra venenum præſentiſſimum ſunt antidotum. Totus mundus viperis abundabat, morte adeo venenoſa, vt quoſcumque pungerent, omnes morerentur pœna, timore & triſtitia calamitoſi. Acceſſit vna & Chriſtum pupugit, qui tantò maiori quàm D. Paulus virtute pollebat, quantò pelagus quàm torrens aquas complectitur vberiores. Momordit illum, mortale ſuum illi iniiciens venenum, quia realiter mortuus eſt. Quid egit cum illa? Breui tempore de carne ſua ſanctiſſima hanc eiecit viperam, reſurgens immortalis: & inde in Eccleſia ſua promanauit, vt iam ſanctis nõ ſit mors quæ timorem ingerat, non quæ occidat: iam mors non interficit, ſed mordendo vitam tribuit & ſalutem, eſtque porta quam ingredimur vt æternâ vitâ gaudeamus.

Vnde in Eccleſia ſanctorum mors iam non di- I.
citur mors, ſed natalis, *Natalitia* quia morte ac- Cur di-
cedente, non ſolum vitæ non patiuntur iacturã, cantur
ſed lucrum acquirunt perpetuæ & immortalis. natalitia
Quàm inſignia ſunt illa Vatis Iſaiæ verba, quæ SS. mors
D Matth. completa teſtatur in Saluatore noſtro eorum.
& conuenienter expendit D. Amb. *Vere languo* *Iſai.* 53.4.
*res noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe porta-* *Matth.*8.
*uit.* Iam ſæpius reperiemus ex SS litteris pecca- 17.
tum eſſe ſemen malorum, dolorum, & infirmita- *Ioc.*12.
tum: ſuadet autem ratio, vt quicumque tale ſe- *Luc. cit.*
men ſeminauerit, talem quoque colligat prouen-
tum (a) & quicumque tale fecerit, tale luat. Sic (a) *qui en*
ille amicus Iob de peccatoribus adſtruit. *Qui* *tal haze*
*ſeminant dolores & metunt eos.* Congruè nobis *que tal*
conſulit Spiritus S. *Fili, ne ſemines mala in ſulcis* *pague.*
*iniuſtiæ, & non metes ea in ſeptuplum.* Si quid ſa- *Iob* 4.8.
pio definitionem ſpectat peccati à Moyſe deſcri- *Eccl.*7.3.
ptam. *Radix germinans fel & amaritudinem.* O *Deut.*29.
quàm peruerſum ſemen hoc primum parens no- 18.
ſter Adam noſtræ iniecit naturæ quando fru- II.
ctum comedit ſibi vetitum & peccauit: etenim Quis fru-
in illa ſemen ſeminauit malorum omnium pœ- ctus ſe-
narum, anguſtiarum, & infirmitatum. Hoc quo- minis
que tu facis ſimiliter: dum enim vel unum mor- peccati,
tale committis peccatum, ſemen ſeminas dolo-
rum omnium contritionum & aduerſitatum,
*Tribulatio & anguſtia in omnem animam homi* *Rom.*2.9.
*nis operantis malum.*

Videamus modò Chriſtum: ecce hujus ſementis copioſum colligit prouentum. *Infirmita-*

*tes noſtras ipſe tulit, & dolores noſtros*, &c. In Græco ſcribitur: *Aſſumpſit* quod ſecundum D. Thom. ſignificat quaſi *ſibi ſumpſit*. Ipſe noſtras aſſumpſit infirmitates & cruciatus: noſtri ſunt, quia nos illos ſeminauimus, verùmtamen ille eos meſſuit. *Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa.* Et quid collegiſti? *Meſſui myrrham meam*. Myrrha præfigurat amaritudinem pœnam & nauſeam. Non ait, quod ipſe ſeminauit eam: quia homo tale ſemen ſeminauit ex quo prouentus talis germinaret. Tu ſeminaſti ſuperbiam, ille coronam meſſuit ſpineam: tu habendi cupiditatem; ille clauos collegit manus ſibi terebrantes: tu luxuriam ſeminaſti, ille crudeliſſima in carne ſua puriſſima flagella ſuſtinuit.

3. q. 4. 2. a. 8. in cor

Cant. 5. 1.

63 III. Primus fuit timor.

Primus fructus ortus de ſemine Adam, tremor fuit timorque mortalis: ſic ipſe confitetur quando commiſſo iam peccato dum accederet Deus rationem eius exacturus, fugit & latebras ſibi conquiſiuit. *Vocem tuam audiui in paradiſo, & timui.* Liceat tibi timere: fructus etenim hic eſt eius quod ſeminaſti. *Si male feceris, time.* Hinc noſtri profluunt timores & tremores, quibus in morte contremiſcimus, atque à facie iræ Domini eiuſque iuſtitiæ expaueſcimus. Ingreditur Chriſtus hortum fructus illos meſſemque collecturus. *Infirmitates noſtras tulit*, vel vt legit D. Matth. *Accepit*: atque vt ſibi noſtros imponeret timores anguſtias, & moleſtias, anxietates: *Cœpit pauere, tædere, & mœſtus eſſe.* Hinc intelligimus, quàm grauis fuerit ille timor pauorque Saluatoris: ſi namque totum illud accepit quod homines poſſunt & habere debent vt infortunia, mortem mala & calamitates, ſine dubio grauior fuit illius tantùm, quàm ſi omnium hominum timores in vnum conferentur cumulum. Et idem ſentiendum de eius triſtitia, nempe illam ſolam multò fuiſſe grauiorem illâ, quæ ex omnibus mundi poſſet conſtare triſtitiis. Si ſpinas omnes ſingulorum colligas camporum illaſque in tuo plantes, dubio plures erunt in ſolo tuo prato, quam in omnibus cæteris coniunctim, illaque à ſpinis omnibus inundabuntur, tuum verò illis implebitur: quod ſi timor aliquis adeo vehemens fuerit, vt nonnullis etiam fortiſſimis vitam ademerit, & vitales cordis Spiritus præfocauerit: quinimo nonnullos ſciamus præ triſtitia metuque mortuos, conſumpta vitæ per timorem reſpiratione; iudica num bene Dominus dixerit tantam fuiſſe triſtitiam & timorem quo cor ſuum grauabatur, vt ſufficeret nedum vnam illi vitam ſed mille, ſi tot haberet, auferre.

Gen. 3. 10.
Rom. 13. 4

Ex eo quod Dominus hic timorem noſtrum, metum & triſtitiam collegit & aſſumpſit, prouenit fortitudo & hilaritas electorum: vt non ſolum iam mortem non timeant, ſed illam toto deſiderio exoptent, & nedum triſtitiâ non langueant illa accedente, ſed exultent præ gaudio illamque vt amabilem & dulcem amplectantur, iam ab illa timidi non fugiunt ſed eam excitari quærunt, nedum viri viribus integerrimi, ſed puellæ etiam teneriſſimæ: nam alacres ſe crudelibus offerebant cruciatibus mortique horrendæ, gaudio delibutæ pleniori, quàm ſi ad nuptias inuitatæ properaſſent. His congruenter mellifluè Doctor mellifluus D. Bernar. duobus ſermonibus de S. Andrea præclara ſanè producit argumenta, conſiderans huius feliciſſimi Apoſtoli lætiſſimum iubilum & motus omnigaudio excitatos quando crucem vidit, cui iam erat affigendus. Prædicabat eiuſdem myſteria, illumque ad tribunal citat Ægeas Proconſul iubetque quæ de cruce magnifica dixerat reuocare, cum aliud non eſſet quàm patibulum malefactorum, niſi illam velit experiri atque in ea vt malefactor occumbere. Reſpondet illi Apoſtolus: numquam crucis gloriam extollerem ſi crucem formidarem, nec inſignior mihi poteſt obuenire gloria quàm in illa mori, cum iam Chriſtus omnem mortis ſuſtulerit timorem & anguſtiam. Paratur illi crux crudeliſſima cui affigatur, quando verò ducitur ad illam, vt primum illam percepit viſuque ſuo conſpexit, vt ſol totus alacer iucundis cœpit eam ſalutare præconiis. *Salue crux pretioſa, quæ in corpore Chriſti dedicata es, & membris eius tanquàm margaritis ornata*, &c. Intuetur illum primò D. Bernard. cernitque quòd ex eius conſpectu nec timeat, nec tremore collabaſcat, imo potius exhilareſcat. *Videns paratam ſibimet crucem nequaquam ſanguis eius gelatus eſt, non ſtetere coma, aut vox faucibus hæſit, non contremuit corpus, nec mens turbata eſt, nec receſſit, vt aſſolet intellectus, ex abundantia cordis os locutum eſt.* Deinde verba auſcultat & audit monentis, quæ non muſſitando dentibus profert, ſed clara voce, & mirabili dulcique teneritudine crucem alloquitur, quæ de plenitudine hilaritatis pectoris eius procedebat. *O crux diu deſiderata, & iam concupiſcenti animo præparata, ſecurus & gaudens venio ad te, ita vt & tu exultans ſuſcipias me diſcipulum eius qui pependit in te, quia amator tuus ſemper fui, & deſideraui amplecti te, ô bona crux.* Stupet D. Ber. in puro homine tales audire rationes atque ad nos conuerſus ſic ait. *Obſecro fratres*

IV. D. Andreæ in cruce gaudium.

D. Bern. Ser. 1. de S. Andrea.

*homo*

*homo eſt qui loquitur hæc, an non eſt homo, ſed Angelus aut noua aliqua creatura? homo plane ſimilis nobis paſſibilis: nam paſſibilem eum paſſio ipſa teſtatur, qua appropinquante tam lætabundus exultat.*

14 An ergo mihi non dixeris, quænam hæc res adeo noua in homine mortali? *Vnde ergo in homine noua hæc exultatio & lætitia hactenus inaudita? Vnde in tanta fragilitate tanta conſtantia? vnde in homine tam ſpiritualis mens, tam feruens charitas, animus tam robuſtus?* Vt nedum viſa cruce conſiſtetur, ſed exultet præ gaudio, nedum præ timore toto corpore contremiſcat, ſed toto pectore iubilet præ lætitia? Recole memoriã (inquit D. Bernard.) & recordare qualis fuerit Chriſtus, quando iam mortem cernit ſibi vicinam, quam ſibi in horto repræſentabat, & oculis animæ ſuæ crucis obiiciebat ignominiã, in qua moriturus erat: illum intuere timore plenum & mortali agonia laborantem, cui vernans faciei color palleſcat, oſſa contremiſcant, caro ſtupeſcat, erigantur crines, & quem tanta concitet pœna vt ipſe hanc ſufficientem iudicet, quâ grauatus emoriatur. Audi vocem eius doloroſam: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Hæc omnia ad ſua reuoca principia, & perpende vnde trahant originem, cognoſce autem & intellige timorem hunc Chriſti mortalem, & verba hæc dolore & tremore plena quæ dicit, eſſe Andreæ: etenim ea in ſe ſuſcepit, & hæc Andreæ fortitudo & læta blandimenta crucis, ad Chriſtum ſpectant, etenim illa conceſſit Andreæ. *Agnoſco planè in duce belli puſillanimorum trepidationem: agnoſco ægroti vocem in Medico.*

D. Bern. Serm. de S. Andrea.

IV. D. Andreæ ... gaudium.

V. Chriſtus ... commutationem.

D. Bern. Serm. ... Cœleſtem planè fecit Chriſtus Dominus noſtri permutationem: non enim illi ſatis fuit ſuam nobis tribuere fortitudinem, conſtantiam, gaudium & alacritatem, ſed etiam noſtram aſſumpſit pœnam, triſtitiam, timorẽ & agoniam. Interroga cum D. Bernard. Domine mi, an non ſufficeret ſi tua nobis bona largireris, niſi inſuper noſtra voluiſſes mala aſſumere? An ergo nobis, Domine, non ſufficeret ſi nullis iſtis afflictus anguſtiis & timore morereris? An igitur redempti nõ fuiſſemus, licet hæc omnia minimè toleraſſes? Numquid pati tu poteras vt poſtmodum tuos diſcipulos? An per hoc non pateret habere te poteſtatem ponendi vel retinendi animam tuam? hæc tua fuit infinita miſericordia. *Quid magnum fuerat* (iterum loquitur D. Bernard.) *Domine Ieſu, ſi accedente hora propter quam veneras, intrepidus ſtares, tanquam qui poteſtatem habebas ponendi animam tuam, & nemo eam tollebat à te? Aut non longè glorioſius fuit, quandoquidem totum propter nos agebatur, vt non modo paſſio corporis, ſed cordis affectio pro nobis faceret, vt quos viuificabat mors tua, tua nihilominus & trepidatio robuſtos, & mæſtitia lætos, & tædium alacres, & turbatio quietos faceret, & deſolatio conſolatos?* Hunc diſcurſum vt ante diximus etiam profert D. Ambroſius.

Quis videat inuictiſſimum Martyrem D. Ignatium, tot annis grauem, vt conſiderata ætate ſua, iam vires illi ſufficere non viderentur quibus ſe in pedes contineret & nihilominus quo tempore mors illi proponitur, quâ leonum vnguibus diſcerpatur, tanto tripudiat gaudio, quantum oſtendunt eius verba diſcipulis ſuis dicta, referente D. Hieronym. *Sinite me ferarum eſcam fieri, fruar beſtiis mihi paratis, quas opto truculentiores mihi inuenire, quas blanditiis demulcebo, vt crudelius me deuorent, & illa ſi ſponte nolint, ego illas vi adigam.* O glorioſiſſime Martyr, an tu de leonibus gloriaris? Meâ quidem ſententiâ illi de te gloriabuntur, cum futurus ſis eis eſca deſideratiſſima. Maius profectò gaudiũ inquit, meum erit, tantóque augebitur amplius, quantó contra me eorum ferocius creſcet immanitas. Sibi perſuadet Tyrãnus poſſe ſe terreſacere Laurentium, accenſam illi igne horrendo nimis craticulam demonſtrans: ſed illa eſt quæ tanto martyrem demulſit gaudio vt exclamet: *Infelix, has epulas ſemper optaui.* Oculos conuerte cum Auguſt. & contemplare D. Vincentium tantò iucundiorem, quantò grauiora erant tormenta ipſi propoſita quibus exanimabatur. Inter illa crudiora, erant eius verba iucundiora, tortores exſibilabat, eos infirmos arguens, vt quis opinari poſſet, & vnum eſſe qui loquitur, & alterum qui patitur. *Tanta graſſabatur crudelitas in martyris corpore, & tanta tranquillitas proferebatur in voce tanta pœnarum aſperitas ſæuiebat in verbis, vt miro modo putaremus Vincentio patiente, alium non loquentem torqueri.*

VI. Martyrũ in cruciatibus gaudium

D. Hier. L. de ſcripto. Eccleſ. Tom. 1.

D. Aug. Serm. 12. de SS. Tom. 10.

Relictis aliis multiſque hiſtoriis, ſufficiat D. 65
Ambroſij cõſideratio de S. Agnete: miratur enim puellam tredecim annorum tanta mentis alacritate ad mortem properare truculentam, quanta ad nuptias regias feſtina, properaret, & cum coram illo cõſiſteret à quo capite plectẽda erat, ipſa rideret, ille tremeret. Præclariſſima eius verba ne prætereamus. *Non ſic ad Thalamũ nupta properares, vt ad ſupplicij locum læta ſucceſſu gradu feſtina, virgo proceſſit. Flere omnes, ipſa ſine fletu: mirari plerique quod tam facilè vita ſua prodiga,*

B. Agnetis in morte exultatio.

D. Amb. Serm. 90. de Paſſio B. Agnetis. Tom. 5.

*quam nondum hauſerat, iam quaſi perfuncta donares*, &c. *fletu orauit, ceruicem inflexit. Cerneres trepidare carnificem quaſi addictus fuiſſet, tremere percuſſoris dexteram, pallere ore alieno pericula cum puella non timeret ſuo.* Secundum hæc timor Chriſti noſter eſt, & noſtra fortitudo illius, ipſe noſtro metu timet, & nos eius fortitudine animamur. Ipſe timet ex eo quod à nobis ſumpſit, & nos fortiores ſumus ex eo quod nobis ex ſuo communicauit. Hoc quod communiter hic perpenditur de formatione primæ mulieris, eleganter expendit D. Auguſt. Nemo non nouit quod Deus mulierem de viro formauerit illi coſtam adimens ex qua eam formauit in cuius oſſis locum infirmam ſuppleuit carnem. *Repleuit carnem pro ea.* Non videtur iuxta D. Auguſtin. hoc ſuo loco fuiſſe, & conueniens: quia nouimus omnes proprium eſſe mulieri vt mollis ſit & infirma: vnde quis forte dixerit fore conuenientius ſi viro fruſtum carnis abſtuliſſet atque de ea feminam ædificaſſet. Et quandoquidem mulierem formare voluerit ex oſſe à viro ablato, conuenientius videtur ſi alterum pro eo ſubſtituiſſet, & non carnem: quia hominem decet eſſe virilem & fortem. *Poterat pro oſſe os reddere: poterat ad faciendam mulierem, non coſtam ſed carnem detrahere.* Conueniens hoc eſſet, niſi fieret ad inſignis cuiuſdam Sacramenti deſignationem quod notat Apoſtulus. *Sacramentum hoc magnum eſt Ego autem dico in Chriſto & Eccleſia.* Quódnam eſt illud? Quid ſignificat? Quod Eccleſiam ſuam firmam redderet & immobilem ex oſſe fortitudinis quod procedebat de Chriſto cui indita eſt noſtræ carnis infirmitas. Itaque permutatio facta eſt; nam fortitudo quâ pollent electi, illius eſt. *Facta eſt mulier in coſta tamquam fortis, factus eſt Adam in carne, tamquam infirmus. Illius infirmitas, noſtra eſt fortitudo.* Ex his collegit D. Athanaſ. præclaram hanc ſententiam. *Infirmatus eſt propter nos, vt nos erigeremur robore, vtque dicamus more Pauli. Omnia poſſum in eo qui me confortat Ieſu Chriſto.* Hinc conſilium dant viri ſancti, vt quis ſe cõtra mortis timorem reddat impauidum, vincatq; triſtitiam ortam ex moleſtiis infortuniis, optimam eſſe huius myſterij deuotionem, Chriſtum conſiderando, atque ab hoc maximo noſtro benefactos poſtulando, vt quandoquidẽ noſtram dignatur ſit triſtitiam metumq; aſſumere, vt ſuum nobis robur & conſolationem impertiret, nobis in hac occaſione & moleſtia illam concedere non dedigintur.

VIII. Cur mulier formata ſit ex oſſe viri.

*Gen. 2. 21.*

D. Avg: *Tract. 15. in Ioan. Tom. 9.*

*Eph. 5. 31.*

D. Ath. *Tract. de Paſſione & cruce Domini.*

### §. 26. Pater ſi poſſibile eſt, *&c. Poſtulans Chriſtus non bibere calicem, quem optauerat, oſtendit quanta eius erat amaritudo.*

EXceſſiuus hic timor, quô Chriſtus mortem exhorruit, eum mouit vt illam refugeret ſecundum partem inferiorem, ac media inquireret, ſi poſſibilia forent vt illam euitaret ſeque liberaret. Cum autem eius intuitu nulla eſſent alia niſi ea quæ dependebant ab æterni Patris ſui beneuola diſpoſitione, ſeceſſit à tribus diſcipulis ſuis tantum quantum iactus eſt lapidis, ad illum confugit & genibus prouolutus in terra, quam facie ſua contingebat, hanc exorſus eſt orationem. *Pater, ſi poſſibile eſt, transfer à me calicem iſtum, verumtamen non mea ſed tua voluntas fiat.* Hanc orationem ac petitionem Saluatoris admirantur SS. Patres, & omnes nos I. rapere poteſt in admirationem, licet non conſideremus, niſi quem ſerio Chriſtus oſtenderit ſe mortem fugere & exhorreſcere. Totâ vitâ ſuâ manifeſtauerat, nihil ſibi ipſa morte eſſe deſiderabilius nec aliquid ſic eius cordi moleſtum quàm eiuſdem dilationem. Notanda ſemper veniunt illa eius verba coram diſcipulis ſuis prolata, quæ congruè perpendunt D. Irenæus, *a.* D. Ambroſ. *b* & alij ſancti *c Baptiſmo habeo baptizari & quomodo coarctor, vſque dum perficiatur.* Vocat baptiſmum mortem ſuam, vt declarat Tertullianus *d* de quo ſumpſit hoc D. Cyprianus *e.* in qua aquæ quæ interuenerunt, pœnæ dicuntur & dolores, qui in SS. Litteris per aquas figurantur. *Intrauerunt aquæ vſque ad animam meam.* Et ſicut in baptiſmo baptizatus aqua cooperitur, illiſque eſt inferior: ita Chriſtus operiendus erat pœnis & cruciatibus in Paſſionis ſuæ pelago, qui tanti fuerunt, quantos ipſe per Dauidem expoſuit. *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* Balneum tormentorum, inquit mihi præparatur, & à planta pedis vſque ad verticem baptizandus ſum totuſque operiendus. *Et quomodo coarctor.* q. d. exprimi verbis non poteſt quantâ cor meum prematur anguſti, ex huius balnei procraſtinatione.

Non ſatis illi fuit dixiſſe *Coarctor*, quod ingentem ſignificat cordis anxietatem, qualis erat illa quâ Dauid coarctabatur, quando Propheta Gad ex Dei nomine illi propoſuit, vt vnum de tribus eligeret, aut famem, aut peſtem, aut bellum: etenim vt animæ ſuæ anguſtias indicaret

his

[illegible] his moleſtiis oppreſſus ait: *Coarctor nimis:* Inſuper & illud addidit: *Quomodo*: quod eſt comparatiuum exprimens ſic poſitum nihil eſſe
Thren.1.1. huic æquiparandum. *Quomodo ſedet ſola ciuitas*
Pſal.88.47. *plena populo?* Luxit Hieremias. *Quomodo dele. . . legem tuam Domine?* Pſallit Dauid: nihil eſt quo exprimatur quanto cor meum dolore comprimatur eo quod baptiſmum tam diu differri ingemiſcam. Legit D. Ambroſ. *Quomodo anger.* Agoniam patior quia mora baptiſmi nimis extenditur. Quando ad horam peruenit cœnæ hoc idem aperuit ipſe deſiderium, *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum.* In Hebræo vim habet magnam illa repetitio *Deſide-*
Luc.22. 15. *rio deſideraui*, q.d. ſummo deſiderio, multoque feruentiori, quàm declarari poſſit cœnam hanc expetiui. Et hoc in quem finem Domine? Quia iam hora ſuæ mortis appropinquabat. Si hoc ita ſit, qui fieri poteſt, vt modo ita vicinus illam expaueſcas & te ab illa coneris excuſare, cuius vel ſola conſideratio, te in mortis præcipitet agoniam? Iam prædixit nobis Spiritus ſan-
Prou.13. 19. ctus. *Deſiderium ſi compleatur, delectat animam.* Si verum ſit rei alicuius deſiderium, cor minimè contriſtatur quando hoc aſſequitur ſed gaudio ſubſilit alacriori.

Multa alia in dubium erant reuocanda circa Chriſti petitionem, ſed non vacat illis immorari, & omni declarabuntur per hoc quod communiter dicunt SS. Patres in hoc ſingulari. Nemo vel ſemel hæſitat, quin tanto Saluator nos amore complexus fuerit, vt ſicut probè nouerat omne bonum noſtrum à ſua dependere morte, illam ſummopere deſiderarit, atque inde longiores illi dies eſſe viderentur & horæ quibus differebatur, quàm Iacob Anni, quando tenerè di-
[illegible] ligens Rachel eius complexum optabat. Vocat Spiritus ſanctus, diem nuptialem huius cœleſtis Principis & æternitatis primogeniti diem Paſſionis, vt aliàs oſtendimus, noſque inuitat & hortatur vt exeamus gaudium cordis eius immenſum mentiſque contemplaturi alacritatem.
Cant.3.11. *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem, &c. in die deſponſationis illius & in die lætitia cordis eius.* Qualis eſt ſponſa illi chariſſi-
II. Chriſtus crucem ſummopere deſiderauit. ma? Sanctiſſima crux in cuius brachiis requieſceret, vitæ ſuæ finem imponens cruciatibus. Tanto nullus ſponſæ ſuæ flagrauit amore, quanto crucis Saluator: numquam hæc illi cogitatio excidit à die atque inſtanti conceptionis ſuæ in matris puriſſimæ viſceribus.

Quam primùm illam vidit in Prætorio Pilati, ipſe illam amplexus eſt ſuiſque humeris voluntarius impoſuit: hoc auctor quidam gra- *Claud.*
uis opinatur inſinuaſſe verbis illis Euangeliſtam: *Guillian,*
*Baiulans ſibi crucem exiuit*, eoque ſenſu moder- *in c.19.*
nus quidam eadem expoſuit. *Baiulans ſibi crucem Ioan*
*non coactè, ſed voluntariè aſſumpſit eam poſtquam Ioa.19.17.*
*monſtrata ei fuit*: Quod ita confirmat quia non *Pet. Mon-*
eam illi impoſuerunt ſicut Simoni Cirenæo de *nu tract.*
quo dicit Euangeliſta *Impoſuerunt ei crucem de Paſſio*
*portare poſt Ieſum.* Ille ipſe eam amplexus eſt vt *Chriſti.*
ſponſam triginta tribus iam annis deſideratam. III.
Ipſe eam ſibi impoſuit, illaque honoratus de præ- Ipſe ſibi
torio prodiit Pilati gaudio non explicabili, vt eam im-
viam illam curſurus gigantis, adeo moleſtam, vſ- poſuit.
que ad montem Caluariæ, cui hoc Dauidis liceat *Luc.23.*
adſcribere. *Ipſe tanquam ſponſus procedens de Tha* 26.
*lamo ſuo, exultauit vt gigas ad currendam viam.* *Pſ. 18.6.*
Inſuper idcirco dicit Apoſt. *Cum gaudio ſuſti Hebr.12.2*
*nuit crucem confuſione contempta.* Omnem ignominiæ conculcans cogitationem, pedibuſque ſubſternens quidquid illam tangere videbatur, ſuſtinuit crucem eamque eſt amplexatus. En quanta mentis hilaritas, cui conuenienter, huius deſponſationis hora imminente, rem fecit ſibi planè inuſitatam, quâ cordis ſui declararet incomparabile gaudium, dum ex propoſita dataque opera hymnum prædictum decantauit, vt ante diximus. An ergo nunc Domine mi in cantus effuderis, mortem tibi cernens præſentiſſimam? vt audio mori contradicis Salomonis.
*Muſica in luctu importuna narratio* Falleris: non *Eccl.22.6.*
enim fuit illi hora mortis, dies luctus & lacrymarum, ſed nuptiarum & ſponſalium: hoc enim dictum erat: *In die deſponſationis eius & in die*
*lætitiæ cordis ſui.* Hanc cordis alacritatem indi- IV.
cauit ore decantando, quaſi ad nuptas lætus Si Chri-
properaret. Si igitur tanto calicis illius & ho- ſtus tan-
horæ flagrabat deſiderio, qua ratione extrema topere
adeo cordis anguſtia verbiſque poſtulat tener- calicem
rimis: *Tranſeat à me calix iſte?* Si patiebatur ſitierit,
agoniam ex eius dilatione, quomodo nunc ex- cur eum
tremis adeo laborat anguſtiis, vt deprecetur: Si modo ab-
poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte, nec bibam horret.
illum?

Iam rationes expendimus à SS PP. allegatas, & præſertim, horrore calicis ſibi oblati. Declarauit quam horrenda paſſio ſua erat, qualeſque eius cruciatus: non enim tantummodo veri fuerunt, & nedum apparentes, vt nonnulli ſuſtinuerunt Hæretici ſed etiam ita terribiles & moleſti, vt ſola eorum apprehenſio in ſummas potuerit deiicere anguſtias illum qui cœlorum erat fortitudo, gloria Patris, gaudium Angelorum, veruſque ac naturalis Dei filius, vt expendit

D. Am-

*In c. 22. Luc.* D. Ambr. declaratur hoc domeſtica ſimilitudine. Laborat grauioribus oppreſſus malis princeps illuſtriſſimus cui humores corrupti vitæ periculum indicant: vt autem omnes expellantur, potio requiritur medica robuſtior, quam præhabito maturo conſilio cubiculares medici in talem diem illi præſcripſerunt. Pridie illius diei occupatur princeps in ſumendis apozematibus præparatiuis, ſemper de purgatione ſua miſcet colloquia & millies illam videtur deſiderare, atque manibus habere hauriendam: ipſe poſtulat illam, vrget & inſtat ſuam perpendens in illa ſalutem: verum dum illi matutino tempore defertur epotanda, manum extendit vaſculum arrepturus, & ecce coloquintidis, diagri, rebarbari nidor, aliorumque ingredientium amariorum, & nauſeam prouocantium occurrit, ex quo ſtomachus prouocatur, natura commouetur, tantoq; horrore & nauſeâ faſtidit, vt brachium retrahat, ſeſe abſcondat, illi corpus alteretur, intima eius viſcera moueantur, capilli deniq; aſſurgere videantur, aitque: heu medici doctores an aliud inueniri impoſſibile eſt remedium? hanc manu mittamus purgationem; numquid tu ille qui eam efflagitabas: tu ille qui tantopere ægre ferebas dilationem? Sic eſt, porro eiuſdem ſolum odor adeò ipſi grauis eſt naturæ, vt velim nolim me ſubducam, & attendam num modus aliquis ſuperſit illas euitandi.

V. Similitudo.

VI. Applicatur Chriſto.

O princeps illuſtriſſime primogenite æternitatis Chriſte dilectiſſime. Princeps hic infirmatur non propria quidem infirmitate, ſed quia noſtras aſſumpſit tolerandas. *Languores noſtros ipſe tulit*, &c. Heu quot malis affligitur, non ſuis ſed noſtris: equidem *poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum*, idque tam grauiter vt merito dicat cum Dauide. *Repleta eſt malis anima mea.* Hæc omnia expellenda ſunt purgatione mortis ſuæ, quam præhabito conſilio medicus ille cœleſtis Pater ſuus æternus illi præſcripſit hauriendam. *Purgationem peccatorum faciens.* Vt autem infirmitas illa malaque tanta erant, opus fuit purgatione fortiſſima & amariſſima. Placuit principi huic vt talis illi decerneretur, & ipſe præſens fuit æterno illi concilio, in quo decreta fuit, illamque ab inſtanti ſuæ conceptionis in viſceribus Virginis puriſſimæ ſuæ matris acceptauit. Triginta tribus annis apozemata ſumpſit, quæ fuiſſe dicimus pœnas, ieiunia, vigilias, labores, & perſecutiones, quæ omnia toto illo illo tempore perpeſſus eſt. Valde mane & tempeſtiuè cœpit illa haurire, cum vix natus fugere debuerit Herodis ſæuitiam, à quo ad necem quærebatur. Septennio vixit extorris in Ægypto, modo illum lapidare, modo capere, modo vt blaſphemum calumniari ſatagebant.

*Iſai. 53. 4.*

*Ibidem 6.*

*Pſ. 87. 4.*

*Hebr. 1. 3.*

Quoties Princeps hic teſtatus eſt optare ſe, diem huius purgationis eluceſcere? Paulò antequam hora immineret, imò cum iam adeſſet, eam diutiùs differri non ſuſtinens; Iudam excitauit dicens illi: *quod facis fac citius.* Velut ille languens qui inſtante hora purgationis famulum inſtigat, vt illam adferat ſibi cōmmodò. Nihilominus nunc cum præſens adeſt, iamque vaſculum capere proponit & calicem bibere amariſſimum, occurrit illi odor pœnarum vt multitudine ita grauitate moleſtiſſimarum, ſentitq; cruciatuum odorem amariſſimum: vt enim probat D. Thom. nunquam potio medica tot confecta eſt amaris ingredientibus atque calix iſte Dominicæ Paſſionis: cuius horrore natura contremiſcit humana, turbatur ipſe & anxiatur, retrahitque brachium: & quaſi qui eius ſentiat amaritudinem ad medicum conuertitur cœleſtem ſupplicans, vt remedium illud adeo amarum tranſeat & aliud ſumatur. *Pater omnia tibi poſſibilia ſunt, ſi vis transfer calicem iſtum à me.* q.d. ô expertiſſime medice, non conſtringitur, nec concluditur infinita tua ſapientia vnico ſalutis humanæ remedio, imò potius alia multa vales ordinare, eaque tanta quanta libuerit, nec omnipotentiæ tuæ aromatica officina vnicam tantum præſtat ſanandi medicinam, ſumatur alia qualibet, & hæc tranſeat, nec ego illam ſumpſero. *Tranſeat à me calix iſte.*

## §. 27. Orauit. *Chriſtus triſtitiâ abſorptus recurrens ad orationem, docet nos illam mœroris & triſtitiæ eſſe remedium, quo ſibi Dauid & Iob ſubſidio fuerunt.*

HAnc Chriſtus orationem mirandis perfecit circumſtantiis, quales noſtræ conueniebant inſtructioni: quando quidem hæc omnia ad noſtrũ dirigebat & remedium & eruditionem, & optimè quadrat hic D. Auguſtini regula. *Sic ſe exhibuit precatorem, vt meminiſſet ſe noſtrum eſſe Doctorem.* In omnibus nobis fuit magiſter, atq; in omnibus virtutum actibus nos in ſe ipſo Doctor inſtruxit qualiter illos exerceamus: ſuadebat autem ratio vt ſingulariter nos erudiret in actibus orationis: vt enim eleganter dixit D. Chryſoſt. medicina eſt efficaciſſima, quæ vt ſuum ſortiatur effectum, neceſſarium eſt ſcire modum illam applicandi. Eſt

oratio

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*[...]utis medicamentum, ſed ſi neſciamus quomodo ſit adhibendum medicamentum, vtilitatem ex ea non capiemus.* Docet nos ſupremus ille magiſter huius medicinæ applicationẽ: primò in eo quod agit: cum enim timore mortis angeretur horribilium propinquæ, & mortali fractus eſſet anguſtia, ad orationem confugit, documentum nobis inſinuans quod poſtmodum nobis præſcripſit Apoſtolus eius D. Iacobus. *Triſtatur quis in vobis* non enim aliud datur remedium leniendis cordis anguſtiis efficacius, quàm feruens ad Deum oratio. O quàm admirabile tuis omnibus anguſtiis triſtitiiſque remedium! An te melancholicus opprimit dolor ex valetudinis defectu, ex morte filij tui vel vxoris immatura, vel facultatum inopia, vel tibi cor conſtringunt calamitates & anxiæ ſollicitudines? Audi remedium, *triſtatur quis in vobis? oret.* Quid eſt orare? Non eſt grana tantum euoluere roſarij ſic vt nec te ipſum intelligas, ſolaque lingua pronunciare Pater noſter & Aue Maria, ſed principaliter cor tuum in cœlum Deumque noſtrum eleuare. Hanc ita definit D. Damaſc. *Oratio eſt eleuatio mentis in Deum.*

Quod in remedium ponendæ triſtitiæ & melancholiæ congruum ſit ſecedere in hortum diuerſis conſitum arboribus, vel omnigenis intextum floribus, vel montem aſcendere ſublimiorem recreandi viſus gratiâ, quo cor non leuiter à mœrore recreatur: ſi triſtitiam abigat & leniat tripudium, vel arundinum lucta, vel taurorum concurſus, vbi tam præclara videntur ornamenta, tam diuerſi gratique vultus: quanto tibi ſanius erit ad orationem ſecedere cogitatum tuum in illum cœli montem eleuando, per illum Dei hortum & cœli paradiſum obambulare, Sanctorum conſiderare gloriam, celſitudinem, pulchritudinem, eorumque maieſtatem; Apoſtolos illos videre Sanctiſſimos, qui toto vitæ ſuæ tempore mille laboribus & aduerſitatibus circumcincti extrema inopes vixerũt paupertate, quàm pręclaras nunc ſedes beati poſſideant: oculos conicere in martyres illos inuictiſſimos, aduerſus quos tota ſæuiit inferni mundique furioſi potentia, qui vitam ſuam duxerunt & terminarunt in carceribus, vinculis, craticulis, ignibus & aquis, ubique modo obiiciant. *Nondum vſque ad ſanguinem reſtitiſtis.* Animo reuoluere multiplicem Monachorum chorum, quibus hæc prima & vnica erat ſollicitudo, quâ carnem ſuam contererent & mortificarent: & quibus erat dies illa feſtiuior, quâ grauior premebat illos aduerſitas: etenim omnes te nunc adhortantur. *Sic currite vt comprehendatis.* Mentium aciem defigere in tam multos infirmos pueros, tot ſenio languentes quos ætas videbatur longior conſumpſiſſe qui cœleſti fortitudine Regeo vicerunt potentiſſimos, quorum animus in maximè moleſtis exultabat aduerſitatibus: tam innumeras teneráſque puellas intueri, quibus nullum erat chorearũ feſtum iucundius, quàm dum tormentis exanimabantur acerbioribus, eò videbantur alacriores: ex quibus vox illa prodit ad certamen te prouocans, quam de ſe refert D. Auguſtinus. *Tu non potes quod iſti & iſta? An vero iſti & iſta in ſemetipſis poſſunt, ac non in Domino Deo ſuo, &c.*

Hoc egregiè vſus eſt remedio magnus ille orator Dauid: de ſe is teſtatur quod die quadam prægrandi torqueretur melancholiâ & triſtitiâ ita profunda, vt aliud non poſſet quàm lacrymari. Ratio huius erat infidelium arrogantia, & non ferendæ contra Deum eructatę blaſphemiæ: hoc etenim ſi quid aliud, Sanctos contriſtat & affligit. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus?* Perpetuæ erant contra Deum Iſrael infidelium blaſphemiæ, improperabant etenim Deum Iſrael fictum eſſe & emeriticum, quem nec videbant, nec ipſe apparebat, vnde nec aliquid poterat ad populi ſui protector præſtare defenſionem. Torquebant hæ Dei ſeruos amariùs, ſicut piiſſimum regem Ezechiam conuitia quæ toto audiente populo ſacrilegus euomebat Rabſaces explodens populum Hebræorum. *Non tribuat vobis fiduciam Ezechias ſuper Dominum dicens: eruens liberabit nos Dominus, &c.* Hæc audiens Rex Sanctiſſimus ſcidit veſtimenta ſua, cilicium aſſumpſit, totumque ſe dedit lachrymis & ſingultibus. Hic erat ille dolor qui Prophetas angebat ne tantas patienter ferrent contumelias: vnde ſic indignatus fremit Propheta Ioel. *Quare dicunt in populis: vbi eſt Deus eorum?* Nam leuiori triſtitia languens vates Michæas ciuitatem arguẽs infidelem ſic ait. *Inimica mea dicit, vbi eſt Deus tuus?* His omnibus hoc acerbiùs tulit rex Dauid. Sic vt tamẽ inde triſtitiâ grauaretur quæ vitam illi adimeret, & lacrymis conſumeret, memoria repetens illa verba ſibi in faciem obiecta & auditu moleſtiſſima; Hoc inſinuat adiungens. *Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam.* Legit D. Auguſt. *hæc meditatus ſum*, Symmachus vertit. *Hæc agitans animo* Hæc adeo moleſta & faſtidioſa meditatus, *effudi in in animam meam.*

Margin notes: In illud Ioſue 7. — Iac. 5. — I. Oratio triſtitiæ remedium. — Damaſc. l. 3. Orth. fidei c. 24. — II. Simile. — Hebr. 12. 4. — 1. Cor. 9. 24. — D. Aug. l. 8. conf. c. 11. — Pſ. 41. 4. — 4. Reg. 18. 30. & Iſai. 36. 15. — Ioel. 2. 17. — Mich. 7. 10. — Pſ. 41. 5.

69 Difficilia ſunt verba hæc, porro ex opinione D. Baſilij & D. Hieron. Dauid illis pœnam indicat acerbiſſimam, & triſtitiam quæ cor ſuum grauabat profundiſſimam. Vnde nonnulli dicunt quod indicare voluerit: anima mea in me conſumpta eſt eam per oculos effundendo: ſumptâ metaphorâ ſublimatorio quod vi caloris in ſe conſumit herbas & flores per tubum illos diſtillando. Illa phraſi dixit Anna mater Samuelis piiſſima Sacerdoti Heli ſuum illi declarans animi mœſtitiam lacrymarum effuſione. *Effudi animam meam*, &c. *Ex multitudine doloris & mœroris mei locuta ſum.* Alij interpretantur illum intimare quòd cõſideratio eorum quæ adeo moleſta erant, tantam illi moleſtiam intuliſſet, vt anima ſua pateretur inde deliquium, ipſe verò in ſe viribus deſtitueretur exanimis. Hâc formula loquendi vſus eſt Iob patientiæ & miſeriæ ſpectaculum, dum pœnas ſuas expendit amariſſimas. *Nunc autem in memetipſo marceſcit anima mea, & poſſident me dies afflictionis.* Legunt Septuaginta. *In me metipſo effunditur animi mea:* q.d. vita mihi finitur, & in me ipſo eiuſdem defectum experior. Idem Dauidi contigit: vita (inquit) mihi conſumitur & priores vires eneruantur. Quod igitur Propheta ſumpſiſti remedium? Orationem. *Tranſibo in locum tabernaculi admirabilis vſque ad domum Dei: In voce exultationis & confeſſionis, ſonus epulantis.* In Hebræo legimus præteritum imperfectum: *Tranſibam*, Tranſitum faciebam mirabilem, prætergrediebar, cunctaque terrena poſtponebam, cogitationem meam ſuper cœlos exaltabam, ſedemq; mihi figebam in domo Dei & tabernaculo illo admirabili Si mœroris mei & triſtitiæ remedium ſis viſum extendere, ad meæ triſtitiæ leuamen intellectus mei aciem altiùs extuli cœleſti illa conſiderando palatia, in quibus nihil niſi gaudium alacritas, Iubilum, cantus, laudes, conuiuia, voluptates: nec alius auditur ſonus quàm lætè conuiuantium.

1. Reg. 1. 25.

II. Dauidis verba declarantur.

Iob 30. 16

Solet Spiritus S. exponere ſummæ actum lætitiæ genialis ſymbolo cõuiuij. *Iuſti epulentur & exultent*, &c. Si noſter interpretatur Forerius illa verba Iſaiæ. *Canticum erit vobis, ſicut nox Sanctificata Solemnitatis & lætitia cordis*: explicat enim lætitiam cordiſq; gaudium, quo Iudæi ipſa nocte agni Paſchalis feſtiuis canticis epulabantur. Oculos meos leuaui ad æternum illud gloriæ tabernaculũ (oſtendit illud poſtmodũ Deus D. Ioanni: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus & habitabit cum eis*) vbi nullus triſtitiæ locus, nullum datur mœrori tẽpus, nulla torquet pœna, nullæ fluunt lacrymæ, nihil eſt, quod luctum, quod dolorem, quod, vllam inferat afflictionem. Hæc contẽplatus animæ meæ locutus ſum: anima, quid te contriſtant varij muſcolorum terræ ſucceſſus? Quid tibi refert quæcunque in ea ſunt tibi deficere? Cras hæc omnia mœroris occaſiones, exſpirabunt: non enim ea te creauit Deus intentione vt ſedem hic figas perpetuam, hinc diſcedes fructu potiturus patientiæ, quam ſpes tibi ſtabiliuit. *Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me: Spera in Deo*, &c.

Pſ. 67. 4.

Iſai. 30. 29.

Apoc. 21. 3

Heu quoties hoc tibi contingit, vt ignominiam expendens ab alio tibi illatam, & cõtumeliam qua te proximus inhonorauit, iacturam opum, aut alicuius tibi chariſſime, vel valetudinis, te nimium affligas. Hæc animo reuoluens triſtitia grauatis mortali vt tibi vita terminari videatur: huic aptum à D. Iacobo remedium aſſignatur Oratio. *Triſtatur qui in vobis? oret.* Cogitatum tuum mentemque cum Dauide ſurſum attolle, cuncta hæc terrena tranſgredere, omnia poſtpone, atque ad Dei domum eiuſque admirabile tranſuola tabernaculum; Sanctos illos intuere glorioſos, perpende quòd ſicut tu, imò plura quàm tu, & minori de cauſa tolerârint, quodque tandem finem eorum acceperint aduerſitates, & modo gaudeant atque in æternum gloria gaudebũt æuiternæ. Receſſus illos ingredere cœleſtes, tibique perſuade Deum ibi præſentẽ eſſe qui totum gubernat mundum, vt nec paſſer decidat nec arboris folium in terram ſine eius aut diſpoſitione aut permiſſione: & quæcumque tibi grauia proueniunt: congruum ſint ſcelerum tuorum purgatorium, vel vt tibi aperiantur oculi quatenus illa cognoſcas, vel ad non exiguũ meritorum tuorum incrementum. Tranſgredere & vanos illos omitte diſcurſus, *Tranſibam*. Vt quid me talis excepit iniurioſus? Quid agam rerum inops? Quomodo ſalutis impos viuam alacris? Qualiter vxore viduus degam: erat etenim hæc domus meæ moderatrix? Quo fruar ſolatio moriente mihi filio, hic namque erat omne mihi ſolatium.

Hoc fuit etiam remedium quo Iob labores 70
ſuos ſolatus eſt aliâs intolerabiles, quibus præter omnem modum exercebatur; etenim amiſſis & direptis opibus, domo ſubuerſa, prole contrita, filiiſque mortuis, pœnarum & tormentorum vallatus exercitu hoc ſumpſit ſibi remedium. *Tunc ſurrexit Iob & ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite corruens in terram adorauit & dixit. Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ*, &c. *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit*

Iob 1. 20

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*tuit ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum.* Has omnes ſedulò perpendas actiones: viri namque ſunt, quem Deus ſingulari conſilio tibi ſtatuit in exemplum. Iob 1.21. *Vt poſteris daretur exemplum patientiæ.* Primò ſurrexit Iob inuictam oſtendens conſtantiam animique robur inſuperabile, quem non tantæ potuerunt proſternere calamitates: nō aquæ demerſerunt illæ quibus peccatores in diluuio perierunt: quinimò illis ſuperior velut arca ſupernatauit: ſic enim aduertit Spiritus S. de illa faciens mentionem. Gen 7.17. *Multiplicatæ ſunt aquæ, & eleuarunt arcam in ſublime*: Sanctos etenim non demergunt aduerſitates, ſed potius ſpem eorum animumque ſurſum attollunt, vt aliàs diximus.

L.2 Mor. c.17 ad fi. Surrexit (ait D.Greg.) vt oſtenderet ſe minimè victum cedere calamitatibus nec vultum vt vecordes faciunt milites, auertere, ſed frontem opponere, prout ducem decet animoſum. *Sedere*

III. A decore Iob erpreſentur. *enim quieſcentis eſt, aſſurgere decertātis.* Quinimò idcircò ſua diſcidit veſtimenta, vt Origenes interpretatur: quia mos erat Syris vt luctaturi ſiue in arenam deſcenſuri, primò veſtes ſuas dilacerarent, quod indicare videtur Apoſtolus: 1 Cor 9.25. *Omnis qui in agone contendit ab omnibus ſe abſtinet.* D.Nilus. Huic ſubſcribit D. Nilus dicens. *Non niſi nudos in ſtadium lex certaminis deducit.* Ex quo regulam hanc elicit D. Greg. D.Gre. Ho.32. in Euangel. *Qui ad fidei agonem venimus luctamen contra malignos Spiritus ſummus: nihil autem maligni Spiritus propriū in hoc mundo poſſident. Nudi ergo cū nudis luctari debemus: nam ſi veſtitus quiſquam cum nudo luctetur, citius ad terram deijcitur, quia habet vnde teneatur. Qui ergo ad certamen contra diabolum properat, veſtimenta abijciat ne ſuccumbat.*

IV. Capillorum tonſio declaratur. Hoc vt congruum dictum approbo, ſed etiam opinor hac corporis actione ſignificari à Spiritus ſanctus mentis actionem, quod ſcilicet in altum ſe extulerit, oculos dirigens in Deum quod idem eſt ac ſi dicamus: orationi ſe dedit, & conſtat ex eo quod egit: nam *tonſo capite corruens in terram adorauit.* O præclaram orationem! ô quàm fructuosè vſus eſt hoc medio & remedio! Quid eſt capillos ſibi tondere capitis? Omittamus quod in ſuperficie proponitur, & dicunt aliqui, grauem eius indicari triſtitiam ſicut etiā opinantur fuiſſe veſtium rupturam: etenim capitis tondere crines extremam præferebat calamitatem, vnde præſcindebant illos mancipiis, de quo paſſim S.Scriptura. Orig. ſuſtinet in ſignum hoc feciſſe Iob alacritatis eo modo, quo generoſus equus exultans tympana tubaſque bellicas clangentes intelligens. Confirmat autem hoc ex eo quod refertur de Ioſeph: dum enim à vinculis abſoluitur atque carceribus educitur regi Pharaôni præſentandus & primariam regni eius dignitatem conſecuturus, illi prius crines abſcinduntur. *Eductum de carcere Ioſeph totonderunt, ac veſte mutata obtulerunt ei:* Gen.41.14. Sanctis etenim tantò maioris eſt occaſio gaudij, quantò Deus crudioribus illos ſubijcit aduerſitatibus, & magni beneficij loco ac nomine de Iacob dicitur. *Certamen fortè dedit illi vt vinceret.*

Porrò D.Greg. altius eruit myſterium. *Quid per capillos niſi defluentes animi cogitationes accipimus? Quid per caput niſi id quod principale vniuſcuiuſque actionis eſt, mens ipſa ſignatur?* Li 2 Mor. c.38. In hoc quod egit Iob in capite corporis, attende quid fecerit in capite animæ. O quales enati ſūt capilli, quando turbatus accurrit Paſtor infauſta denuntians. Domine mi, iunctis copiis irruerūt Sabæi & Paſtoribus interfectis aſinarum, boumq; armenta diripuerunt: & quando hunc inſecutus eſt alius hæc mœſta nuntians: heu Domine mi, Chaldæi camelos deprædati ſunt eorumque cuſtodes interemerunt: & quando vix ille verba compleuerat, alius ingreditur deplorando. Domine mi, turbo vehemens tuum euertit palatium, & primò filios filiaſque tuas ſub ruina contritos ſepeliuit. Quam triſtes cogitatio eius mouet turbata diſcurſus? Quæ ſagittæ cor illud acutæ perfoderunt? Quàm variis rationibus obijciebatur illi facinus Chaldæorum, & non ferenda nequitia Sabæorum? Quomodo graues illi mouit anguſtias vnico temporis momento videre domum ſuam funditus euerſam, mortuoſque filios? Quid agis vir Sanctiſſime? Tondeantur illi capilli terrenarum rationum, & cogitationum, quibus anima ſupra modum affligitur & mœſta præfocatur: erigatur autem ſurſum in Deum (hoc etenim eſt orare) Dei quæ conſideret magnitudinem, quòd Dominus ſit ſupremus, poſſitque de creaturis omnibus pro libera ſua diſponere voluntate, cuius etiam iudicia abyſſus multa, quæ ſola debeant adoratione conſiderari. Hoc eſt: *Corruens in terram adorauit*, corpore cadens in terram, animam extulit in cœlum, ingreſſus tabernaculum illud potentiæ Dei prorſus admirabile: vnde adorans illud ait *Nudus egreſſus ſum, &c. Dominus dedit, Dominus abſtulit.* Non me Deus in mundo collocauit in eo permanſurum, nec voluit me terrena hæc vt bona magnifacere: nam idcircò nudum me introduxit, nudumque de mundo reducet in ſepulchrum: Eius ſunt omnia quod diſponit, hoc eſt quod fieri conuenit:

ſi tollat, tollere poteſt: etenim Dominus eſt abſolutus, omnibuſque dominatur. Hoc Sanctis omnibus eſt in tribulatione refugium, oratio ſcilicet, & eleuatio mentis in Deum.

§. 28. *Multi Sancti & Sanctæ laboribus & mœſtitià puſillanimes ad orationem pro remedio recurrerunt, quam compoſitam nobis tradiderunt.*

71 DEinde eſt oratio triſtitiæ & anguſtiæ remedium, quam nobis aduerſitates inferunt, quibus cingimur & quas patimur frequentiſſimas: quod ſi (inquit D. Chry-
I. Similitudo. ſoſt.) dum tibi moleſtum aliquid & graue contigit, ædes accedas amici iiſque te cū illo concludas ita collocutus: Domine mi, adſum me tecum recreaturus: etenim dolore conſumor: & cum illo reſidens varia miſces colloquia, narrando quæcunque te premūt aduerſa, lugubrem verborenus narrans hiſtoriam: quamuis enim nullum tibi ſit remedium allaturus, illo tamen à moleſtia recrearis. Quanto magis hoc vti te oporteret remedio, recurrendo ad Deum: ipſe namque amicus eſt integerrimæ fidei qui nuſquam & numquam deficit: ipſe pater qui tui ſolius clementius miſeretur, quam omnes patres ſuis filiis benigni miſerentur. *Si homini quis* (ita
Chrys. Ho. 30. in Gen. poſt med. Tom. 1. D. Chryſo. *loquatur virtute prædito, non paruum inde fructum percipiet, quantis bonis fruetur is, cui cum Deo colloquium fuerit?* Quia quid arbitraris orationem eſſe niſi quoddam cum Deo colloquium? *Oratio enim colloquium eſt cum Deo.* Ita nos docuit Dauid. *Iucundum ſit ei eloquium meum.* Si ſolamini tibi foret colloqui tuamque communicare calamitatem cum D. Petro Apoſtolo, vel D. Paulo, vel D. Franciſco, vel D. Dominico, quid erit ipſa cum Deo ſermocinatio, tuaſque illi particulariter referre pœnas & afflictiones, non quòd ipſe illas ignoret, ſed vt per hoc tibi cor alleuietur, & ſperare poſſis remedium ab eo qui tibi illud ita ſecurè poteſt im-
Pſ. 141.4 pertiri. Hoc erat Dauidis exercitium. *Effundo in conſpectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipſum pronuncio? in deficiendo ex me ſpiritum meum, & tu cognouiſti ſemitas meas.* Sunt aliquādo tales, quæ me impugnant aduerſitates vt mihi vitam adimant, vireſque ſuccidant, vt in me quidquam non ſit quo poſſim reſpirare lapſaſque vires reſtaurare: legit D. Hieronym. *Cum anxius fuerit in me ſpiritus meus,* hoc ago, recurro ad orationem, me cum Deo concludo, velut cum amico fideliſſimo, & patre piiſſimo, cui cunctas ſingillatim meas expono calamitates. *Tribulationem meam ante ipſum pronuncio.* An ergo illas ipſe non nouit? Nouit vtique: porrò pectus alleuiatur pœnaque mitigatur illam Deo communicando, & velut amico integerrimo veroque patri repræſentando. Si hiſce peraddas, in ipſo omne tuum eſſe remedium, quantò fidentiori animo ad illū recurrere oportet, animæ tuæ monſtrando fidelitatem, quæ cōtritā doloribus ad vmbram illius ſe recipit: vt mulier fidelis legitimum ſuum conuenit maritum illius obſeruatrix legis, quam primæuæ Deus præſcripſit mulieri. *Ad virum tuum conuerſio tua:* de quibus aliàs egimus.

Vocauit Pſalmiſta Dauid orationem, reſpirationem & Spiritus attractionem. *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum.* Transfert D. Hieronymus. *Os meum aperui, & reſpiraui:* etenim ſicut remedium efficaciſſimum eſt, ne cor calore nimio ſuffocetur, quo coanguſtatur os aperire & reſpirare, atque per hoc aerem attrahere puriorem, quo refrigeretur: ita nullum eſt potentius quando timore, calamitate, & anguſtia comprimitur & pene præfocatur, quàm aperire os oratione, quā cœleſte refrigerium attrahatur; ille Spiritus inquam, qui viuificat & vocatur à Chriſto conſolator: Modum loquendi perpende. *Os meum aperui,* quod non quamlibet ſignificat orationem, ſed maturam & feruidam: ſicut dum Apoſtolus rogauit, vt pro ſe intercederent, quatenus illi Deus ſuum communicaret Spiritum ad Euangelij aperto ore prædicationem. *Vt detur mihi ſermo in apertione oris:* hoc eſt ſincerè, efficaciter, & magnā fiduciā fructum in auditoribus operandi. Hoc modo iuſtus orat, de quo teſtatur Salomon. *Aperiet os ſuum in oratione.* Et hoc modo Dauid orabat, talique oratione cœleſtem attrahebat ſibi ſpiritum: *Attraxi ſpiritum,* quo cor ſibi recreabatur: etenim ſi taliter oraueris, indubitanter illum attrahis, eumque Deus tibi communicabit. Ita ipſe dixerat, & quando commendans orationem vt remedium omnibus neceſſitatibus vniuerſale nobis aſſeruit, quòd aperiendo os noſtrum & rogando, pater ſuus cœleſtis optimum nobis Spiritum ſuum indulgeret. *Dabit Spiritum bonum petentibus ſe.*

Huic remedio manum adiecit magnus ille Patriarcha Iacob, quando metu tremulus ex audito nuncio, quòd frater ſuus Eſau, qui necem illi ferox intētauerat, quadringentis ſtipatus militibus acceleraret, totus corde contractus ad

locum

Ezechias, Ioſaphat, Eſther, Iudith. locum ſeceſſit ſolitarium, ab vxoribus, filiis & armentis ſegregatus, tantoque cœpit ſpiritus feruore vacare orationi vt oculi velut perennes fontes lacrymis innatarent, & affectu adeo efficaci, vt Deo vim inferre videretur ita magnam, qualem declarat Spiritus S. in lucta illa, quam cum illo habuit nobiſque enarrat vates Oſeas; quæ non brachiis ſit acta corporalibus, ſed gemitibus & lacrymis. Oſ. 12. 4. *Inualuit ad Angelum fletibus & oratione.* Hinc ita os aperiens viuum attraxit ſpiritum cœleſtemque fortitudinem, quâ tantopere roboratus extitit, vt fratris ſui pectus ſuperarit atrociſſimum. Hoc ſimiliter remedio vſus eſt rex piiſſimus Ezechias quando militari cinctus corona à faſtuoſo illo Rege Sennacherib tanto tremore metuque expalluit, vt diceret; 4. Reg. 19. *Dies tribulationis & anguſtiæ*, &c. tum etenim hoc egit. *Aſcendit Domum Domini, vt oraret in conſpectu eius.*

72 Hunc imitatus eſt rex Ioſaphat omni pietate conſpicuus, cum primum enim intellexit Ammonitas & Moabitas copioſiſſimis inſtructos legionibus in eum irruere, præ timore nimio cordis dimiſit alas puſillanimis. 2. Paral. 20. 3. & 12. *Ioſaphat autem timore perterritus, totum ſe contulit ad rogandum Deum.* Repeto: *totum ſe contulit*: non ſicut tu, qui tantum os confers ad orandum, non cor, non animam: atque inter alia orationis ſuæ verba protulit hæc prudentiſſima: *Cum ignoremus quid agere debeamus hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te.* Illo medio leuamen ſenſit triſtitiæ. Pyſſima Eſther præ mœrore tabeſcens ob Dei populum morte damnatum ex Eſth. 14. 5. edicto regis Aſſueri crudeliſſimo: *confugit ad Dominum cauens periculum quod imminebat.* & veſtes exuens cultiores cilicium induit, lacrymas fudit de corde feruentiſſimas & in conſpectu Domini mæſta deprecatur. *Domine mi, qui Rex noſter es ſolus adiuua me ſolitariam, & cuius præter te nullus eſt auxiliator.* O quàm congrua tibi Domina cordis & oris oratio, dū tibi moritur maritus & vidua ſuperes ſola, nec eſt qui te triſtem aſpiciat: & tibi pariter puella dum te ſolatio luges deſtitutam, nec ſit qui tibi ſuccurrat aut te intueatur, niſi vt honori tuo doloſas ſcortator tendat inſidias. *Domine mi, adiuua me ſolitariam*, &c.

Simili oratione honeſtiſſima Iudith vires hauſit & animum, vt ſe à cruciatu liberaret, anguſtias cernens ſic omni fiducia deſtitutas, quibus Bethuliæ ciuitatem angebat Holofernes dux quo terra non vidit atrociorem: vt enim intellexit tremore metuque corda populi langueſcere: ſuum petiit oratorium, cilicio corpus circumcinxit, caput cinere conſperſit, vnde tantum recuperauit ſpiritum, vt ipſa ſola ſeſe inimico opponuerit inſuperabili totique potentiſſimo eius exercitui: & quâ hora manu gladium arriperet caput illi præſciſura, quatenus animum hauriret intrepidum, orationi ſe dedit viuis feruens lacrymis & animo ſe proſternens humili, optatum quærit à Deo ſubſidium. *Confirma me Domine Deus Iſrael, & reſpice in hac hora ad opera manuum mearum.* O quantâ præcellens oratio prudentiâ, quam expediret imitari te, dum non ferendis arctaris anguſtiis & alius tuæ captat inopiæ occaſionem, vt te propellat in ruinam, quando te gemis ad extrema redactum, & periculo perditionis expoſitum, quando te grauior vrget aduerſitas. *Confirma me Domine Deus Iſrael & reſpice in hac hora.*

Hoc in omnibus occaſionibus Dauidi fuit quotidianum & familiare remedium. *In die tribulationis meæ Deum exquiſiui. In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui.* Hæc Eccleſiæ frequens fuit oratio quando cordis paſſa tribulationem ex feris illis & ferreis vinculis, ſtrictoque carcere, quo captus detinebatur D. Petrus caput ſuum, ad mortem Act. 12. 5. proſcriptus. *Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo.* Ne prætereamus hoc: *Sine intermiſſione*, eo modò quo dum cor præfocatur & inceſſanter & feſtinè reſpiras. Hinc conſilium habemus Apoſtoli. *Sine intermiſſione* 1. Theſſal. 5. 17. *orate*; illi conformiter quod Dominus nobis in Luc. 18. 1 iunxerat. *Oportet ſemper orare & nunquam deficere.* Ita continuus debet eſſe recurſus ad remedium ac eſt paſſio tribulationis. In hac vita nos mala, tribulationes, pœnæ & anxietates inceſſanter affligunt, modò corporis, modò animæ, modò bonorum, modò dignitatis, modò valetudinis, modò in perſona propria, modò in filiis, modò in coniuge, vt proinde dicere liceat: *Sine intermiſſione patimur*: igitur ſine intermiſſione ad medicinam confugiendum: *Sine intermiſſione orate.* Ecce magiſter noſter, qui hoc arripit ſibi remedium, quando timore & triſtitia ſupra modum affligitur.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## §. 29. Et ipſe auulſus eſt ab eis. *Ab alijs Chriſtus oraturus ſeceſsit, docens ad orationem requiri ſolitudinem, paſſeres fugando ſacrificium Abrahæ perturbantes.*

71 SEcundò Chriſtus oraturus ſecedit, nec ſatis illi fuit reliquiſſe ſeorſum octo Apoſtolos, tribus adductis quos elegerat, at etiam ab illis paululum auellitur. *Et ipſe auulſus eſt ab eis quantum iactus eſt lapidis*: manſitque ſolitarius. Quid agis præceptor ſapientiſſime? Quale tibi tres illi fideliſſimi amici cauſant obſtaculum? Quando ad montem Thabor oraturus te receſiſti,

Luc. 29. *Dumque orares facta eſt ſpecies vultus tui altera*: Siquidem in conualle cæteros reliqueris, attamen hos tres tecum aſſumpſiſti, quos ita tibi præſentes habuiſti, vt viderent te glorioſum & transfiguratum, tuoſque familiares Moyſen & Eliam illuc accurrentes, nec non quæ cum illis conferebas, intellexerunt: cur igitur nunc oraturus ab illis ſolus ſepararis? An forſitan tuam impedient, aliòque diuertent attentionem? Nemo dubitat quin Chriſtus noluerit ab eis diſcedere, imo potius hoc fuit illi permoleſtum, vt bene notauit Euangeliſta his verbis *Et ipſe auulſus eſt ab eis*: etenim violentiam indicat, quam arbori adhibes illam de terra euulſurus, in qua radices egit profundiores. Arbor Sanctiſſima Chriſtus Dominus, nam arborum Symbolo ipſum nobis Prophetæ deſcribunt.

Pſ. 1. 3. *Erit tanquam lignum, quod plantatum eſt*, &c. Firmas egerat amoris & voluntatis ſuæ radices in diſcipulis illis: illos etenim vt pupillam oculi ſui diligebat affectuoſiùs, videbat quàm neceſſaria illis eſſet ſua ſocietas, & ſcandalum in quod breui præcipitandi forent, nec non quam incurrerent tempeſtatem: vnde quaſi anima illi euellebatur, quam in illis fixerat, cum ab illis ſepararetur. Similiter timori metuique illi terribili ac mortali triſtitiæ locum dederat, vt cor ſuum affligeret ex viuaciſſima mortis repræſentatione, quam ſibi ita efficaciter obiecerat, vt prædictum eſt: & quia remedium maximè conducens illi qui pauore non leui, vel terrore ex alicuius ſpectri concurſu percelluntur, aliorum eſt grata ſocietas: petit à tribus his Apoſtolis, velit amicis integerrimis, vt ſibi comites adhærerent. *Sedete hic & vigilate mecum* Vnde ſegregari ab illis nouum fuit illi tormentum, illa tam mortali triſtitia, tam amica ſe priuare eorum ſocietate quos elegerat: nam etiam in hoc locum dedit timori & pauori, vt cum tanto fortiùs in ipſa ſolitudine diſcruciaretur.

Ob quam cauſam Domine mi, ſecedis amiſque ſolitudinem? Præter dictam rationem quod I. ſuas voluit eo modo tolerare pœnas, quo ſibi forent acerbiores aliam ordimur explicare: nos etenim docere voluit, quàm neceſſaria ſit orationi ab ſtrepitu mundique tumultu ſolitudo, ne quid ſit quod debitam orationi perturbet attentionem. Si Chriſtus Dominus noſter cuius nihil abripere poterat cogitationem, aut aliò deflectere orationem ſecedit etiam ab illis qui nullam illi diſtractionem erant allaturi: quid tibi faciendum cui cogitationes quolibet paſſere ſunt leuiores, & ipſis facris in templo vexillis mobiliores, quas nequeas compeſcere nequidem vnius Pater noſter interuallo, & attentionem tibi muſca tollit prætereuolans, & ſi in medio familiæ tuæ velis orare, vbi quidam perſtrepunt alij tranſeunt, modo hunc interrogas, modo reſpondes alteri?

Quis explicet cum D. Auguſt. quàm inſta- II. bile ſit tibi cor leuiſque cogitatio, quàmque nullo negotio diſtraharis? Sancti maximè ſolitarij torquebantur, lugebantque hanc calamitatem quam in ſe ſentiebant: etenim cum deſerta incolerent maximè remoti, & eſſent ab omnium conſortio ſegregati, tamen illis cogitatio ad mundi tumultus euolabat intricatiſſimos. Ita de ſe teſtatur D. Hieron. quod in tam aſperam ingreſſus ſolitudinem vt ardentiſſimis ſolis caloribus exuſtus, horrorem metumque incuteret monachis ſibi in ea cohabitantibus, tam aſperis cor ſuum affligens ieiunijs & violentis domans vigilijs, vt ex eis omnia illi membra colliderentur, indutus cilicio, carne denigrata & quaſi conſumpta: quòd inquam, hoc in carcere atque exilio concluſus cui ſe ipſum propria voluntate adiudicârat, nec alteri ſocietati conuiueret, quàm ſcorpionibus ferociſſimis, orationi vacare ſtudens, cum iam animum ſurſum in cœlum erexiſſet, illico ad intima vrbis Romæ lugeret ſe penetraſſe, cum Romanis matronis ſibi cognitis conuerſatis, nec non feſtis, tripudiis & choreis ſolemnioribus diſtentum & diſtractum, quæ viderat in illa ciuitate quàm plurima: ex quibus crudele illi tentationum motuumque bellum excitabatur, vt neceſſe fuerit flagrum arripere ſeuerius, quo pectus caſtigaret atque ad Deum viuis lacrymis gemitibuſque recurrere doloroſis. Expendit D. Auguſtin. quod Dauid in oratione verſatiſſimus de III. ſe teſtatur: quod cum ad eam ſecedens cum iam cor ſuum

men-

mentem ſuam & cogitationem in Deum cœlumque ſuſtuliſſet, confeſtim & inaduertenter ſenſus illi per alia & alia vagaretur, quaſi perditus, vt ipſe vbinam eſſet ignorare videretur: hoc verba illa ſignificant, *Cor meum dereliquit me*: quæ Chaldæus ſic transfert. *Cogitatio mea dereliquit me* quoties a beatum ſe credebat, ſi quando illam inueniret. Ita Deo proteſtatus eſt. *Inueni cor meum Domine, vt orarem te. Inueniſſe ſe dixit cor ſuum, quaſi ſoliret ab eo fugere, & ille ſequi quaſi fugitiuum, & non poſſe comprehendere, & clamare ad Dominum: Cor meum dereliquit me.*

Pſal. 39. 13. — 2. Reg. 7. — D. Ambr. in Pſal. — Gen. 15.

IV. Perpendit D. Gregorius hiſtoriam illam Abrahæ: ſacrificium enim oblaturus de nonnullis animalibus & auibus à Deo ſibi præceptis, quantò huic attentiùs intendebat, tantò frequentiùs aduolabant aues rapaces ex qualibet parte vt membra deuorarent animalium quæ ſacrificabat, eumque in officio diuerterent, quinimò non parum angebant illum vt nunc illam nunc alteram diligenter abigeret. *Deſcenderunt volucres ſuper cadauera, & abigebat eas Abraham.* Nota inquit D. Gregorius quid Sanctis contingat quando ſecedunt vacantque orationi, in qua cor ſuum Deo ſacrificant & vix eam exorſi ſunt, cum ecce perpetuò eorum volent reuolentque cogitationes, quædam illac, quædam iſtac, & eos abripiunt ſic, vt in ſe reuerſi, iam illas non inueniant vbi eas collocârant: iam cura filiorum, nunc operum, nunc litis, nunc agendorum ſeſe offert. *In orationis ſacrificio* (verba ſunt D. Gregorij.) *importunæ cogitationes ſe ingerunt, quæ hoc rapere, vel maculare valeant quod in nobis immolamus.* Vnde moleſtum eſt illis valde, multumque illis abigendis temporis impendunt, ne forte cor illis abripiant & vt illud quietum paratumque componant. O quàm neceſſarium eſt ab externis ſecedere, ſic præfatus Doctor, vt Deo gratum ſit ſacrificium orationis: quod adeo illi acceptum eſt, vt ſine illo nihil in conſpectu eius accepetur.

D. Greg. lib. 16. Mor. c. 10. — Lib. 22. Mor. c. 13.

V. Referunt Cicero & Appianus Alexandrinus indicatum fuiſſe mortis ſacrificium illud quod obtulit Iulius Cæſar eo die quo gladiis inimicorum cæſus occubuit. Valde diluculo ſurrexit & mali ſuſpicione perterritus, continuò diis ſacrificium offerre voluit vituli, cuius cum extra diuini ſcrutarentur, ſine corde vitulum inuenerunt: quo conſiderato ſtatim aruſpices præſagierant mortis hoc eſſe ſacrificium, nec vana prædictio: nam inde diſcedens Imperator eodem die coniuratorum pugionibus intereriit. Hanc hiſtoriam aliàs retulimus. Quamuis diuina permiſſione diabolus hoc operaretur ad gentilium excæcationem, tamen hoc ad noſtram trahendo vtilitatem, dico cum D. Gregorio in ſacrificio orationis cor noſtrum exquiri, pauci namque referunt voces verbaque idiomatis cœleſtes ſi cor in terra conſiſtat impudicitiis occupatum, opibus & honoribus intricatum, vt diximus die cinerum de diuite illo quem D. Antonius Paduanus excordem eſſe teſtabatur. Nefas eſt inſignem hic D. Bernardi ſilere ſententiam. *Magnam iniuriam Deo facio cum illum precor vt meam precem exaudiat, quam ego qui fundo non audio. Deprecor illum, vt mihi intendat, ego verò nec mihi nec illi intendo, ſed quod deterius eſt, immunda & inutilia in corde verſando fœtorem horribilem in eius conſpectu effero.* Notemus hoc verbum: *Magnam iniuriam Deo facio.* Quia ſacrificium orationis ineffabiles nobis confert vtilitates, vt autem illas aſſequamur oportet vt cor illi ſit affixum, idcirco conatur diabolus aues excitare quæ tollant illud & dilacerent. Illas ex mente D. Greg. gyrouagas dixeris imaginationes, quamuis enim quis Abraham ſit, ſæpo tamen magnam illi cauſant in abigendo moleſtiam. Quod ſi viri iuſti & Spirituales amici ſolitudinis hanc patiantur moleſtiam, fugiatque cor eis in oratione, quid tu facias carnalis & terrene, qui numquam illud de terra ſurſum erigis, turbæ populorum, tuæ familiæ demerſus impedimentis.

Suet. de diuin. lib. 1. 13. — Iulij Cæſaris ſacrificium cordis vitulini caruit.

*Tract. 2. Num. 358* — *Lib. Meditat. c. 8.*

75 Fumus eſt incenſi & aromatum ſuaue fragantium, proprium orationis hyeroglyphicum. Ita legimus apud D. Ioan. vidiſſe eum angelum odoriferum Deo fumum offerentem ex aromatibus precioſis: cum autem quæreret quænam hæc eſſent, illi reſpondetur *Orationes ſunt Sanctorum.* Ita prædixerat cor frequens erat hoc orationis exercitium Pſalmiſta Dauid. *Dirigatur Domine oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo, eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Eſt ſacrificium quod ſingulis offero noctibus, eleuatio manuum mearum, hoc eſt orationis: & hoc vnicè concupiſco, vt rectà tendat & dirigatur in conſpectu Domini velut incenſum aromatum. Hæc verba trutinat D. Chryſoſt. vt declaret qualis eſſe debeat oratio: porro ad rem noſtram notiſſimum eſt, quatenus rectà ſurſum aſcendat fumus incenſi, requiri neceſſariò, vt de plateis foroque, in quibus ventus communiter aſſurgit, omnino ſeparetur. Fumus adeo delicatus eſt & tener vt illum minimus flatus huc & illuc diſpergat per aëra, & recta tendens

VI. Orationes SS. fumus ſunt Deo gratiſſimus. — *Apoc. 8. 3.* — *Pſ. 140. 2.* — *Ho. 74. in Matth. poſt. med.*

dere non permittat: etenim vt oratio tua in Deum dirigatur, rectà aſcendat nec aliò diuertatur, oportet vt te ſubducas, ſolúſque concludaris, vt ventus non accedat famuli, non ancillæ, non negotiorum, non tumultuum: ſi namque perflent illi, totam diſpergent attentionem, manebitque illa deorſum inutilis. Vnde cum iam vires tibi non ſint vt illam quietam habeas, ſaltem ex parte tua locum elige, vbi minus ſit quod te diuertat impedimentum.

VII. Moyſes & alij oraturi ſolitudiné ſectabantur. Hoc ſuo nos exemplo docuerunt Moyſes & Aaron graui oppreſſi conflictu & anguſtia turbati ex ſeditione populi tumultuarij: nam oraturi ad tabernaculum confugerunt. Audi ſcripturam: *Moyſes & Aaron dimiſſa multitudine ingreſſi ſunt tabernaculum fœderis, & corruerunt proni in terram, clamaueruntque ad Dominum.* Idem

Nu. 20, 6. ex eodem Moyſe diſcimus quando grauioris calamitatis in Ægypto impetraturus à Deo remedium, à ſtrepitu procul ſeceſſit palatij Pharaonis.

Exo. 8, 30 *Egreſſus à Pharaone orauit Dominum.* Idem egit quando Pharao percuſſus à Deo grandine & igne inſtanter rogabat eum vt medius intercederet apud Deum, quatenus à tam horrendo manum tolleret ſupplicio, reſpōdit ſe facturum, ſed ſolū ſeparatim egrediendo de ciuitate ad locum à turbis ſemotiorem.

Exo. 9, 29. *Cum egreſſus fuero de vrbe, extendam palmas meas ad Dominum.* Non aliter pudiciſſima Iudith: etenim aduertens periculum quo tota laborabat vrbs Bethulia, & quam imprudens Sacerdotes & Senatores inierant conſilium, recurrit ad orationem: ad hanc autem ſeſe expediens de multitudine ſibi ſocia, ſeceſſit ad oratorium quod domi ſuæ ſibi conſtruxerat quàm primum defuncto uiro vidua ſuperuixit.

Iudit. 9, 1. *Iudith ingreſſa eſt oratorium ſuum.* Et hoc nobis documentum cœleſtis prælegit præceptor.

Matt. 6, 6. *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum.* Verba

Lib. 22. Mor. c. 18. hæc eleganter diſcutit D. Gregor. Ad hoc inſtituit Dominus templa particularia, vt Domus ſint orationis, ita à terrenis negotiis & tumultibus ſequeſtrata, vt illos qui hos in templo Ieruſalem introducere volebant, flagris velut canes longius eliminarit, dicendo.

Matt. 21, 13. *Domus mea, domus orationis vocabitur:* De quo fuſiùs actum eſt ſuperiùs. Hoc igitur nos Dominus illo ſeceſſu ad orationem docere prætendebat.

### §. 30. *Ad ſolitudinem ſe recipit ſponſa Dei orationi vacatura, ſecundum inſignem doctrinam, dignamque ſpiritu D. Bernardi.*

ALiam indicat D. Bernardus rationem doctrina quadam pia, ſuaui & melliſluo Spiritu ſibi frequentiſſimo. Excutit verba 76

cœleſtis ſponſæ. *In lectulo meo per noctes quæſiui* Cant. 3.
*quem diligit anima mea.* Apage procul hinc impudica cogitatio in amore ita caſto, pudico & ſpirituali. Indicat ipſa (ex iudicio D. Bernardi) velle ſe aliquid agere quod pudorem ſibi inferat vnde latebras quærit noctiſque tenebras obſcuriores. *Verecundia ſi aduertis, & loco ſignatur &* D. Ber.
*tempore.* Sic ſe res habet: etenim delitiæ, amores, Ser. 86.
& amica colloquia quibus ſponſa ſponſum re- quinqua-
creat & dilectionis indicia quibus illum demul- gesimo in
cet, nec non zeli feruentiores, quos ab illo poſtu- Cant.
lat, continent neſcio quam verecundiam ne pa- I.
làm euulgentur aut in alicuius alterius præſen- Sponſa
tia exerceantur, licet pater ipſe ſit vel frater; ſunt cū ſponſo
confabulationes maximè ſolitariæ ſponſæ dile- blanditiis
ctæ cum ſponſo ſibi chariſſimo, ſic vt amici fa- ſecretius
miliares & propinqui maximè dilecti ſint ob- potitur.
ſtaculo cauſentque verecundiam. Animas Sanctas Dei ſponſas inſcribimus, ad eum afflictæ tribulationibus recurrunt, ad eum oculos ſuos erigunt & conuertunt vt ſponſa fideliſſima, cui hoc præceptum iniungitur, *Ad virum tuum conuer-* Gen. 3. 16.
*ſio tua.* Vnde cum illo agunt amoroſis lacrymis, ſuauibus ſuſpiriis, verbis exquiſitis, & blanditiis familiaribus. O quales motus animæ piæ prouocant in oratione? O quàm teneris blandiſque Deo verbis loquuntur? Qui motus ita particulares? Lacrymantur, ſuſpirant, ingemiſcunt, blanditiis agunt, ſoliloquia proferunt amicabilia, nunc manus attollunt, nunc brachia, nunc formam crucis exprimunt, modò flectunt genua, modò ſe ternas proſternunt, modò faciem terræ collidunt, modò de auerſione conqueruntur, modò zelum expoſcunt, modò merita ſua parua recognoſcunt. Nullum inuenias ſponſum qui cum ſponſa ſua adeo tenerè blandèque conuerſetur ſicut Deus cum anima iuſti.

Dixit hoc Propheta David. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te.* Latent hæ dulcedines & ſunt abſconditi fauores. *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à contradictione linguarum.* Teipſum Domine cum illis ſolis ſolum concludis: non enim pateris vt illi qui hæc ignorant, tibi con-

tradi-

tradicauit. Nomen *facies* maieſtatem indicat, quaſi dicat: Domine mi ſolus cum ſola conuerſaris tuam abſcondens maieſtatem celanſque celſitudinem. Hoc eſt cum illis agendo mirabili quadam teneritudine cordiſque familiaritate, ſicut cum illis quibus dicebat: *Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos.* Quàm amicè Samaritanæ feminæ loquebatur? Quàm ſecretò cum illa agebat, quã latenter, vt nec voluerit conſortes adeſſe diſcipulos? Quàm abſcondita erat maieſtatis eius facies, quando agebat cum illa tanta comis affabilitate quã primus aquam ab illa poſtulauit. *Mulier da mihi bibere*, totamque illi vitæ præteritæ ſeriem manifeſtabat. Quod Deus hac vtatur ſynceritate mentiſque teneritudine, delitiæ ſunt & dulcedines animis præparatæ Sanctioribus, ac proinde illas petit à turba ſolitarias. Eo animo ſe retrahunt & ſolitudinem inquirunt magis ſeparatam, eſtque illis obſtaculo quicunque præſens adeſt & rubore confundit amicus etiam integerrimus. Negotia ſunt hæc & otia ſolius cum ſola: prout optimè hæc cognita ſunt illis qui cum Deo conuerſantur velut ſponſæ, quibus nullas habet ſibi chariores. Audiamus Bernardum. *Propter hoc ergo ſponſa, non minus verecundè, quàm cautè, & lectuli ſecretum petebat: & noctis.*

Gen. 32. 11. Talem probemus Iacob Patriarcham: hic etenim oraturus ſecretum noctis inquirebat maximè quietum, & ita ſolus ſeorſum abiit vt nullam admiſerit ſocietatem, nec quidem coniugis ſuæ Rachel, quam vt vitam tenerè diligebat: vnde hoc modo potuit non impeditus & liber dulciora & teneriora cum Deo miſcere colloquia, ſeque cum illo recreare: quem videas modò brachia illi iniicientem & amplexantem, modò plorantem, modò ingemiſcentem, nunc illi blandientem, nunc vim inferentem, nunc proteſtantem quòd illum etiam volentem abire non permitteret, nunc inquam eius ſe humilem benedictioni ſubmittentem. Propria ſunt hæc ſolis cum ſolis. Idem hoc docuit ſponſa illa illuſtriſſima S. Agnes cuius acta conſcripſit D. Ambr. vt eius cultor eximius. Refert autem, quod cum eam Romæ gubernator ad locum trahi iuſſiſſet publicum & impudicum (vt enim dixit Tertul. erat hæc Sanctiſſimis virginibus pœna moleſtiſſima *qua magis cupiebãt tradi leoni, quam lenoni*) eo accedente & ingreſſo filio gubernatoris, illius amore langueſcente vt pudicitiæ Virginis ſcortator illuderet, cum diabolus præfocauit. Commouetur in Virginem tota ciuitas, potiſſimum autem gubernator filij ſui nece ad rabiem irritatus, illam vt magam, præſtigiatricem & nigromanticam accuſans, quæ filium ſuum maleficiis ſuis interemiſſet. Non ego inquit illa filium interemi malefica, ſed diabolus qui iam in illum plenum acceperat dominium. His ego finem adhibebo, replicat pater ſi mihi illum ab inferis reuocaueris. Non hoc mereris inquit illa, ſed vt ſponſi mei gloria ſplendeſcat illuſtrior, omnes foras egrediantur, & me ſolam cum illo relinquite. *Egredimini foras, vt ſolitariam orationem offeram.* Ad quid hoc decernis Virgo nobiliſſima? Nunquid miraculum foret illuſtrius ſi in totius populi corona reuocares ab inferis adoleſcentem, vt Chriſtus viduæ filium, Lazarumque ſuſcitauit? Rudis es & inexpertus in animabus Dei ſponſis amantiſſimis: vt tales, cum eo agunt blanditiis, lenociniis & vrbanitate amoroſa: hæc autem ſolitudinem expoſcunt: idcirco namque dicuntur ſoliloquia. Hæc autem habuit ſponſa illa cum ſponſo ſuo: nam proſtrata in terram toto cordis affectu illi blandiens ſic ait. *Omnipotens, adorande, tremende, colende, &c.* Quibus iuuenis illius defuncti ſponſa meruit reſurrectionem, quã ſponſi ſui diuini gloria maximum ſumeret incrementum. Hac igitur de cauſa ſolitudinem Saluator petiit oraturus: erat enim Patri ſuo diuinas oblaturus delitias verbiſque cum amoroſis blanditiiſque compellaturus: *Abba pater*: nam opinantur nonnulli verbum hoc, *Abba*, eſſe quo pueri patribus ſuis blandiuntur, eo modo quo nunc dicunt: *Pa, pa*, de quo ſtatim: orare debebat & tenerioribus gemitibus ac ſuauioribus colloquiis plorans cum illo familiariùs agere; quæ nullam admittunt ſocietatem.

Hoc in Iacob & B. Agnete conſiderandum.

Ta. Epiſt. ...

### §. 31. Poſitis genibus procidit in faciem ſuam. *Pronus & genuflexus orat Redemptor noſter, licet David ſedens orauerit, & ſacerdotes ſtantes deprecentur manibus eleuatis, quod myſterio non vacat.*

TErtiò: iam in loco Chriſtus conſtitutus 77
orationis, illam exorſurus, ambo prius genua flexit in terra: *poſitis genibus*, ait D. Lucas, nec hic hæſit ſed pronus in terram corruit totum ſuum inclinans corpus, vt etiam caput in terrã allideret: hoc enim indicat D. Matt. *Procidit in faciem ſuam*, & D. Marcus *procidit ſuper terram*. Cultu hoc & reuerẽtia nos inſtruit qualiter coram Deo nos in oratione ſiſtere debeamus; quanta eſſe modeſtiã compoſiti, quan-

Luc. 22. 41. Matt. 26. 39. Marc. 14. 35.

tâque proni humilitate in conſpectu ſupremæ illius & diuinæ maieſtatis. Rogauit inceſtanter D. Simplicianus Epiſcopus D. Auguſt. vt exponeret illi id quod S. Eloquium de Dauide teſtatur; quod videlicet coram Deo conſiſtens oraturus, eique gratias acturus pro beneficiis donisque ſibi per Prophetam Nathan promiſſis; *Sedit coram Domino* Subſtitit hic Sanctiſſimus Epiſcopus actum hunc vt parum vrbanum interpretatus; & ſi in aliis occaſionibus Dauid coram Deo proſtratus orauerit, conuenientiùs hoc feciſſet in hac occaſione, vt diuinis beneficiis ſe monſtraret tantò gratiorem. Ad huius expoſitionem ſupponit D. Auguſt. doctrinam quam poſtmodum Theologiæ magiſter D. Thom. expoſuit: nullam eſſe ſcilicet figuram ſeu ſitum à Deo deſignatum in particulari ad orationem, & videmus viros iuſtos in SS. Litteris diuerſo corporis ſitu preces obtuliſſe. Abraham corpore in terram proſtrato orauit, Moyſes erectus & ſublatis in altum manibus, Aaron pontificali indutus ornamento manu tenens thuribulum, Daniel genuflexus, Elias capite inter genua compoſito, inſtar globuli rotundus, Suſanna deambulans ducta ad ſupplicium eoque proficiſcens, Ezechias in lecto decumbens, Ionas ventris ceti conſperſus immunditiis, Iob in ſterquilinio proſtratus, & Dauid ſedens. *Sedit coram Domino. Quibus admonemur exemplis, non eſſe præſcriptum quomodo corpus conſtituatur ad orandum dummodo animus præſens peragat intentionē ſuam.* Nihilominus, inquit, *componenda ſunt ad orationem corporis membra pro tempore, loco & occaſione ad mouendum animum.* Taliter oportet vt in ordine ad Deum te componas, quò ſupremam illam honores maieſtatem, coram qua nobiliſſimi illi Seraphim contremiſcunt. Illi quos vidit Iſaias pudore confundebantur coram diuina illa maieſtate, quocirca vultus ſuos obuelabant ſummâque reuerentia canticum illud intonabant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum: plena eſt omnis terra gloria eius.*

2.Reg.7.18.
I. Varia probatur conſtitutio corporis ad orationē.
2.2.q.84.a.2.
D. Avg. lib.2.qu. ad ſimplicia.q.4.Tom.

Argumentum proponit Abacuc Propheta docens, quàm diuerſimodè adſtare nobis conueniat in præſentia Domini Dei noſtri, ac longe aliter quàm gentiles coram mortuis ſuis ſimulacris. Adſtabant illi coram Idolis ſuis paruâ reuerentia compoſiti, imo ſæpe multa diſcoli irreuerentia, & ſine omni aderant reſpectu, timore & honore principes, vt patet in Nabuchodonoſor, de quo memorat Propheta, nam furtis & actionibus inſiſtens tyrannicis, nec ipſis diis miſericors pepercit; etenim pari ferox latrocinio ſtatuas eorum templaque deprædabatur: frequens hoc erat ipſis Tyrannis, ſicut Dionyſio Siculo: cum enim quædam Iouis ei ſtatua (quem teſte D. Auguſtin. deorum omnium dearumque Regem appellabant) prædiuiti fulgeret pallio aureo induta, illam Ioui diripuit, per iocum efficiens, pallium hoc hyemi non conuenire quia frigus non expellebat, nec æſtati, vtpote nimis graue. Eodem modo, cum ſtatua quædam Æſculapij filij Apollinis quem medicinæ Deum fingebant, barbam præferret oblongam auro primo fulgidam, acceſſit tyrannus eamque fur detraxit, reſpondens nullatenus ferendum vt filius barbam præferret quâ pater caruiſſet: hoc autem dixit, quia ſtatua Apollinis barbam non alebat. Non eſt cur mireris, inquit Propheta, nam dij illi ſiquidem exterius pōpatica venerabiles eſſent maieſtate, ac celſitudine: eo quod auro veſtibuſque inducerentur opulentis, interiùs tamen oculos nō habebant, quibus ſibi præſentes intuerentur, nec ſenſum quo perciperent ea quæ coram ipſis agebantur, & multo minus vt ſui ſtudioſos & adoratores præmiis honorarent, & diſcolos & immorigeros plecterent ſuppliciis. Audi Prophetam. *Ecce iſte coopertus eſt auro & argento, & omnis Spiritus non eſt in viſceribus eius.*

Abacu.2.19.
II. Reſpectu Dei honeſta corporis cōpoſitio requiritur.

Hinc addiſce cum Propheta quâ reuerentia quoue honore coram Deo in templo tibi ſit aſſiſtendum: eſt etenim Deus viuus tremenda & ſuprema maieſtate venerandus, qui oculos ſuos conijcit videtque ſibi præſentes, cuius poteſtas eſt infinita qua timentes ſe præmiis afficiat & ſuppliciis irreuerentes. *Dominus in templo Sancto ſuo, ſileat à facie eius vniuerſa terra.* Legunt Septuaginta *reuereatur*. Spiritus S. vt ſummam exponat reuerentiam timoreque plenam vtitur hoc verbo, *Silere*: quia vt exprimamus quod quis ſumma colit alterum reuerentiâ, dicimus, coram eo loqui non audet, ſed nequidem mutire. Hac phraſi loquitur de Alexand. magno qui cum viriliter ſuperaſſet Darium Regem Perſarum, eiuſque numeroſiſſimos exercitus, Reges terræque magnates occidiſſet, ſibi ſubieciſſet, & omnes diuitias ſibi conquiſiſſet, factus mundi Dominus. (*Obtinuit omnium munitiones, & interfecit reges terræ & accepit ſpolia multitudinis gentium*) de eo ſic teſtatur. *Siluit omnis terra in conſpectu eius. Omnis terra*, id eſt omnes terrigenæ permagnâ coluerunt illum reuerentia, vt coram eo nec mutire nec mouere ſe præſumerent tanto perculſi timore regiæ maieſtatis, & poteſtatis.

1 Mach. 1.

Faueat mihi Deus, ſiccine quiſquam adſtat

coram Rege quodam abſoluto & ſupremo viribus & magnitudine conſpicuo? Quo reſpectu? Qua corporis compoſitione? Qua morum modeſtia? Quo timore & tremore? Die quodam pulchritudine & pietate commendabilis Eſther Regina coram Aſſuero Rege coniuge ſuo conſiſtens, throno reſidente magnifico, quam primum oculos ſuos pudica ſuſtulit, eiuſque vultum inſpexit regium, viribus deficiens exanimis pene corruit, vt ipſe Rex feſtinus accurreret eamque ſuſtentaret: etenim illam vt oculos ſuos affectuosè diligebat; cui cauſam percunctanti reſpondit. Non hoc tibi Rex & Domine mi mirum videatur: nam ſufficiens ea cauſa eſt, quâ mulier qualis ego debilis & infirma, patiatur animi deliquium, ſi in conſpectu regis adeo potentis appareat, vultumque eius tanta videat maieſtate coruſcantem.

Eſther 15. 16. *Vidi te Domine quaſi Angelum Dei, & conturbatum eſt cor meum præ timore gloriæ tuæ.* Timorem hunc & reuerentiam præſentia cauſat Regis terreni, qui quantumlibet magnus ſit, in comparatione tamen Dei vilis eſt terræ ceſpes, & execrabilis abiectuſque vermiculus: quid igitur agendum tibi coram Deo viuo, Rege ſupremo & inclyto, cuius maieſtas limites ignorat, cuius poteſtas terminum non admittit, cuius diuitiæ ſunt immenſæ, Regis adeo potentis, vt vnico *Fiat* mundum creauerit, & ſuper illum depluens, omnes deleuerit viuentes, vnico familiæ ſuæ famulo ſub vna nocte centum octoginta quinq; millia militum exercitus Sennacherib gladio cædente trucidauerit? tantæ Monarcha hic eſt celſitudinis, vt cœlos ſuſtineat, elementa conſeruet, ipſi ſoli lucem tribuat, vitamque cunctis in terra viuentibus; Dominus hic eſt tantâ gloriâ ſpectabilis, vt cum viderit Daniel throno ſuo reſidentem, cui millia millium cœleſtium adſtabant Spirituum

IV. Quanta ſit Dei infinita maieſtas.

Dan. 7. 10. eius famulatui conſecratorum. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei.* *Sileat* (verba repeto Prophetæ) *à facie eius vniuerſa terra.* Tremunt Angeli in cœlo tãta maieſtate perterriti, quid faciet abiectus in terra vermiculus? Sophon. 1. 7. *Silete à facie Domini Dei*, monet Propheta Sophonias, vermiculi abiecti, ceſpites immundi coram Deo adſtate cum reuerentia, timore cultuque maximo, quandoquidẽ & ipſæ ſtellæ matutinæ & cedri Libani ſublimes, Angeli dico, coram eo contremiſcant. Quis patiatur vt coram Deo conſiſtens, huc & illuc oculos vagabundè circumferas, faſtuosè confabuleris, & maiori quàm in foro libertate? Pſal. 21. 30. *In conſpectu eius cadent omnes qui deſcendunt in terram*, ait Dauid coram eius præſentiâ ingreſſi quotquot mortales terram conculcant genua flectant & in terram procidant Maieſtatem eius eminentem & maieſtuoſam colentes eminentiam.

Secundò modeſtia tibi ſeruanda eſt inter orandum ex reſpectu Angelorum. Rationem hanc expendit D. Bernardus quoſdam arguens quos notauerat in oratione incompoſitos, qui à ſomno ſuperari ſe ſinebant & in ea dormitabant. *Cum ſtatis ad orandum, ſtate cum reuerentia*: quia hoc vobis notum ſit orantibus Angelos adſtare, quia diligunt nos: vnde cum de ore noſtro procedit oratio, illam accipiunt, ſurſum deferunt Deoque repræſentant. *Credimus Angelos Sanctos adſtare orantibus, offerre Deo preces & vota hominum.* Optimè confirmauit hoc Angelus, inquit; Sic enim Tobiæ loquutur. Tob. 12. 12. *Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos*, &c. *Ego obtuli orationem tuam Domino.* Similiter vidit D. Ioannes in Apocalypſi Angelum aſcendentem coram Deo fumumque aromatum offerentem ſuaue fragrantium, orationes nempe Sanctorum in terra degentium. Attende quænam ad Deum aſcendant orationes: illæ nimirum quas cordis lacrymæ comitantur, quas ornant ieiunia, carnis mortificatio, Eleëmoſynæ, aliaque opera miſericordiæ: nam orationes quæ non aliud ſunt quam verba nullo ſenſu interiori, nulla adornatæ compunctione, viuendo in delitiis & proprias voluptates ſectando & laſciuias, hæ in terra remanent: non enim eas Angeli deferunt in conſpectu Dei: foret etenim inuerecundum; quemadmodum ſi quis Regi vas offerret aquæ turbatæ, immundæ ac nauſeabundæ. Hoc ſuppoſito, monet D Bernardus, attende quâ reuerentiâ tibi ſtandum eſt dum te ad orationem componis, nefas eſt melliflua tanti doctoris verba præterire. D. Bern. Loc. cit. *Vereor ne veſtram deſidiam quandoque abominantes cum indignatione recedant, & incipiant vnuſquiſque veſtrum ſero cum gemitu dicere Deo. Longe feciſti notos meos à me, poſuerunt me abominationem ſibi. & illud Elongaſti à me amicum & proximum, & notos à miſeria: item, qui iuxta me erant de longe ſteterunt, & vim faciebant qui quærebant animam meam Pro certo enim ſi ſe à vobis boni Spiritus elongauerint impetus malignorum quis ſuſtinebit?* Conſidera quo reſpectu compoſitus ſtares in anteriori Regis cubiculo, circumſtipatus optimatibus ad hoc paratis vt libellos accipiant ſupplices quos ingreſſi offerant Regi ſubſignandos.

V. Deinde reſpectu Angelorum ſeruanda eſt reuerẽtia. D. Ber. Ser. 7. in Cant.

Tandem modeſtia tibi neceſſaria eſt in ora- 79

VI. Nec non tui ipſius.

tione compoſitio corporis tui quoque gratiâ, te ipſum tali conſtituendo ſitu (ex doctrina D. Auguſtini) qui tibi fuerit magis opportunus vt tantò feruentiùs ores & quietiùs. *Componenda ſunt ad orationem membra corporis pro tempore ad mouendum animum.* Idcirco (ait præfatus doctor Sanctus) die quodam oraturus Dauid, *Sedit coram Domino:* quia longam quietamq; Deo offerre nitebatur orationem. Erat autem hic modus orandi, etiam apud gentiles Regibus familiaris, vt refert Plutarchus de nominatiſſimo

*In vita Numa.*

illo Numa Pompilio ſecundo Rom. Rege Romuli ſucceſſore: nec non hoc erat Pythagoræ præceptū illis qui Deo ſupplicare proponebant. *Adoraturi ſedeant:* quo corporis ſitu quietem indicabat & ſolitudinem, quâ coram Deo illis orationi vacare conueniat. Alias alij præferebant formas quæ magis deuotionem ſuam excitarent mouerentque Spiritum, vt prædiximus. De patre noſtro S. Dominico refert D. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus quod nouem orandi figuras aſſumeret, iuxta Spiritus ſui diſpoſitionem: quandoque ſedebat, alias ſtabat, modò manus in aëra protendebat, nunc crucis formam exprimebat, modò genuflexus, modò pronus vacabat orationi. Sed quod plurimum refert ad orationem, virtus eſt humilitatis, iuxta illud Pſalterij. *Reſpexit in orationem humilium, & non ſpreuit precem eorum. Oratio humiliantis ſe nubes penetrat:* ſitus ille propoſito conformior eſt, qui profundiorem præfert humilitatem, animamque excitat tantò feruentiùs. Hinc communiter Sancti ſtant in oratione, ſe Deo velut humiles fideleſque ſeruos ſuos repræſentantes, quibus proprium eſt coram Dominis ſuis adſtare ſuum per hoc teſtando animum illi ſeruiendi promptiſſimum. Sic orabat fidelis ille Dei ſeruus Moyſes victoriam contra Amalecitas impetraturus: eo ſitu deſcribit Dauid famulos Domini coram illo pſallentes & orantes. *Benedicite Dominum omnes ſerui Domini, qui ſtatis in domo Domini.* Et Apoſtolos hoc præcipit. *Volo viros ſtantes orare, &c. leuantes manus ſuas.*

*Pſ. 101. 18. Eccl. 5. 21. Pſ. 133. 1. 1 Timo. 2.*

*Ho. 79. ad pop. ad med.*

Significat ex ſententia D. Chryſoſtomi hæc manuum elatio illas repræſentare Domino mundas ab omni eo quod offendit illum, eaſque totas illius dedicare famulatui, vt decet ſeruos fideles, & hoc modo ſtatuit Eccleſia vt ſacerdotes ſui & miniſtri ſtent elatis in altum manibus. Quamuis aliam hoc habeat rationem quam ſignant D. Gregorius a & D. Bernard. b nam ſtare adiuuantis eſt & defendentis. Eligit ſibi Deus ſacerdotes populo adiutores, quia ſe medios ſe ſtatuant inter Deum & homines, manus extendentes, Deum quaſi cohibentes. Et hoc ne hoc declarabatur (teſte D. Hieron.) quando ipſe Moyſes coram Deo ſtans: *Stet Moyſes,* Sic illi Deus ait. *Dimitte me vt iraſcatur furor meus contra populum iſtum.* Similiter hac manuum extenſione, inquit D. Ambr. c quaſi crucis figuram exprimunt, Chriſtum repræſentātes crucifixum, cuius intuitus Patris æterni viſcera commouet efficaciſſimè. *Ideo eleuatis manibus orare præcipimur, vt in ipſo quoq; membrorum geſtu paſſionem Domini fateamur: tunc enim citius noſtra exauditur oratio cum Chriſtum, quem mens loquitur, etiam corpus imitatur.* Diuinis hoc eſt oculis acceptum offerre, qui memoriam eius viuaciùs promouet quam ille cœleſtis quem Dominus Noe præoſtendit. Et hæc ea figura eſt, inquit ille, quâ Moyſes contra Amalecitas orando præualuit. *Hoc exemplo Moyſes cum contra Amalec bellum gereret, non armis, non ferro, ſed eleuatis ad Deum manibus ſuperauit. Sic enim habes ſcriptum. Cum eleuaſſet manus ſuas Moyſes, vincebat Iſrael, cum autem depoſuiſſet manus ſuas, conualeſcebat Amalec.* Itaque dum te præparas ad orationem, te ipſum coram Deo eiuſque præſentia repræſenta, ſeruum te confeſſus inutilem, atque à diuino eius ore ſuſpenſum, vt quàm primùm manibus, omnibuſque viribus tuis accurras mandatum eius impleturus. Hoc conceſſo tu iudex eſto quæ nam cordi tuo ſit neceſſaria diſpoſitio, quando te accingis ad orationem, quantumque abeſſe debeat à deſiderando aliquid voluntati diuinæ, eius præcepto, legique contrarium.

VII. Quid ſignificet manuum extenſio.

*a Ho. 29.*

### §. 32. *Ita Chriſtus Patrem in oratione reueritus eſt, vt ſicut dicit D. Chryſoſtomus meruerit, vt Pater illum ſimiliter reuereretur.*

PОrrò ob eandem hanc rationem: quia figura quæ magis excitat humilitatem, eſt demiſſior & profundior, ſolent electi communiter ea ſe componere. Hinc induunt cilicia, cinerem capiti iniiciunt flectuntque genua totalem coram Deo demonſtrando ſubmiſſionem. Ad huius indicium ambo genua flectebant in terra Dei proteſtati Maieſtatem: ipſe enim hoc ob talem poſtulat rationem. *Viuo ego, dicit Dominus, quia mihi curuabitur omne genu.* Terræ Regibus & Principibus vnum tantummodo genu inclinatur, in ſignum quòd non ſint pleni totius hominis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

I. Deo genua Deo flectenda. niſi Domini: Si namque ſint corporum, & pro libitu de illis poſſint diſponere, non tamen de animabus, cordibus & voluntatibus: hoc etenim Dominium ſoli Deo reſeruatur. Vnde non recordor vidiſſe in ſacris litteris orationem Deo factam niſi amborum genuum inflexione Salomon abſoluto illo templo magnifico Deoque illud conſecraturus, *vtrumque genu in terram fixit.* (3.Reg.8.54.) S. & magnus ille ſacerdos, doctorque ſapientiſſimus Eſdras ſic ait. *Curuaui genua mea, & expandi manus meas ad Dominũ Deum meum* (1.Eſd.9.5.) Inuictus martyrum Primipulus D. Stephanus horâ mortis ſuæ cum pro ſe oraſſet ſtans rectus vt ſeruus mileſque fideliſſimus, ardentiori pro inimicis ſuis oraturus affectu, conatus vt oratio ſua fortiùs cœlos ipſos penetraret, humili profundoque actu vtrumque curuauit genu. *Poſitis autem genibus clamauit voce magna dicens: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.* (Act.7.59.)

D. Paulus hac forma ſæpius orationem fundebat pro Epheſinis rogaturus. *Flecto genua mea ad Patrem, &c. vt det vobis* (Eph.3.14.) Ab illis ex inſula Maltha diſceſſurus: *Poſitis genibus ſuis orauit cum omnibus illis.* (Act.20.36.) Idem cum Rhodienſibus, & Patarenſibus fecit iam nauem conſcenſurus, priuſquam à littore ſolueret. *Poſitis genibus in littore orauimus.* (Act.21.5.) Cum ſit hæc genuflexio ita propria Deo, illi qui Baal vt Deum habebant eadem corporis inflexione adorabant. *Curuauerunt genua ante Baal.* (3.Reg.19.18.) Illi tantum qui Chriſto illudebant à Matth. notantur vnum tantum flexiſſe genu illum adorantes. *Genuflexo ante eum illudebant ei dicentes: Aue Rex Iudæorum.* (Matt.27.29.) Dixit in ſingulari genu: quia peruerſi illi & increduli fidem non adhibebant Chriſto de ſe affirmanti quod Rex eſſet cœli, ſed ſolum terræ: volentes autem hanc naſo ſuſpendere prætenſionem, irriſoriè & contentioſè illum vt terræ Regem adorabant. Adeſte modo Deo vos inurbani, quibus ſufficere videtur inter orandum vnum curuare genu & hoc quidem vix figendo in terra: vt videatur hoc magis Dei quandam eſſe deriſionem quàm pronam adorationem.

Nec ſimiliter, cum D. Hieron. tibi ſatis ſit etiam duo curuare genua ad orandum Deumque adorandum, ſi tantummodo genua ſint corporis: etenim animæ genua ſunt flectenda principaliter: atq; in tantum Deo placebit vtriuſque genu curuatio, in quantum animæ tuæ illa curuaueris; de quibus poſtea, dum expendemus hanc Chriſti orationem. *Non ſicut ego volo ſed ſicut tu.* (In illud Iſai.45. & Ezech. 44.) Aliàs ſanctis non ſatis eſt hæc genuflexio, ſed etiam oratori in ſignum animæ humili-

II. Humilitatis ... tatis totum humiliant proſternuntq; corpus hac demiſſione proteſtati, quæ eſt ſuprema illis poſſibilis, incomprehenſam Maieſtatis diuinæ magnitudinē, & propriam imbecillitatem Ita proſtratus iacuit Abraham Sanctiſſimam adorans Trinitatem in perſona trium Angelorum ſibi occurrentium. *Adorauit in terram:* & pariter preces poſtmodum oblaturus pro quinque ciuitatibus illis Sodomorum, ſic lectus introducitur. *Loquar ad Dominum meum cum ſim puluis & cinis.* Eodem ſitu legimus orantes Patrem & Filium vtrumque Tobiam viros ſanctitate notiſſimos, dum beneficium à Deo cognoſcunt acceptum, miſſo ſibi Raphaele Angelo, in maximam eorum vtilitatem *proſtrati per tres horas in faciem.* Eadem hac corporis compoſitione tres illi Reges Deum adorârunt recenter in mundo natum, diuinam illi reuerentiam exhibêntes. *Procidentes adorauerunt eum.* Quid plura? Venerabiles illi ſeniores quos vidit D. Ioan. in ſua Apocalypſi, in conſpectu diuinæ Maieſtatis *Ceciderunt in facies ſuas.*

tio corporis in terram ſignũ eſt humilitatis. Gen.18.2. Gen.18.27. Tob,11.22. Mat.2.11. Apoc.8.11.

Ad hanc nos prouocat demiſſionem his verbis Propheta regius. *Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus ſuper omnes Deos, &c. In manu eius omnes fines terræ, &c. Ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud & aridam fundauerunt manus eius. Venite, adoremus & procidamus ante Dominum.* (Pſ.94.3.) Legit D. Hieron. *Adoremus & curuemur.* Alij: *Proſternamur & incuruemus nos.* Tantus debetur cultus & reuerentia Regi, quanta eius eſt maieſtas & poteſtas. Dei autem poteſtas in natura ſua per omnia & in omnibus ſuprema creditur, quia Deus eſt Dominus magnus. *Deus magnus Dominus:* eſtque Rex ſuper omnes qui in creaturas ius habent & Dominium: *Rex magnus ſuper omnes Deos.* In manu ſua terram continet vniuerſam, creator eſt maris, mundiq; fundator omnipotens: ſuprema igitur debetur illi pronaque reuerentia. Quocirca iuſtum eſt vt coram illo nos terræ proſternamus quantum poſſumus, nos terræ collidentes vel affigentes, faciem noſtram in illa ponentes; indignos nos indicantes qui faciem habeamus elatam coram tanta & ſuprema Dei Maieſtate, ſummaque diuinitate.

81 ☞

III. Interior reuerentia reſpondeat exterior. Hoc modo ſe ſtrauit Eximius Magiſter noſter: non enim ſatis illi fuit ambo curuare genua in terra, inſuper & totum proſternit corpus, diuinamque faciem terræ coniungit. *Poſitis genibus procidit in faciem ſuam.* Per hoc actum exhibuit reuerentiæ cultuſque Patri ſuo maiorem quàm vmquam in mundo quis egerat, aut agere poterat; quia vt proſequitur D. Auguſt. reuerentia



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Li.10.de. ciui. c.5.* Deo exhibita non in ſolo conſiſtit exteriori actu proſternendi ſe in terram: nam ſæpius videmus hâc reuerentiâ exceptos fuiſſe plurimos. *Vide. D.Tho. 2.2.q.84. per totam.* Hoc modo adorauit Abraham filios Heth, & Iacob fratrem ſuum Eſau: quem cum primum vidit, *adorauit pronus ſepties in terram*, idem *Gen.31.7.* fecerunt mulieres & filij. Ita Ioſeph à fratribus *Gen.33.3.* ſuis ſæpius honoratur. Similiter hoc ſitu *Gen.42.6.* Ruth mulier nominatiſſima Booz *Cadens in faciem ſuam adorauit*: *Ruth.2.10.* nec non ſapientiſſima Thecuitis Regem Dauid, quinimò ipſa Bethſabee *2.Reg.14.4.* regem Salomonem filium adorauit. *Submiſſo Betſabee in terram vultu adorauit Regem.* *3.Reg.1.3.* Summa huius adorationis in extrema conſiſtit animæ ſubmiſſione: quæ eminentiam recognoſcens diuinam, Deum vt ſupremum adorat colitque Dominum: & hæc adoratio à Theologis dicitur *Latria*. Hæc originem habet à cognitione Dei, tantòque maior eſt & profundior, quantò magnitudinis illius & Maieſtatis eſt cognitio clarior: vnde tantò fuerunt & ſunt actus reuerentiæ ſubmiſſioris, quantò hæc cognitio gradu capitur altiori. Maior eſt illa quâ Deum adorant Archangeli, quam Angeli, & ſublimior illa Principatuum quam Archangelorum, quos tamen omnes ſuperant Seraphini, atque inter ipſos eorum eminentior: Sicut enim diſtinctiorem habent de Deo cognitionem: ita etiam Deum ſubmiſſiori cultu honorant & reuerentia. Nullus inter homines Sanctus nec Angeli, nec hi nec alij omnes tantam habuerant Maieſtatis Dei cognitionem quantam ſolus *Matt.11.27.* Chriſtus: vt dicere poſſit. *Nemo nouit Patrem niſi filius.* Vnde animæ eius reuerentia quam obſeruabat in oratione, ſuprema erat, eaque tanta vt Apoſtolus illi adſcribat illam fuiſſe ſemper exauditam. Aſſerit Chriſtum veniſſe Sacerdotem à Patre cœleſti conſecratum, vt oraret & ſacrificium pro nobis offerret: eo etenim fine Sacerdotes inſtituuntur, atque his omnibus vitæ ſuæ dies impendiſſe, quos dicit, carnis ſuæ *Hebr.5.7.* dies. *Qui in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationeſque, &c. cum clamore valido, & lacrymis offerens.* Cunctis diebus quibus vixit (inquit D. Ambroſius) Patri orationes & ſacrificia dedicauit, hæc enim fuerunt quæ ad noſtram ſalutem eſt operatus. *Totum quod egit Chriſtus, preces ſunt & ſupplicationes pro peccatis humani generis.* Nominatim autem hoc egit, ita D. Thom. in hora paſſionis ſuæ: tunc etenim lacrymis & gemitibus perorauit.

☞ 82 Exaudiuit autem eum ſemper Pater ob eximiam ſupremamque reuerentiam quâ orabat, illique loquebatur. *Exauditus eſt pro ſua reuerentia* vnde ſic D. Chryſoſt. *Tanta fuit eius reuerentia ac pietas, vt ideo eum reuereretur Deus.* Huius gratiâ numquam tulit repulſam veréque potuit effari. *Pater gratias ago tibi, quia ſemper me audis.* Si obiicias quomodo nunc exauditus non fuit, quandoquidem quod petebat, vt calix tranſiret ab eo, nequaquam ſit aſſecutus? Reſpondet D. Thom. Semper exauditus fuit in eo quod deliberatè, & voluntate determinata poſtulauit: Vt calix tranſiret non hoc rogauit niſi conditionatè: *Si vis*, nec fuit deliberata petitio ex parte ſuperiori ſed inferiori. Hæc reuerentia in ea hac occaſione maxima fuit tamque eximia: vt nec verbis imò linguis Seraphinorum ſit declaratu ineffabilis. Si corpus ſuum coram Deo quãtum potuit proſtrauit in terram, faciemque illi colliſit, multò magis animam ſuam proſtrauit tantæque ſubmiſit maieſtati. Conſidera qualis coram Patre ſuo iaceat. *Poſitis genibus procidit in faciem ſuam* videtur enim orationem ſuam cum piiſſimo Sacerdote Eſdra ſic exordiri. *Deus meus confundor & erubeſco leuare faciem meam ad te.* *1.Eſdr.9.6.* de quibus poſtmodum. Illum ô Chriſtiane perpende, & attende quàm iuſtè mundi pigrorum damnentur deliciæ, eorumque mollia ad orandum puluinaria, reclinationes & faſtidia ac nauſeæ, corporiſque ſitus tantoperè à debito reſpectu alieni: vt illis non præſumeres vti loquendo nedum cum Regibus ſed nec cum vulgaribus, quibus magis videantur Deo illudere quàm orare: quod ſatis effectus tuæ declarat orationis, quæ nedum non exauditur, aut grata recipitur, ſed ſæpè Deum offendit ob grauem in ea irreuerentiam. O quam iuſtè de te cum illis populi ſui ſenioribus conqueri poſſet, qui coram eo accedentes indecenter & commodè ſedentes ad orationem ſe componebant, *Fili hominis* (ſic ipſe Prophetæ ſuo Ezechieli) *ſeniores domus Iſrael venerunt ad me, vt interrogarent me, & ſederunt coram me.* Tuam quæro cenſuram quam pœnam tanta meretur inurbanitas, niſi vt illos reiiciam à facie mea, vt non ſolum petita non obtineant, ſed etiam quod habent eis auferatur. *Interrogatus non reſpondebo eis.* Ex magiſtro illo doctiſſimo addiſce quæ corporis compoſitione te deceat in conſpectu Dei vacare orationi. Audi D. Cyprianum te monentem. *Sit orantibus ſermo & precatio cum diſciplina, quietem continens & pudorem. Cogitemus nos ſub conſpectu Dei ſtare, placendum eſſe diuinis oculis & habitu corporis, & modo vocis.* Illic aſſiſte ſaltem ea verecundiâ & compoſitione modeſtus coram Deo, ſine qua

adſtare

geſtare non præſumeres Regi ſed nec cuilibet vico dignitate Primario.

§. 33. Pater mi: Abba pater. *Orat, Deum appellans Patrem vt fiduciam in noſtris excitet orationibus; & cum lacrymis, quæ illam adaugent: myſticum eſt illud:* Abba pater.

15 QVartò: ſuam Dominus orditur orationem more eloquentiſſimi oratoris, captando beneuolentiam & attentionem verbis ſuauibus, vrbanis & blandis, quæque ſummam declarent confidentiam, qualis eſt filij ad oſtium patris ſui accedentis. *Abba Pater.* Verbum hoc, *Abba*, dicunt D. Hier. & D. Aug eſſe Hebraicum, & idem ſignificare quod in Græco & in Latino dicitur *Pater*, & D. Marc. Euangeliſta Chriſtum dixiſſe vtrumq; commemorat: *Abba pater, in vno nomine duabus vtitur linguis.* Non vitiũ incurrens quod dicimus latine Battologia, ſed cum præclaro myſterio: voluit enim per hoc declarare quod ſe conſpectui Patris ſui cœleſtis offerret iam triſtem, patientem agoniam, pœnisque oppletum pro vtroque populo Hebraico & Gentili, quodque vtriuſque Idiomate loqueretur, qua de cauſa etiam dicit quòd Apoſtolus Paulus cõmuniter ambo hæc verba coniungeret, quamuis idem ſignificantia. *Hoc eſt Abba*, Hebraice (loquitur D. Auguſt.) *quod latinè pater, & fortaſſe Dominus propter aliquod Sacramentum vtrumque dixit, volens oſtendere ſe illam triſtitiam in perſona ſui corporis, id eſt Eccleſia ſuſcepiſſe, cui factus eſt angularis lapis venienti ad eum partim ex Hebræis ad quos pertinet quod ait Abba, partim ex Gentibus ad quos pertinet quod ait pater. Etiam Paulus Apoſtolus non prætermittens hoc Sacramentum, in quo clamamus (inquit) Abba pater. Hebraice & Græce loquitur* (loquitur D. Hier.) *quia non eſt diſtinctio Iudæi & Græci.*

I. Abba quid ſignificet.

Vſus eſt hoc verbo cœleſtis hic magiſter nobis permittens vt eodem in noſtris vtamur orationibus, quarum hic poſſit eſſe prologus: *Pater noſter.* Duabus de cauſis. Prima vt in cordibus noſtris infirmis & languentibus ſecuram excitet fiduciam: nihil etenim illam excitat in aliquo ita viuam & ſecuram, quàm noſſe quod ille, in cuius manu ſuum continetur remedium, proprius ſit ſibi pater. Hoc argumentum Saluator ſemper aſſumpſit vt nos redderet in noſtris orationibus confidentes, dicendo & adhortando vt ad Deum tanquam ad patrem accederemus: Si namque hic ad tuum recurris fiduciâ plenus, eo ſolo quòd tuum eſſe patrem intelligas, & hoc tibi ſufficit vt perfectè ſecurus ſis, quòd accedenti tibi neceſſitate obruto poſtulata cõcedet, vel illud quod magis in tuum cedet commodum & vtilitatem: quantò magis cum illa tibi recurrendum eſt ad Patrem illum ita amabilem: non enim amor eſt omnium parentum amor huic ſi compareturr? *Quanto magis Pater veſter de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus ſe?* Notanda ſunt hæc verba, *Pater de cœlo.* Pater plenus miſericordiâ qui regnat in cœlo, potentia infinitus, diuitiis immenſus, & viſceribus benignus cœleſtibus, patribus his terrenis, quibus terrena ſunt viſcera, ac proinde aliquando conſtricta & arida, minimè conferendus.

II. Nomen patris fiduciam prouocat.

Breue proponit D. Bernard. argumentum de oratione, aitque tres defectus in cauſa eſſe quòd oratio modicum ſortiatur effectum: hi ſunt, Tepiditas, Temeritas & Timor. Oratio tepida ea eſt quam ordinariè depromis paruo feruentem Spiritu, imò minori deſiderio, languente anima, diſtracta mente paruaque corporis compoſitione, nullo feruore, nulla deuotione commendabilem, ſed cui de ore mortua verba delabuntur. Quas vires hæc habebit oratio? Quale robur habet illa ſagitta quam ſurſum emittis exploſam de arcu languidè tenſo & eneruoſo? Ventus illam deiiciebit, ne verearis quòd ſurſum aëra petens euolabit. *Tepida oratio in aſcenſu langueſcit & deficit, eo quod non habeat vigorem.* Non ſic orandum non ſic. *Fortiter ora* (ſic monet D. Auguſtin. Comitem Bonifacium) *& dic Deo quod habes in pſalmo: De neceſſitatibus meis erue me Domine Diuinum auxilium implorandum eſt non remiſſè* confirmat D. Baſilius. a Talis erat Dauidis oratio, quâ cœleſte attraxit ſibi ſubſidiũ: hoc etenim indicat hac formâ loquendi. *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum:* nam vt ante notauimus, os aperire in S. Litteris, loqui eſt cum affectu & animo: idcircò namque D. Matth. ſignificaturus affectum & animum, quo Chriſtus loquebatur legem ſuam mundo promulgans Euangelium ſic ait. *Aperiens os ſuum docebat eos.*

III. Tres defectus in oratione, quod tepida ſit, temeraria & timida.

D. BER. *Serm.* 4 *de Quadra. ad finem.*
D. AVG. *Epiſt.* 70. *ad Bonif. Tom* 2.
*Apud D. Thom.* 2. 2 *q.* 83 *a* 13
*Pſal.* 118. 131.
*Matt* 5. 2.

Oratio temeraria eorum eſt quorum corda ſceleribus fœtent, quique Dei prouocârunt iram, coram eo nulla præmiſſa pœnitentia libellos offerunt ſupplices; quales erant illi de populo ſuo ſacrilegi quos Deus Iſaiæ vati præcipit, aſperè reprehendat: cenſebant enim non leuem ſibi à Deo illatam iniuriam, dum eorum noluit

vel-

vel ſaltem audire poſtulationes. *Maius periculum eſt ſi fuerit oratio temeraria. De iis qui ſic orãt, audi quid loquatur per Prophetam Dominus, Clama, inquit, ne ceſſes: Quaſi tuba exalta vocem tuam,* &c. *Quaſi tuba inquit (quia Spiritu vehementi increpandi ſunt temerarij) me etenim de die in diem quærunt, qui ſeipſos nondum inuenerũt.* Tales erant illi qui Dominum accedentes ſigna ab illo petierunt: etenim nedum eorum non annuit poſtulatis ſed ignominiosè reiecit pudore confuſos, ſicut ibi diximus: nam talem repulſam ſuperba patietur oratio, iudicio D. Bernard. quam non tantum Deus non admittit, ſed etiam reſiſtit eãque repellit pertinaciter. *Temeraria oratio non aſcendit, ſed reſiſtitur enim ei, nec tantum non obtinet gratiam, ſed & meretur offenſam.* Oratio timida illa eſt quæ paruâ nititur fiduciâ, timens ſi velit vel non velit Deus, quod petitur indulgere. Hæc ſecundum D. Bernard. modicis pollet viribus: illas etenim timor adimit, & ita cor cõſtringit vt parum ſit quod curſum non aſcendat, ſed inſuper in ipſo maneat orante. *Timida quidem oratio cælum non penetrat, quia reſtringit animam timor immoderatus, vt oratio non dicam non aſcendere, ſed nec procedere queat.*

I. Deo ſũmè diſplicet diffidentia.

Præteritis diebus fusè declarauimus paucâ Deum grauius in fidelibus ſuis offendere, quàm quòd cum illo agant timida confidentia & ſuſpicione contracta, qui in tantum orationes exaudit in quantum fiduciæ innititur ſecuræ quæ naſcitur ex fide viua, quam tunc expoſuimus. Idcircò vobis ait D. Iacobus. *Petitis & non accipitis, eo quod malè petatis.* Quomodo igitur bene poſtulabo? fundando in fide non mortua, ſed per

Iacob 4.3

charitatem viuificata, *Poſtulet in fide nihil hæſitans: qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctus maris qui à vento mouetur, & circumfertur.* Difficili negotio nauis ad portum appellat quam procellæ fluctuſque impugnant: iam enim ab his extollitur, & modo deprimitur ab aliis: illi conducit ventus ſecundus, à quo propellatur & in portum dirigatur efficacius. Talis eſt confidentia quæ totam occupet orationem. O quam vehemens ille ventus! Et quis illum queat excitare? Solummodo Spiritus Sanctus teſte D. Paulo.

Rom. 8.26

*Spiritus autem adiuuat infirmitatem noſtram, & poſtulat (id eſt facit nos poſtulare) pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Spiritus ſanctus ipſe eſt qui perflat, de quo Pſalmiſta.

Pſ. 142.11

*Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Et quomodo hoc perficit? Quibus tam viuam in nobis excitat fiduciam? Ex eo quod nos efficiat filios Dei, atque in cordibus noſtris affectum excitet filiorum erga Patrem cæleſtem, noſque moueat vt toto pectore & ore Patrem illum appellemus. *Non accepiſtis Spiritum ſeruitutis iterum in timore: ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum Dei in quo clamamus Abba Pater.* Hic eſt ille ſpiritus, quem nobis meruit & obtinuit Chriſtus Filius Dei naturalis, nos filios per gratiam efficiens. *De ſpiritu ſuo dedit nobis,* aſſerit D. Ioannes. Vnde docet nos vt ad Deum recurramus & vocibus de corde depromptis oreque pleno illum inuocemus *Abba Pater.* Hanc ſume ſimilitudinem, Si quidquam à Rege poſtulares & ille petitioni tuæ reſponſum proprio tuo dandum conſideret Patri, an ad illum totâ fiducia non accederes? Poſſetne Rex dare tibi reſolutionem voluntati tuæ, guſtui & ſatisfactioni magis exoptabilem? Accede patrem tuum, illud fiat quod ille pro te faciendum decreuerit, & quacunque ratione ſtatuerit. O magnam Regis ſupremi Chriſti miſericordiam qui in eo quod rogares ad te mittit proprium parentem & Patrem in quem malitia non cadit, quæ parentes inficit carnales, & ſæpè pectus illis corrumpit in ordine ad filios à ſe generatos. Si illi, inquit, cum mali ſint, tibi tamen optatam tribuerent expeditionem, cum ad illos mittereris: quanto magis cum ad illum mitteris cuius paterna non poſſunt infici viſcera, nec cor malitia deprauari? *Si vos cum ſitis mali,* &c.

Admirabile iudicant omnes exemplar à Deo decretum Summo Sacerdoti veſtiendo, qui coram eo ad orandum eſt ingreſſurus. Inter alias veſtes præcipit vt fiat illi tunica oculis vndequaque elaborata. Sic credunt Lipoman. Vatabl. & noſter Pagnin. indicari quando dixerat: *Facies & tunicam ſuperhumeralis totam hyacinthinam,* inferiùs addit: *Stringes tunicam opere plumario.* Verbum illud *Stringes,* in Hebraico idẽ eſt quod Latine *Oculabis,* vel *Oculabis opere plumarij.* q.d. elaborabis illam oculis, ita vt figuram vndequaque gerat oculorum. Quid in hoc Domine ſignificas: nobis etenim conſtat hoc non ex libidine quadam & in aëre decretum, cum tuum ſit & ſic ſe res habet: etenim te docere voluit quam oporteat te tunicam induere accedentem ad orationem, totam ſcilicet oculatam: nam ita vndequaque plenus oculis par eſt vt coram Deo orando compareas, quot plena deſcribuntur Sancta illa animalia quæ viderunt vates Ezechiel & D. Ioannes Euangeliſta in conſpectu Dei. *Animalia oculis plena:* vt enim diſcurrit D. Bernard. *Conſiderare debet is qui orat, & quid petit, & ſe ipſum qui petit.* Aperiendi tibi ſunt oculi qui

bus ineffabilem Dei maieſtatem attendas, quo te coram diuina eius præſentia cohibeas te mi- nus quam puluerem eſſe cognoſcens, & hic intuitus tibi non leuem adferat reuerentiam. A-
VII. lios habere oportet quibus ſcelerum tuorum grauitatem attendas, quodque non ſolum nulla mereris accipere beneficia, ſed ſupplicia, atque ita rubore confundaris vt hic intuitus illum in te ſuſcitet verecundiam, quam dixit D. Ambroſius ita neceſſariam orationi. *Multum verecundia placet, multum conciliat gratia apud Deum noſtrum*: etenim hæc ea eſt quæ tantam publicano contulit vtilitatem: nam *nolebat nec oculos in cœlum leuare, ſed percutiebat pectus ſuum dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori.* Alios aperire conuenit, quibus præclara conſideres beneficia tibi à Domino hoc collata, ſic omnibus tuis meritis longè ſuperiora, & hæc conſideratio perpetuam in te producat gratitudinem & gratiarum actionem. Alij tibi ſint quibus ſedulò perpendas ipſum iudicem eſſe rectum qui in alteram partem non declinet, & inherat verbo otioſo diſcutiendo, de quo ſtrictam à te exiget rationem, & meditatio hæc timorem ingerat tibi ſalutiferum. Ceterum alij contemplentur bonitatem, miſericordiam, patriſque viſcera, quodque Pater tuus ille ſit, qui pietate, amore, & miſericordia reliquos omnes quos mundus aut vidit, aut videbit longiſſimè ſuperet. Hæc autem conſideratio maiorem adferat tibi fiduciam illâ, quam quâ quilibet filius de patre ſuo poſſit terreno confidere: quanto namque interuallo inter ſe diſtant Pater & Pater, miſericordia & miſericordia, amor & amor, viſcera & viſcera, differre inter ſe debet erga vnum & erga alterum patrem fiducia: ſi namque eſſe patris in tuo illo terreno, eſſe quoddam eſt participatum illius cœleſtis, teſte Apoſtolo, tanta erit inter hunc & illum differentia, quanta eſt inter naturale & participatum, inter mare fonteſque exiguos, inter lucem ſolis & ſtellarum.

Hoc igitur nomen noſtro Dominus ori impoſuit, quatenus in corde noſtro ſpem excitet viuam & ſecuram. Quatenus autem libertimè poſſint omnes hoc beneficio gaudere, coniunctim ait *Abba Pater*, Hebræis *Abba*, *Pater* Gentilibus, vt vtrique illud vſurpent. Secunda ratio, quare Dominus his binis vtatur verbis *Abba Pater* ea fuit: quatenus Patris cœleſtis viſcera flecteret ad miſericordiam: etenim nihil ſic efficax quo Patris viſcera moueantur, quàm ex ore filij ſui contriſtati & afflicti verbum illud *Pater* intelligere. Notat D. Chryſoſtomus à Deo decretum vt dum Abraham filium ſuum Iſaac duceret immolandum, quando montis iam proximaret ad apicem, in quo ſacrificandus erat, ille patrem interrogaret. *Pater vbi eſt victima?* Vt viſcera illi dolore transfoderet, atque per hoc vltimam obedientiæ ſuæ probationem inſtitueret. *Ad lancinanda patris viſcera.* *Hom. 47. in Gen.* *Gen. 22.*

Hinc inſuper argumentum deducit D. Gregor. Nazian. triſtitiæ luctuſque Dauid in Abſalônis filij ſui interitu. Erat Abſalon filius maledictionis: etenim in patrem ſuum refragus inſurrexit, & numeroſum conſtauit exercitum, quo coëgit illum vt illi ſe opponeret ſuis quoque copiis aduerſarium, quibus ducem præfecit Ioab qui & ipſum interemit, tribus lanceis eius viſcera transfodiens: vt autem hæc noua Dauid intellexit ita amarè flere cœpit vt non eſſet qui lugentis poſſet lenire mœſtitiam, optabatque ſe potius occiſum, modo viueret filius ille refractarius. Quænam huius cauſa? Meâ quidem ſententia lætari debuerat ex proſtrato deuicto, mortuoque filio adeo contumaci & malè merito, & cui verius nomen crudelis inimici quàm filij conueniebat. Audi lugentem patrem, inquit D. Gregorius Nazian. etenim nihil aliud illi de ore proſilit, quam: *fili mi Abſalon, Abſalon fili mi*: eſt autem titulus hic Patris ita potens, vt præualeat moueatque viſcera erga filium etiam pertinacem & manifeſtum inimicum: *Natura videlicet inimicitiam ſuperante.* Hoc tenerrimo nomine Chriſtus vtitur: nec enim tantummodo dixit: *Pater*, *Matt. 26.* *ſed Pater mi*, nec ſemel tantum ſed bis; teſte *30. 42.* D. Matth. & non ſolum pater mi, ſed Abba Pater, ut ſcribit D. Marcus. Calepinus declarans *Marc. 14.* verborum energias, ait Abba vocem eſſe Sy- *36.* riacam à puerulis deſumptas dum aiunt Pa Pa: eſt enim vis violenta quæ infertur pectori paterno dum infantem audit qui plorans ob malum aliquod quod patitur, ipſum inclamat Pa Pa, Pa Pa.

Perpende quantum per hoc nobis Dominus fauere voluerit, non enim ſolũ tribuit licentiam vt poſſimus toto ore Deum vocare patrẽ: non enim alio modo præſumeremus, iuxta illud quod proteſtamur, quando illo nos vti conuenit. *Præceptis ſalutaribus moniti & diuina inſtitutione formati audemus dicere: Pater noſter*, &c. Sed etiam nunc ſuo exemplo nobis illam confirmat, vt *IX. Etiã nos*

IX. Etiã nos illo nomine vti poſſumus exemplo Chriſti.

verbo illo vtamur ſuaui, quo viſcera Patris cuiuſcumque moueamus, vt ſicut infantes afflicti & gemebundi nos coram illo præſentemus plorando & dicendo Pa, Pa *Abba Pater*: hoc etenim eſt quod ita grauiter expendit Apoſtolus, *In quo clamamus, Abba Pater.* Hoc nomine modo Chriſtus vtitur, quo Patris æterni viſcera flectat ad benignitatem, & in illum finem gemitus addidit triſtes fletumque copioſum. Ita teſtatur D. Epipha. his verbis: *Fleuit velut in Euangelio ſecundum Lucam habetur in cunctis exemplaribus, & vtitur eo teſtemonio S. Irenæus in opere contra hæreſes aduerſus eos, qui Chriſtum in apparentia appar[u]iſſe dicunt.* Et huic appoſitè intelligit D. Anſelm. verba Apoſtoli Pauli quando de Chriſto ſic ait. *Cum clamore valido & lacrymis offerens.* &c. Nullum etenim noui medium, quo Patris intima flectantur efficaciùs, quàm dulciſſimum nomen Patris in ore filij, dumque illum inclamat fluentibus ex oculis lacrymis; Pa, Pa. O ſi tali modo rogares, quàm potenter Dei viſcera permoueres.

D. Epip. In Anchorato inter princip. & med.

Hebr. 5. 7.

§. 34. Fiat voluntas tua. *Tuam in orando reſigna voluntatem: eſt enim ſacrificium gratum hoc & moleſtum, in quo, teſte D. Hieronymo, vera curuantur genua.*

☞ 86 QVintò: captatâ beneuolentia ſuam Dominus proponit petitionem. *Si fieri poteſt, transfer calicem iſtum à me: verùm tamen non ſicut ego volo ſed ſicut tu. & non mea, ſed tua fiat voluntas.* Graues & operoſas excitat hæc petitio difficultates. Qualiter rogauit vt calix iſte tranſiret, qui venerat illum bibiturus, ſemperque feruens oſtenderat illum bibendi deſiderium? Qua ratione dicit: *Si fieri poteſt*, ille qui totam manu ſua diuinam complectitur omnipotentiam? Qua veritate poſtulat: *Non mea ſed tua fiat voluntas*, qui ſuam ſemper ita Patris conformem habuit vt ipſe dixerit, quod in omnibus quæcunque faciebat, dicebat, & operabatur, ſic pari cum illo greſſu procederet, vt nec atomo quidem inter ſe diſcreparent. Has & alias multas rationes proſequuntur Theologi, & quod huic occaſioni ſufficit, iam dictum eſt ſuperiùs. Hoc ſolum nunc excutimus quod D. Auguſtinus ait, quod cœleſtis ille magiſter docere nos voluerit reſignationem volũtatis, quam oportet in noſtris habeamus orationibus & petitionibus ad diuinam, noſtram illius poſtponendo: quandoquidem ipſum non lateat quid nobis conducat, & perpetuum ſit hoc in ore noſtro diſtichum quo poſtulamus: *Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.*

Lib. 3. de conſenſu Euang. c. 4.

Elegans Doctor hic propoſuit argumentum, quo declarat, non eſſe peccata, nec malum eſſe affectus ex ipſa natura prodeuntes, vel per ſe, niſi in quantum inclinant ad illud quod eſt Dei voluntati repugnans, & illi conſentimus, voluimuſque illos contra Dei voluntatem implere, eiuſque ſic legis præcepto contraire. Vnde prohibitum non eſt pauperi optare & petere à Deo facultates vitæ ſuæ neceſſarias, nec infirmo valetudinem quæ ſibi deficit, nec afflicto quietem: ſed tandem affectus illi diuinæ remittendi ſunt voluntati. Non eſt malum timere mortem & pœnas eaſque ſubterfugere: porrò fac hoc cum ſubmiſſione voluntatis ad diuinam, proteſtans te ſeruum illius eſſe & vltimatò non velle vt de te & in te fiat, niſi ſecundum Dei beneplacitum. Non vult Deus (inquit D. Auguſt. vt te mors non perterreat, & illam non reformides, & non poſtules: *Transfer calicem iſtum*: nam faciem eius intuitus pius Rex Ezechias, eius feritate perterritus recurrit ad Deum totus ſuffuſus lacrymis, multa illi proponens obſequia, quæ in vita ſua Deo fidelis præſtiterat, & extremum ſuum demonſtrans dolorem ob mortem in flore ætatis immaturam. Non quærit à te Deus vt infirmus non gemas, non conqueraris acutiſſimis tortus doloribus: quinimò & ipſe Ioh dolens aiebat: *Verba mea dolore ſunt plena: quia ſagittæ Domini in me ſunt.* Non tibi præcipit vt prole carens, domumque tuam lugens priuatam ſucceſſore, filios non exoptes eoſque à Deo non poſtules: etenim Iſaac per viginti conſtanter annos prolem à Deo poſtulat, quà vxorem ſuam Rebeccam ſoletur, ex morbo ſterilitatis afflictiſſimam, vt ex textu probat D. Chryſoſtomus. Non eſt Deus ita rationis omnis incapax vt velit lætari te in tribulationibus & iacturis tuis, nec vt te harum gratiâ non affligas, nec dolorem ſentias amariorem: Nam ſi præcipit Ezechieli vt mortem non defleret vxoris, hoc ſingulari ſeruiuit intentioni. *Qui velit* (quærit D. Auguſtinus) *moleſtias & difficultates pati? Tolerare eas iubet, & non amare. Nemo quod tolerat, amat, & ſi tolerat amat. Quamuis enim gaudeat ſe tolerare, mauult tamen non eſſe quod toleret.* Profundam ſapiunt hæc verba Theologiam.

Non poteſt homo non ſentire pœnas ob res contrarias. Quod autem Dei gratiâ maximè poteſt facere, hoc eſt vt illas perferat, & illis pla-

ceat illas tolerare: porrò non ex illis ſentire moleſtias, eſt impoſſibile. Secundum hæc ait D. Bernard. non animum abiicio, licet aduertam quòd me premat aduerſitas, angat infirmitas, & coarctet neceſſitas: nec quia ad Deum pro remedio confugio: cum tali conditione vt mea ſit hæc vltima petitio: *Non mea ſed tua fiat voluntas.* Placent ipſa Bernardi verba. *Non deſpero iam, etiam ſi moleſta mihi videatur tribulatio quam patior, etiamſi puſillanimis ſim, etiamſi deſidero, vt tranſferatur calix à me, non deſpero, inquam, dummodo audiam ipſe. Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.*

III. Hoc eſt illud ſacrificium, quod vt ſuperemum & dignius, eſt etiam maxime operoſum, in quo propria truncatur voluntas, Deoque ſubiicitur. Hoc eſt illud quod de ſua Abraham Deo immolauit: ſi namque proprium filium non occidit, propriam tamen iugulauit voluntatem: hoc etenim Deus petebat ab illo ſacrificium, & illo peracto, noluit vt ad filij procederet immolationem, vt alias diximus. O quam viuum ſacrificium (inquit D. Greg.) idemq; notat D. Thom. in quo nō caro mactatur aliena, ſed volūtas propria iugulatur: Grande ſacrificium in quo Pater filium obtruncat de viſceribus ſuis genitum: Verū illud dignius quo propria viſcera iugulantur.

Monet nos D. Iacob, omnia noſtra incommoda, moleſtias, perturbationes & afflictiones ex propria naſci voluntate, & ex eo quòd velimus noſtris ſatisfacere deſideriis. *Vnde bella & lites in vobis? Nonne hinc ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris?* Tu hoc habere deſideras, & Deus non vult, hic te ipſum inquietas. Tua vis ſeruire voluptati, Deus illi locum temporiſque non permittit, affligeris, diuitias appetis, nec tamen tibi ſuppetunt, turbaris. *Concupiſcitis* (inquit) & *non habetis & non poteſtis adipiſci, litigatis & belligeratis, & non habetis.* Congruum optas remedium? Hanc ſacrifica voluntatem; & propoſitam tuam Deo petitionem ſic conclude. *Verumtamen non mea ſed tua fiat voluntas:* hoc etenim erit tibi ſolamen & afflictioni tuæ ac triſtitiæ remedium, ſicut fuit mœrori Pauli Apoſtoli certo quodam tempore, dum ille ſupra modum affligeretur. *Quieuimus dicentes: Fiat voluntas Domini.*

Hoc eſt inſigne illud ſacrificium, quod Deus poſtulabat de iecore bouis, vt expoſuit D. Cyrill. Alexandrini: quod in reſurrectione Lazari declaramus. Hæc illa abnegatio noſtri ipſius, quam à nobis Dominus poſtulat ad vitam ſalutem noſtramque tranquillitatem. Arduum ſuprà & difficile eſt hæc propriæ voluntatis immolatio teſte D. Hieron. Multos eſt inuenire qui bona ſua ſacrificant eleēmoſynis, carnē ſuam ieiuniis immolant & mortificationibus, abſtinentiâ ſuas obtruncant voluntates, ſuamque vigiliis quietem offerunt: porrò quàm mihi paucos oſtendas voluntatis ſuæ propriæ ſacrificulos? Renuntiare diuitiis, etiam inter Gentiles vſitatū fuit: hoc enim fecit Crates Thebanus: quia namque earum ſollicitudo illum à ſtudiis diuertebat Philoſophiæ, ipſas pelagi fluctibus iniecit perituras. *Crates ille Thebanus, proiecto in mare non paruo auri pondere: abite, inquit, peſſum malæ cupiditates, ego vos mergam, ne ipſe mergar à vobis.* Multi delitias contempſere carnales, inter quos cenſentur Ægypti Sacerdotes de quibus ait ſcripſiſſe Cheræmonem Stoicum: porrò voluntatem propriam quis abnegauit? *Aurum deponere incipientium eſt non perfectorum Fecit hoc Crates Thebanus fecit & Antiſthenes: ſeipſum offerre Deo proprium eſt Chriſtianorum & Apoſtolorum* Atque ex his conuincit D. Hier. errorem Iouiniani dicentis nihil eſſe in Euangelio quod ſit obſeruatu difficile. Nihil? Quærit D Hieron. Hoc ſolum petere vt *abneges ſeipſum,* difficultatē habet paucis obuiam. Eſt etenim ſacrificium quo nullum agnoſco difficilius.

IV. Perfectorum eſt propriæ voluntatis abnegatio.

D. Hier. L. 1. contra Iouinia. ante med. To. 2. D. Hier. Epiſt. 28. ad Lucin. & Epiſt. 3. ad Iulia. To. 1.

Porrò ipſum eſt maximi momenti, non ſolum ad vitæ æternæ præmiū ſed etiam ad præſentis vitæ tranquillitatem. Pauci ſunt qui hoc offerunt ſacrificium, atque idcirco mundus afflictionibus pœniſque regurgitat. An in illis tibi placet requies, etiam in hac vita? Dicito: *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Hoc eſt perpetuum Chriſti ſacrificium ſuæ ſcilicet propriæ voluntatis. Hoc primum obtulit eo inſtanti quo conceptus fuit in puriſſimæ Virginis Mariæ viſceribus. *Ingrediens mundum dicit: Ecce venio, vt faciam voluntatem tuam Deus, & legem tuam in medio cordis mei.* Meam Domine voluntatē tuæ ſic ex animo ſubiicio vt tua ſit illa quam ſtatuo velut Dominam & Reginam, quæ diſponat, ordinet, mandet, & prohibeat & reſideat in medio cordis mei vt ipſa diſponat, & ordinet de hoc corpore, & de hac anima Hoc ſacrificium ita feruenter & efficaciter obtulit, vt perpendens illud Apoſtolus, aſſerat ita gratum Patri, vt per illud ſufficienter noſtram operatus ſit ſalutem, indulgentiam & remiſſionem. *Tunc dixi: Ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam, &c. in qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Chriſti* Hoc proſequitur per decurſum vitæ ſuæ, ſæpius proteſtatus, eademque verba repetens: *Veni, non vt faciam voluntatem meam*

V. Deo maximè gratum eſt hoc ſacrificium.

*Pſ. 39. 7. Hebr. 10. 5.*

*Hebr. 9. 10.*

*Ioan. 6. 8.*

*Ioa. 4. 34.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*meam, ſed voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt*, erat hæc illi cibus, vt Apoſtolis ſuis aperuit. *Meus cibus eſt vt faciam voluntatem Patris mei*, &c. Cum hôc diſceſſit ex hac vita & mortis ſuæ duriſſimum inchoauit conflictum: *Non mea, ſed tua fiat voluntas.* O quis verbis exprimat quàm gratum fuerit hoc voluntatis eius ſacrificium, illam Paternæ ſubiiciendo, & quàm voluntariè ſuam illius ſubmiſerit, quàm profunda reſignatione coram eo dixerit & iterato repetierit *Verumtamen non mea ſed tua fiat voluntas.* Non ſine cauſa Dominus hæc æterno ſuo Patri dicturus ambo curuauit genua, & coram diuina eius præſentia. *Poſitis genibus procidit in faciem ſuam*: etenim in hac ſubiectione corporiſque proſtratione, voluit illam voluntatis ſuæ & animæ declarare, atque ad huius cognitionem, nos illam attendere.

*In illud ad Eph. 3. flecto genua mea.* Docet D. Hieron. qualiter ſit orandum, ambo flectendo genua, & procidendo in faciem ſuam coram Deo, aitque: ſiquidem hoc corpore ſit agendum, principalius attamen eſſe hoc animà peragendum: nam hoc tibi compertum ſit & ipſi animæ ſua eſſe genua.

VI. Quæ genua potiſſimum ſint flectenda. Numquid audiſti, percunctatur, quod Dominus per vatem ſuum moneat Iſaiam, (idemque Paulus Apoſtolus repetiit) *Confortate manus diſſolutas, & genua debilia roborate?* *Iſai. 35. Hebr. 12. 12.* Certè non opus erat petere vt corporis genua roboret, nam iſta quò magis ſunt mortificata eò melius ſeſe habent prout illa Dauidis de ſe dicentis: *Genua mea infirmata ſunt à ieiunio.* *Pſ. 108. 24.* An non aduertis quid dicat Apoſtolus? *In nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium* id eſt Angelorum, *terreſtrium* id eſt hominum, *& infernorum* id eſt Dæmoniorum. *Philipp. 2. 10.* Manifeſtum autem eſt nec ipſos Angelos, nec diabolos genua habere corporalia, quandoquidem non conſtent corpore. Porro ſunt illis ſpiritualia, intellectus ſcilicet & voluntas. Secundum hæc (inquit ille) iuſtum eſt vt coram Deo conſtitutus in oratione genua corporis incurues, & coram eminentiſſima illa maieſtate proſternas. Porrò ſit hoc ita vt primario proſternas & flectas animæ genua: hæc etenim tanti referunt, vt in tantum accepta ſit illorum inflexio, in quantum hæc incuruaueris. *D. Hier. ubi sup.* *Veram geniculationem docemus in animo quia multi corporale flectentes genu animæ nequaquam poplitem curuauerunt: & è contra alij erecto Deum corpore deprecantes, magis ſe animo curuauerunt.*

*D. Aug. ſer. 29. de verb. Dom.* Stans orabat Publicanus, ait D. Hieron. & notat D. Auguſt. illa verba ruminans. *Stans à longe Publicanus.* Porrò ita poplites animæ coram Deo demiſerat, illi ſuum intellectum & voluntatem ſubſternens, & in conſpectu eius ſuum cor proſternens, vt reſponſum retulerit orationis ſuæ feliciſſimum. Captious vinculiſque constrictus iacebat Rex Manaſſes, & per acriores cruciatus illi Deus oculos aperuit, quibus ſuam agnoſceret culpam: ita catenis vndequaque premebatur vt corporis genua nequiret inflectere: hoc igitur egit, animæ genua coram Deo curuauit quàm potuit humillimè. *Et nunc flecto genua cordis mei precans à te bonitatem.* Fuit autem hæc animæ ſubmiſſio adeo feruens, affectuque flagrans vt dixerit D. Clemens Papa, ſubito ignem de cœlo delapſum qui catenas, compedes & manicas diſſolueret, in ſignum à Deo illi criminum ſuorum & ſolui vincula ſacrilegiorum. En qualiter oporteat te orare, flectendo genua corporis, illudque coram Deo proſternendo tantòque præſtando id in anima feruentiùs, quantò ſunt animæ quam corporis actus magis neceſſarij.

Secundum hæc ſi velis aliquatenus cognoſcere reſignationem quâ Chriſti anima ſuum ſubmittit intellectum & voluntatem, imo ſeipſam: attende corporis eius demiſſionem, qualiter ambo flectat genua, & ipſe totus in terra proſtratus, ſubmiſſus, adhærens terræ ſummâque Patrem honoret colatque reuerentia. Talem animæ illius collige reſignationem q. d. ſiquidem Pater mi, meo occurrat intellectui, quod cum omnia tibi ſint poſſibilia, hoc quoque erit; diſponere vt tranſeat à me calix ille amariſſimus: & mea ſimiliter voluntas iuxta partem inferiorem hoc ita velit, ecce tamen hic tibi & intellectum & ſubmitto voluntatem. *Verumtamen non mea, ſed tua fiat voluntas.* Scrutare hiſtoriam, quam alias expendimus: quod ſi amor & reuerentia, quâ filia vnica ducis Iephte patrem ſuum proſequebatur, illam diſpoſuit ad actum illum heroicum reſignationis ſuæ voluntatis ad paternam, quam appoſitè trutinat D. Ambroſ. cum enim patri ſui ea eſſet voluntas, vt iugularetur & immolaretur in complementum voti à ſe facti, non tamen refraga contradixit, non inobediens repli-cauit, non in minimo pertinax obſtitit ſed ait: *fiat voluntas tua*, nam hoc verba illa denotant. *Pater mi, ſi aperuiſti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcunque pollicitus es.* Quanta igitur fuit illa Saluatoris noſtri reſignatio voluntatis & patri æterno ſubmiſſio, cum tantò fuerit reſpectus & amor perfectior quò feruebat, quâ filiæ Iephte ad patrem ſuum, quanto totum hoc vniuerſum terræ & cœli vnicæ matis arcuæ præpondetat:

rit! Quanto dixerit illi affectu. *Si aperuiſti os tuum ſac mihi ſicut pollicitus es.* Si pater mi os tuum aperuiſti per prophetas; meaque pollicitus es tormenta, pœnas & mortem; quidquid promiſiſti, impleatur. *Hoc eſt, fiat voluntas tua.*

X. Similiter Abrahæ & Iſaac. Si fidelitas & amor Abrahæ tam fuerit efficax, vt ſuam voluntatem diuinæ ſic ſubmitteret, vt ea hora quâ illa declaratur, & petitur vt Deo proprium immolet filium, continuò de ſtrato ſurgat, etiam mediæ noctis ſilentio, atque ipſe famulos, aſinum, filiumque præparet, & proficiſcatur, amariſſimis interim cogitationibus cor eius & voluntatem torquentibus multò pluribus quàm paſſibus per viam incedebat; quænam, obſecro foret illa in Chriſto Saluatore voluntatis ſuæ erga Patrem ſuum reſignatio, cum amor eius & fidelitas erga Patrem tantò purior fuerit & integrior, quantò ſuperat oceanus aquæ guttam eamque minimam. Si Iſaac in eodem caſu ſuam Deo Patrique declarauit obedientiam & reuerentiam, quâ ſe ligari paſſus eſt atque in altari collocari, collum ſuum & guttur ictui paratum exhibens, quem pater ſuus in eum librare vellet, ſumma voluntatis ſuæ reſignatione promptus: qualis eſſet illa Chriſti corpus ſuum offerentis, vt pater ictus in illud libraret pœnarum, dolorum, mortiſque fortiſſimos? Illum ô Chriſtiane conſidera, quàm proſtratus iaceat, quàm ſubmiſſus, quàm propriam carnis ſuæ fortiter iugulans voluntatem reſignatione & obedientia, vt promptum exhibeat ſe & paratum ad vincula, carceres, alapas, crinium euulſionem, ſputa, flagra, ſpinas, clauos, crucem, mortemque ignominioſam. O quale illud *Fiat voluntas tua* ita nihil excipiens abſolutum! Vtinam tuam addiſceres reſignare voluntatem, & animæ linguâ diceres quod millies quotidie lingua repetis corporis: *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra!*

XI. [illegible]

§. 35. Venit ad Diſcipulos ſuos, *&c.* Et iterum abijt & orauit. *Exurgens Chriſtus ab oratione, & veniens ad diſcipulos ſuos, inſtruit Patres familias; & rediens ad orationem, docet neceſſariam in ea eſſe perſeuerantiam.*

30 SExtò: abſoluta oratione & oblata in ea petitione ſurrexit Dominus viſitaturus ſuos diſcipulos. Credunt nonnulli, quòd non ſolum tres illos, ſed etiam octo reliquos qui paulò remotiùs aberant adierit: quia Euangeliſtæ loquuntur indiſtinctè, nec minus illi quam alij indigebant: & dormientes allocutus omnes excitat, blandèque reprehendit, & quid ſit eorum muneris reuocat ad memoriam: tam ob promiſſa illi facta præſertim à D. Petro, nedum vigilandi ſed etiam cum ipſo moriendi: quàm vt illis declaret iam horam periculi, offendiculi, & ſcandali imminere, quam paulò ante illis indicauerat, ad quam opus erat, vt ſe non ſegniter oratione præmunirent. *Venit ad diſcipulos ſuos & inuenit eos dormientes & dixit Petro, ſic non potuiſti vna hora vigilare mecum: Vigilate & orate vt non intretis in tentationem.* Quamuis opinentur aliqui dictum illud Domini fuiſſe de vna hora non probat quòd integra hora oraſſet: quia hora apud hebræos & communi idiomate ſignificat modicum tempus, vt ait D. Matthæus qui ſtatim poſtmodum egreſſo Domino obuiam Iudæis eum capere laborantibus, dixerit: *in illa hora dixit Ieſus turbis: tanquam ad latronem.* &c. Quocirca dicit non potuiſtis vna hora, id eſt parua morula vigilare mecum, porrò hoc idem dat alijs occaſionem arbitrandi primam orationem integrâ duraſſe hora: nam Dominus Petrum reprehenſurus quòd ſibi vim non inferret ad vnius horæ vigilias, ſi minus quam hora duraſſet, non dixiſſet vna horâ.

Hoc ſuppoſitò perpende Chriſti ſollicitudinem quæ tanta erat, vt integrâ perſeueret horâ in oratione cum adeo diris torqueretur anguſtijs & hominum miratæ ſocordiam, quibus vna hora, quâ vigilent cum illo, videtur longiſſima. Heu quantis poteſt hæc obiici querela. *Sic non potuiſti vna hora vigilare mecum?* Vires tibi ſuppetunt quibus vigiles in ſocietate diaboli vnâ horâ, & vnâ nocte & quatuor imo annis pluribus, vires non deficiunt vt cum mundo vigil perſiſtas, eius vanitates anno integro imo pluribus inſectatus: viribus vales integris vt vigillas agas in carnis tuæ deliciis mille noctibus non dormiendo & factus veſpertilio in tenebris obambulando, ſic vt nec te frigora contrahant, nec pruina deterreat; vt verò vnicâ horâ cum Chriſto ſtes in acie vigil, animus vireſque langueſcunt? an ergo Domine mi, tam grauis tua eſt ſocietas, vt homini videatur eam non eſſe vel vnâ horâ tolerandam? O Gloria & gaudium Angelorum, quàm iuſtum eſſet vt qui modo tam modico tempore tibi comes, vt peccator, adhęret & mundi ſectator, tua ſocietate perpetuo careat, & totam tranſigat cum Dæmonibus æternitatem, cum quibus in hac vita ſocius vixit indiuiduus. I. Chriſti in orando feruor.

Pariter expendamus quàm culpabilis ſit ſom-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

II. Vigilandū contra tentationes. — nus incutioſus in perſonis præmonitis: etenim obambulabat diabolus excitatus vt illas in peccatum caſumque propelleret: *Ecce Satanas expetiuit vos*, &c. idcirco quoque quàm culpabilis tua futura ſit ſomnolentia (inquit D. Bernardus) qui toties admoneris vt vigiles: etenim vt ait D. Petrus. *Vigilate: quia aduerſarius veſter diabolus, tanquam Leo rugiens, circuit quærens quem deuoret.* (1. Pet. 5. 8.) De hoc quod Chriſtus D. Petro dixit, ipſe Petrus nos admonet: *Vigilate quia aduerſarius veſter diabolus*, &c. O verè ſanguineis lacrymis deplorandum, quòd toties præmoniti à ſomno nos vinci patiamur: deploret hoc D. Bernardus: (D. Ber. Ser. 1. de S. Andr.) *Nos miſeri vicinis tot ſerpentibus, & igneis telis vndique volitantibus, inimicis inſurgentibus perniti oſa ſecuritate & negligentia dormitamus, ac ſi non ſit militia vita hominis ſuper terram. Hoc eſt quod me vehementer terret, quod omnino timoris acerbiſſimi gladio tranſuerberat animam meam, quod inter tanta pericula minus timorati, minus exercitati, minus quàm neceſſe eſt ſolliciti eſſe videamur.* Vel minima ſuſpicio prædonis vel latronis aduenientis, vt te incautum occidat, vel opes tibi diripiat per itinera gradienti, tantam in te excitat diligentiam: tantorum autem hoſtium formido non te à ſomno vigilem excitet, qui hoc primò & vltimò procurant, vt animã tuam prædones diripiant? *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.*

Hoc ſedulò perpende; quod quamuis Spiritus tibi promptus ſit, magna tamen ſit tuæ carnis infirmitas, ex cuius parte te fortiùs diabolus impugnat: *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.* Aliquorum opinio eſt per Spiritum capi diabolum q. d. attende, quàm alacer procurat diabolus nec dormiat: eſt enim Spiritus infatigabilis: tu verò caro languida; & certū eſt quòd manu ad manum tecum decertans te ſit ſuperaturus: Igitur ad Deum confuge ſubſidium rogaturus, quô reſiſtas impugnanti. *Vigilate & orate.*

III. Cur addidit: Orate. — Notat hæc verba D. Ambroſius atq; ex illis colligit noſtras non valere vires, tantis reſiſtendi inimicis, vnde monet nos vt ad diuinas recurramus. (D. Ambr. L. 1. de Vocatio gent. c. 9. Tom. 4.) *Semper debet in auribus fidelium vox illa perſonare: vigilate & orate, ne intretis in tentationem: vbi ſi de vigilando tantum, non etiam de orando diſcipulos admoneret, ſolas liberi arbitrij vires videretur hortatus, ſed cum addidit, & orate ſatis docuit ſuperni futurum muneris, vt etiam eos vigilantes, tentationis procella non vinceret.*

☞ 91 Licet autem oratio Saluatoris adeo protracta fuerit, ſicut illi Pater pro voto non reſponderat nec petitis annuerat, reuertitur eodem oraturus affectu & animà, atque hoc bis & ter. Præceptor eminentiſſime quantâ ſcatent doctrinâ illæ tuæ iterationes: nam primâ ſuperiores inſtruis, prælatos & patres familias quod quamuis illis neceſſe ſit ad orationis confugere aſylum, vt à Deo quæ maximi referunt, impetrent, & agere cum illo de animæ ſuæ negotiis: hoc tamen ita fiat, vt familiæ ſuæ domuſque non abiiciant memoriam, illā ſed aliquando viſitent, etenim in ſat multis domibus hoc contingit, quod in ea quæ Moyſi erat, nempe ſynagôga: nam ſecedente in montem ſeorſum Moyſe vt oraret, populo vero relicto ad pedem montis: ipſe inſtabat orationi, ſed ille vacabat epulis, ingluuiei, intemperantiæ, & hactenus inaudita Deoque iniurioſa ſacrilegia committebat, choræas circum circa vitulum ſuum in Idôlum erectum agens impudicas. Quando ô Domina ſecedis ad tuum oratorium Deo locutura, modus hic ſeruetur, vt dum minus ſibi de te cauent puellæ, adſis illis inexſpectato, & aduigiles num vigilent, num vacent orationi, imo potius num tempus detractionibus impendant & confabulationibus.

Quando templum frequentas eo licet affectu & pietate feruens quâ Moyſes, attende qualiter domum tuam deſeras, etenim ſæpius pernitioſa eſt illi tua ſi nimia ſit abſentia. Concionem habebat ad populum Apoſtolus noſter prædicator D. Vincent. Ferr. in vrbe Murcia, & circa medium concionis exclamat altiùs, heu graue nimis modo nunc actualiter in hac vrbe contra Deum crimen admittitur: etenim in hoc auditorio quædam mater eſt quæ concionem auditura veniens filiam ſuam domi non ea cautione reliquit quâ par erat & modo Deum grauiter offendit. Impulit Deus cor matris vehementer cuius reſpectu hoc dicebat, & expediens ſe de turba præpropera domum feſtinauit, verumque reperit quod vir piiſſimus de pulpito dixerat, tantoque cor eius dolore transfixum eſt, vt reuerſa ad auditorium exclâmarit: vera dixiſti Pater Sanctiſſime: nam ad concionem concurrens filiam meam domi reliqui, atque propter id quod dixiſti domum reuerſa, reperi quòd actualiter cum adoleſcente peccaret, Deumque offenderet: ex quo Sanctus hic anſam arripuit hanc docendi doctrinam in qua nos Dominus ſuo præuenit exemplo.

V. — Secundo: inſtruit omnes de doctrina maioris momenti in materia orationis: ſcilicet de perſeuerantia: non enim quia Deus non continuò votis tuis benignus adſpirat, ceſſandum tibi eſt ab oratione, ſed ad illam ſemel & bis, imo tertiò

recur-

recurrendum patientia ita infatigabili vt dici poſſit, (inquit D. Ambroſ.) quòd *pertinax ſis in precibus*, ea cordis intẽtione (ſic monet D. Chryſoſt.) quâ Chriſtus qui nos docuerat egere nos oratione, nobis etiam expoſuit eam eſſe debere perſeuerantem. Ita fecit quando ex induſtria ſermonem habuit de oratione Refert Euangeliſta Lucas, dic quodam à Domino, propoſitam fuiſſe lectionem de hac materia tanti ponderis, cui pro concluſione adiunxit perſeuerantiam orationi eſſe neceſſariam. *Dicebat quoniam oportet ſemper orare & non deficere* Confirmat autem hoc exemplo viduæ quæ cum ab alio non tolerandam ſuſtineret oppreſſionem, viduis vtrique familiarem, ad iudicem recurrit Ciuitatis, hominem venundatum vt faceret malum, quem ſic
Luc.18.1. Euangelium deſcribit, *qui nec Deum timebat, nec hominem reuerebatur*. Iudex immiſericors, impius, nulla reuerentiâ commendandus. Poſtulat ab illo damni ſui reparationem: Noluit ille & remiſit vacuam, erat enim crudeliſſimus. Propoſuit vidua negotium vrgere vno & altero die, imo tanto tempore vt Iudex circumſtantibus, eius moleſtia fatigatus, diceret: Mulier hæc ſua me necat importunitate, negotia eius expediam, tantummodo, vt me ab eius moleſtiis expediam. *Quia moleſta eſt mihi hæc vidua vindicabo illam.* Ad quod ſic infert Dominus: *Audite quid iudex iniquitatis dicat*. Et ſtatim erige mentem tuam (inquit) ad Deum. Si perſeuerantia quâ vidua pertinax in precibus inſtitit apud virum ſeuerum, peruerſum, iniquum, & nullo amore clementem, ſufficiens fuerit, quò moueretur vt poſtulatis eius annueret: quid aget Pater veſter cæleſtis qui feruentiori vos amore complectitur quàm illi qui vos genuerunt ſi petendo perſeueraueritis id quod ſaluti veſtræ fuerit opportunum? Idem declarauit in parabola eius, qui media nocte amici ſui fores pulſauit tres panes mendicaturus: nam in poſtulando perſeuerans, nedum tres quos petiit, obtinuit, ſed quotquot illi fuêre neceſſarij.
Luc.11.8. *Si perſeuerauerit pulſans dico vobis & ſi non dabit illi ſurgens eo quod amicus eius ſit, tamen propter improbitatem eius* (id eſt importunitatem) *ſurget & dabit illi quotquot habet neceſſarios* Perſeuerante & conſtantes eſtote in petendo à Deo veſtris neceſſitatibus auxilium, quod ſi ad primam non reſponderit horam, reuertimini denuo imo tertiò: hoc etenim remedium nobis Chriſtus reliquit in oratione perſeuerantiam.

§. 35. *Perſeuera in oratione percutiens cum Eliſeo Iordanem, eamque quam ſuadet Chriſtus, adhibe violentiam, & quam D. Ambroſ. in Chananæa perpendit.*

AScendit Elias in Paradiſum curru raptus 92
igneo, atque ad ſolamen diſcipuli ſui Eliſei, qui mœrore contractus ſuperſtes erat, cadere permiſit pallium ſuum, aſſumpſit illud Eliſeus quaſi vmbraculum & remedium ſuis miſeriis vniuerſale. Ad ripam accedit Iordanis quem vt pedes tranſmittat ſemel illum pallio concutit, attamen non diuiduntur aquæ, nec patet tranſitus. *Percuſſit aquas & non ſunt diuiſa*, mirabundus quærit quid hoc rei? *vbi eſt Deus Eliæ etiam nunc*? an forte iam Deus ille euanuit ad quem me magiſter meus Elias remiſit? an forſitan oculos ſuos concludit ne me videat, & aures ne me rogantẽ audiat? abſit hoc omnino. Quod ergo remedium? reuertitur & iterum iterumque aquas pallio percutit & vtrimque diuiduntur vt ibidem tempore Ioſue, liberumque permittunt tranſitum, vt nec plantæ pedum eius aquis intingantur. Maximus ille Elias Chriſtus in cælum aſcenſurus, ad peregrinationis noſtræ ſolatium, tantarumq; lenimen calamitatum quibus in hac circumcingimur, pallium reliquit orationis. *Munimentum grande animæ* (ſic illud appellat D. *a*. Baſilius) *per quod omnia bona conſequimur & omnia mala effugamus*, à D. Chryſoſtomo *b*. medecina vocatur vniuerſalis *oratio omnibus in medium proponitur, communis indigentibus medicina*, & illam nobis quaſi ſcedulam, in qua nihil ſcriptum eſt, concedit, nos ad Patrem ſuum remittens cæleſtem. *Quidquid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis.*

4. Reg. 2. 13.

a In admonit. ad fil. ſpiritua. inter med. & fin. habetur poſt Epiſtol. To 4.

Quando offertur occaſio aquas tranſmittendi tribulationum, pœnarum, infirmitatum, & paupertatis, hoc pallio ſemel percute & non, quia ad primum impulſum non percipis remedium, credideris Patrem tibi deficere ad quem te Chriſtus remiſit, nec dixeris *vbi eſt Deus Eliæ etiam nunc*, ſed reuertere denuo & iterum iterumque aquas percute: crede autem veram eſſe ſententiam quam ſummus dixit Sacerdos Eliachim populo Dei, dum illum monſtrum illud feritatis Holofernes dux Nabuchodonoſor corona cingeret militari, humilibus apud Deum precibus inſtiterunt quas aſperioribus ieiuniis & operibus ornârunt mortificationis. *Scitote quoniam exaudiet Dominus preces* Iud. 4. 12.

b Ho. 22. in Ioan. circa princ. To. 3

*veſtras*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*D. Amb. L. 5. in Luc. ad fin. In illud qui minor eſt, &c. To. 3.* *Matt. 11. 12.*

*veſtros ſi perſeuera ueritis in hoc opere.* Egregium eſt hoc D. Ambroſij Doctoris argumentum quo declarat hæc verba Saluatoris, *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*: Quo ſingulariter nos inſtruit qua ratione diuina dona & gratias impetremus cæleſtes, quæ dicuntur regnum cælorum. Hoc tibi perſuaſum ſit, inquit Dominus, hæc non obtineri ſine magna vi, nec rapiuntur niſi adhibitâ violentiâ. Quid per hoc ſignificas? hoc noueris, inquit D. Ambroſ. Deum omnia bona in manu ſua continere nec ea te poſſe conſequi, niſi per vim hæc eripias. Bone Deus quis obſecro per vim extorqueat quod ſua Deus manu conſtringit? Quænam vires poſſunt eius eludere potentiam? iam olim proteſtatus eſt de ouibus ſuis: non peribunt, quia *non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Cui adeo robuſta manus eſt vt vim inferat manui Dei potentiſſimæ? Luce clarius eſt quod abſolutè loquendo nulla creatura hoc valeat; porrò aliquo modo hoc agit oratio (inquit D. Ambr.) quando perſeuerans eſt; hæc etenim quaſi per vim illi manus aperit.

*Ioan. 10. 28.*

Exemplo tibi ſit celeberrima illa Chananæa: quā fortiter manu ſua Deus conſtringebat quod rogabat ipſa remedium: petit illa & tacet Chriſtus, intercedunt pro ea Apoſtoli, & illos repellit, dicens, modo non vacare. Redit illa, vrget amplius, & reſponſum audit: *Non eſt bonum ſumere panem*, &c. An tuô iudiciô poſſit ſe Deus conſtringere ſtrictius? an nobis videntibus manum poſſit actiùs concludere, quò poſtulata non concedat? Ceterum inſiſtit illa eo modo tantaque pertinax perſeuerantia vt eam ſic omnino aperiat, vt illi rapere permiſerit non ſolum quidquid petebat ſed quidquid volebat. *Fiat tibi ſicut vis.* Negligentiæ forte redarguar ſi Doctoris huius verba ſubticeam. *Diripuit regnum Chananaa quæ à finibus illis egreſſa clamabat dicens: Miſerere mei, &c. verò hæc regnum coëgit, pertinax in precibus, ſapiens in reſponſis, fidelis in verbis. Prætereuntem auocat, tacentem rogat, excuſantem adorat, negantem inclinat; nonne tibi videtur eripere cum elicit quod negatur, præripere quod aliis reſeruatur. Negauerat enim Dominus panem filiorum dari canibus oportere: at illa conſenſit & conſentiendo deripuit. Vtique Domine, nam & catelli, &c.* Si orationis violentia rapiendum eſt quod poſtulas, tu videris quàm oportet conſtans vt ſit & perſeuerans.

*D. Amb.*

93 Hoc ſignificare voluit illa lucta Iacob: nam ſecedens ad orationem à Deo rogaturus ſubſidium, quo ſe de periculo, in quo laborabat incolumem ſeruaret: accedebat enim Eſau frater eius vt animo feruens ita copiis inſtructus militaribus, dicitur luctam iniiſſe totaque nocte cum eſt illo Angelo in luctando perſeueraſſe: hic autem Dei cū Deo vices gerebat; & quaſi vi benedictionem & optatum donum extorſit: etenim luctam illam iam declarauit Oſeas factam oratione & lacrymis, qua fortior præualuit Angelo, illique vim intulit: nam hoc verbis illis indicatur. *Inualuit ad angelum* & quantum intelligo luctam hanc ſpectat pſalmiſta Dauid in hoc exercitio optimè verſatus. *Voce mea ad Dominum clamaui, &c. In die tribulationis meæ manibus meis nocte contra eum.* Legit D. Hieron. *Manus mea nocte extenditur.* Significans id quod nonnulli notârunt quòd extendere manus in oratione ſit quaſi luctari cum Deo. Et quo euentu tibi hoc ô Rex Sanctiſſime quo ſucceſſit omine? *& non ſum deceptus?* Quis eſt qui neſciat fallere non poſſe nec in ſuis deficere promiſſis illum, qui nobis dixit. *Petite & accipietis, &c. omnis enim qui petit, accipit.* Procul dubio accipies. Non dicit quid, ſed *accipietis*: ſi namque aliquando quod petis non receperis, quia tibi hoc non expedit, recipies quod tibi conducit, vt ſtatim dicemus.

*Gen. 32.* *I. Oratio luctæ comparatur.* *Oſe. 12.* *In Pſ. 76.* *Luc. 11.*

94 Non potuit, ex opinione D Hieronymi prælegi nobis lectio conuenientior, quam illa quam nobis cæleſtis ille præceptor proponit. Nunquam feruentiori rogauit affectu quàm modo, nec longiori perſtitit perſeuerantia in occaſione quâ nedum illum Pater non audit, petita concedens, ſed quâ nouit ille ſibi quod poſtulat non concedendum, atque ad inſtructionem noſtram miſit illi Pater vltimam reſolutionem & nuntium Angeli cæleſtis miniſterio: quo non obſtante affectuoſiùs tunc orare cœpit talique pertinax perſeuerantia, vt ſanguinem ſudauerit, & videtur quod dicere licuiſſet eum tam longa poſtulantem oratione plus æquo fuiſſe prolixum. *Factus in agonia prolixius orabat*, vt aliàs declarauimus: quatenus hoc tibi conſtet quòd in occaſionibus quibus minus videtur fidendum, oratio eſſe debeat feruentior, ſyncerior, affectuoſior, tantoque conſtantior, quantò tibi perſuades Deum vocibus tuis aures ſuas occluſiſſe pertinaciùs de quo ſupra dictum, & expoſitum quàm certum ſit orationes tuas optatum non relaturas reſpōſum; quandoquidem quam primùm vides manibus tuis, quod petis, non indulgeri, ab illis languens deſiſtas, animo torpeſcas, & à poſtulando deficias. Bis denis annis Patriarcha Iſaac apud Deum inſtitit remedium quærens ſterilitatis, qua coniux Rebecca laborabat & optans familiæ ſuæ ſucceſſio-

*L. 1. in Matt.* *II. Christi perſeuerantia in oratione.*

ceſſionem, quam licet illi Deus futuram pollicitus eſſet, tanto tamen diſtulit tempore, nec conceſſit, vt probat D. Chryſoſt. Apoſtolus Paulus à quadam communi liberari poſtulans infirmitate, quam ſuſtinebat, capitis dolore iuxta D. Hieron. vel iuxta D. Aug. hepatis obſtructione, non tamen exauditur licet pluribus idem flagitaret diebus; & quamuis quod petebat non acceperit tamen conceſſum eſt illi quod plus eius ſaluti referebat, vt poſtmodum exarabimus.

Ho. 14 in Gen. 2. Cor. 1.

§. 37. Iterum orauit eundem ſermonem dicens. *Iiſdem verbis orauit Dominus: Non neceſſe eſt illa variare, ſed exemplo Annæ orare, & cicadam Dauid imitari.*

94 Aliud nobis documentum diuinus hic magiſter præbet imitandum; ſecunda & tertia vice repetit orationem, dicuntque Euangeliſtæ: *eundem ſermonem dicens.* Cum tam longa & prolixa fuerit eius oratio, & toties ad illam recurrerit, cum poſſet ipſe verba variare ſelecta qui cæli ſapientia cognoſcitur, eandem tamen ſemper retinuit orandi formam. *Pater ſi poſſibile eſt transfer calicem iſtum à me.* Quò nos à non leui liberat ſollicitudine; hic tibi videtur ingerere faſtidium idem iiſdem ſemper verbis ab alio poſtulare; qui litem agit, aduocatos indagat qui ſupplices illi componant libellos Principibus Regibuſque offerendos: vt autem illos reddant efficaces adlaborant pigmentis illos veſtire Rhetoricis, varias adducunt rationes, textus citant plurimos, doctaque multiplicant argumenta: ſollicitos nos reddere poterat modus quò preces noſtras Regis illius cæleſtis offerremus maieſtati: præſertim cum quis pauperculus eſſet, cui nec lingua ſit nec diſcurſus quò Iudici congruè loquatur ordinario: nam coram eo conſiſtens ilico turbatur, vt neſciat quidem quo petitionem ſuam proponat exordio. Non hæc te cura ſollicitet: ecce te docet Dominus candidè & nudè tuam proponere neceſſitatem, nec anxium inquirere verba ex arte compoſita: non enim in illis ſibi complacet Deus ſed ſimplicitatem quærit viuumque affectum quo dicas: *Pater transfer calicem iſtum à me.*

I. Eadem verba ſæpe repetenda in oratione.

Hoc verbis docuerat inquit D. Chryſoſtom. quando ait: *Orantes nolite multum loqui ſicut Ethnici: putant enim quòd in multiloquio ſuo exaudiantur.* Hoc opinabantur Gentiles referre plurimum ad felicem cauſarum ſuarum expeditionem, ſi ſibi conquirerent oratores qui Rhetoricis elegantijs & verborum lenocinio aures demulcendo pariter & corda commouerent. Ita quærebat hic Ciceronem cauſæ ſuæ defenſorem, ille Demoſthenē, & alij alios oratores, ſibi firmiter perſuadētes tantò libentiùs audiendos, quantò perorarent eloquentiùs. Si cum Deo hoc modo negotium ageretur, quàm dolendum referrent reſponſum, operarij agricolæ, opiliones, & vetulæ quibus ars ignota eſt perorandi. Non ſic cum Deo, non ſic agitur cauſæ noſtræ negotium: etenim Saluator nobis confirmat *Nolite multum loqui.* Non dicit non multum eſſe orandum ſed dicit, teſte D. Chryſoſtomo, quòd tantò acceptior erit oratio quantò fuerit prolixior & tempore perſeuerantior: verum hoc te docet ne præter modum anxius verba conquiras formaſque multiplices oratorias: etenim ſufficit vnicum: *infirmus ſum ſana me Domine.*

Ho. 9 in Matth. ad fin. Matt. 6.

Hinc, inquit D. Chryſ. duas conciliabis ſententias prima facie ſibi contrarias diſcipuli & magiſtri. *Docet diſcipulus bis & ter multum eſſe orandum: orationi inſtantes: indeſinenter orate.* Magiſter autem inclamat, *cum oratis nolite multum loqui:* Non ſibi cōtradicunt, inquit D. Chryſoſt. nam *vtrumque faciendum eſt vt nec in longum verba proferamus & tamen aſſiduè deprecemur.* Non vult Dominus, inquit, vt animum diuertas ab attentione, diuerſa inquirens verba, terſaſque componens orationes; ſed eaſdem ſemper repete. Huic conuenienter expendit orationem mulieris illius mirabilis & bonorum omnium memoria dignæ Annæ Matris Samuelis. Nam ſibi dicere videtur oppoſita; nimio mœrore triſtis affligebatur: erat etenim infœcunda, eaque de cauſa à compare ſibi deſpectui habita à qua perpetuum ſuſtinebat opprobrium. Teſtatur autem Spiritus S. eam ad Deum pro remedio confugiſſe, in cuius procumbens cōſpectu his verbis ſuam compoſuit orationem *Domine Deus exercituum ſi reſpiciens videris afflictionem ancillæ tuæ, dederiſque famulæ tuæ ſexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius.* Poſt hæc addit Spiritus S. *Factum eſt cum illa multiplicaret preces coram Domino.* Qua ratione ſit hoc percunctatur D. Chryſ.? *Quomodo dicit quod multiplicauerit precationem quando exiguus fuit modus precationis quam fudit mulier? Certè pauca nudaq; verba prolocuta eſt: Domine Deus ſi reſpiciens, &c. quæ eſt hic verborū multitudo? quid igitur eſt multiplicauit preces? aſſiduè ſonabat eadem: nec deſtitit iiſdē verbis iterandis multū tēporis abſumere.* Hæc igitur optima eſt oratio ſi parca verbis ſit ſed larga in repetitione, cordis affectū, feruētiq; deſiderio.

Chrys. Ho. de fide. Annæ. Inter princip. & med. To. 1. Ro. 12. 12. Theſſal. 5. 17.

II. Conciliantur Chriſtus & Paulus.

III. Annæ commendatur oratio. 1. Reg. 1. 11.

Totam noctem in oratione conſumpſit Iacob ea occaſione qua diximus, auxilium deprecans, quô ſurentis fratris ſui manus euaderet: Vnde non deſtitit eadem ſemper verba reuocare idemque Domino proponere. *Erue me de manu fratris mei Eſau quia valde eum timeo.* Notat Archiepiſcopus Genebrardus, vir doctrinâ conſpicuus illa verba pſalterij iuxta vulgatam le-
Pſ.101.18 ctionem, *Reſpexit in orationem humilium, & non ſpreuit precem eorum*: transferri à Symacho & quodam auctore Anonymo: *Reſpexit in orationem cicadæ*, & non ſpreuit precem eius. Multa de his proferũt auctores, ſed illud appoſitè tantum aduerto, nullum tibi videri cantum magis faſtidioſũ quàm cicadæ: non enim ore vel roſtro canit ſed pectore quãdo calore exæſtuat, idemq; ſemper eſt tamque grauis, vt pipitum, quo ſemel cœpit ſemper proſequatur & toto die abſque vllo gutturis numero decantet velut Philomela, merula, alauda, carduelis aliæq; auiculæ. Harum vnam, toto die canentẽ auſcultas, hæc vero ilico parit tibi faſtidium. Sic ſe res habet nihil tibi tœdioſum amplius quàm eandem ſæpè petitionem, eandem ſæpe repeti cantilenam, attamen nihil Deo magis perplacet quàm animæ petitio, quæ amore eius incaleſcens, vel calore morbi fatigata grauiori, vel paupertatis vel perſecutionis, ſuam de pectore educit orationem & eo loquitur magis quàm ore, ſemperque eandem replicat ipſa petitionem. O quàm accepta cicada Sanctiſſima Anna & ſanctiſſimus Iacob de quibus præfati ſumus. Perpende Chriſtum diu orantem ſed ſemper repetentem *eundem ſermonem*.

Cicadę cantus tœdioſus.

§. 38. Apparuit ei Angelus confortans eum. *Mittitur à Patre Angelus confortans: etenim oratio ſemper habet effectum: vt in D. Paulo conſiderat D. Chryſoſt.*

95. NOn illi Pater poſtulata conceſſit, quia ſic non expediebat, ſed Angelum miſit illi à quo confortaretur eo modo, quo poſtmodum declarabimus. Per hoc cœleſtis noſter Præceptor fructum nos docet orationis: nam ſi talis ſit vt debet, ſemper fructum elicit eximium, & ſi non petitis noſtris annuerit, illud nobis concedet quod ſaluti noſtræ maximè conducit. Implet hic Dominus quod in myſtico illo pſalmo dixit in quo per os Dauid prædixit quæcunque in paſſione ſua eſſent futura: pſalmum orditur eadem quâ paſſionem oratione. *Deus*
Pſal.21.2. *Deus meus reſpice in me. Deus meus clamabo per diem & non exaudies & nocte, & non ad inſipientiam mihi.* D. Iuſtinus martyr credit quod declarare voluerit orationem quam Dominus promebat ex ignorantiâ non procedere, quia quãuis licet peteret, ſi poſſibile foret, mori nõ nouerat tamen eam effectum non ſortiturum id quod petebat: quia porro realiter bibiturus erat calicem, hoc enim eſt (inquit) *non ad inſipientiam mihi.* Rogaui ſed non quia ignorabã quod futurum erat & faciendum. Cur ergo petit id quod præſciebat ſibi minimè concedendum? vt nos in perſeuerantia orationis inſtrueret: nam ſciendo quod ſi ille perſeuerat in ea, non tamen exaudienda, petitione, quam proponebat ſecundum portionem inferiorem; quanto maiore iure tibi eſt inſiſtendum, qui non ſolum non ſcis tibi non concedendum quod petis; imò potius cum fiducia accedendum & petitionem tuam ſi ita conueniat à Deo exaudiendam? Tertullianus alium ſenſum producit ſecũdum lectionem quam ipſe ſequitur. *Deus meus clamabo, &c. & non exaudies, &c. & non in vanum mihi.* Deus meus magnâ perſeuerantia, inſiſtam orationi, nec exaudies me, quia quid peto non mihi largieris: porrò *non in vanum mihi.* Quomodo non, ſi te nõ exaudiat? quando quis à Rege expoſcit beneficium, & deuoratis fruſtra calamitatibus & impẽſis accipit pro reſponſo: non vacat, ait, Oleum & operam perdidi, tempus, pecuniam, & laborem in vanum expendi. Optimè tamen Redemptor noſter non enim oratio eius ſuo fructu caruit: quamuis enim poſtulata eum impetrauerit, miſit illi tamen Pater Angelum qui confortaret eum.

D. Bernardus quibuſdam ſatisfacturus querentibus quod nunquam ab oratione os ſuum continerent & nunquam tamen petita conſequerentur, nec fructum experirentur orationis, & poſtquam prolixam Deo precem obtuliſſent, in vanum tamen laboraſſent, ait: *Verba quadã humanæ cogitationis audire mihi videor in corde veſtro. Quid eſt quod licet nũquam ab oratione ceſſemus vix vnquam experiri videatur aliquis noſtrũ qui ſit ſuæ orationis fructus: ſicut enim ad orationẽ accedimus ſic redire videmur: Nemo nobis reſpondet verbum, nemo quidquam donat, ſed laborare videmur incaſſum.* Difficultas hæc propoſita fuit etiã D Baſilio quam ex propoſito tractat & quotidie nobis illam obiicitis. O filij chariſſimi, reſpõdet D Bern. hoc ſcitote nõ poſſe ineſſe veritati mendacium: ad hoc vobis conſulo, ne iudicetis ſecundũ viſionem oculorũ corporis ſed rectum iudicium iudicare, id eſt ſecundum fidem. *Quid in Euangelio dicit Dominus? nolite ait, iudicare*

*ſecundum*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*ſecundum faciem ſed iuſtum iudicium iudicate. Quod eſt autem iudicium iuſtum, niſi iudicium fidei quoniam iuſtus ex fide viuit?* Hoc fidei iudicium ſequimini & non oculorum corporis, neque eius quod in corpore experimini: nam hic ad verbum cadit Hypocratis axioma *experimentum fallax*: Fidei inhærete iudicio quæ prima gaudet veritate, percipe illud quod tibi prima veritas aſſeuerat: *Petite & accipietis.* Rom. 1. 17.

II. Semper accepta eſt aliquid in oratione.

Quotieſcumque petieris, vt conuenit, recipies vnum de duobus, vel id quod poſtulas, vel id quod tibi magis expedit; vel te Deus à calamitate qua premeris eripiet, vel tibi de cœlo mittet auxilium, vt angelum qui cor tuum in aduerſitate corroboret. *Nemo veſtrûm fratres paruipendat orationem ſuam, dico enim vobis quia ipſe ad quem oramus non paruipendit eam: priuſquam egreſſa ſit ab ore noſtro ipſe ſcribi iubet eam in libro ſuo,* (eius mirare ſollicitudinem: nam quaſi petitionis tuæ poſſet obliuiſci eam ſcribi vult in pugillaribus) *& vnum è duobus indubitanter ſperare poſſumus, quoniam aut dabit quod petimus, aut quod nobis nouerit eſſe vtilius. Nos enim quid oremus neſcimus, ſed miſeretur ille ſuper ignorantiam noſtram, & orationem benignè ſuſcipiens, quod nobis aut omnino non eſt vtile aut non tam cito dari neceſſe eſt, minimè tribuit, oratio tamen infructuoſa non erit.* Non multum eſt nec miremur quod ſanctus hic affirmat: etenim procul dubio nobis vnum aut alterum concedetur, quandoquidem fundetur in verbo Saluatoris, quod nobis oppignorauit dicendo: *Petite & accipietis, &c. Omnis qui petit accipit, &c.*

III. Vnde diuinæ dilationes in poſtulatis. D. Baſil. Lib. n. reg. 261.

Materiam hanc familiari ſibi eloquentia proſequitur D. Chryſoſtomus. Supponit id quod certum eſt: crebro nobis Deum poſtulata non concedere, vel non tam cito pro vt optamus, ob multas rationes quas ille expendit, & SS Patres aduertunt, nos quoque alijs diebus declarauimus. Aliquando quia illi repugnamus, & non ſolum non agimus quod à nobis per ſanctam ſuam legem efflagitat, imo facimus oppoſitum: anima noſtra ſcatet vitijs & offenſis, manus noſtræ ſanguine peccatorum ſordent pollutæ; quam rationem ex induſtria D. Baſilius expendit; alias hoc agit ex mente D. Chryſoſtomi, quò te cogat ad illum recurrere qui longè & quidem valde ab eo eiuſque lege diuertis vagabundus. Patrem imitatur, cum enim filiolum ſuum cernit quem diligit vt pupillam oculi ſui, ab eius amore diuerti, nec ad illum velle accedere, cum famulis miſcere colloquia, frequentem eſſe cum mancipijs; ſi quando hic petiturus aliquid acceſſerit, ſe continet, per hoc ſtudens illum auertere ab amore peregrino; atque illi: vade ad illos cum quibus continuò conuerſaris ipſi tibi ſatisfaciant. *Neque enim renuens preces noſtras differt, ſed hac arte ſedulos eos efficiens, ad ſemetipſum attrahere vult: nam & pater quamuis benignus cum à puero rogatur, abnuit, quaſi non valens dare non vt neget ſed vt ardentiùs petat & ſibi magis concilietur.* D. Chryſoſt. Ho. 30. in Gen poſt med. To. 1.

Optabat Deus vt populus ſuus per amorem & conuerſationem ad eum accederet; ille verò cum Idôlis ſuis agebat familiater, hoc & illud adorando: quocirca dum aliquid accederet petiturus, abnuebat, illumque ad Idôla remittebat. *Vbi ſunt Dij eorum in quibus habebant fiduciam, &c ſurgant & opitulentur vobis, & in neceſſitate vos protegant.* Deuter. 32. 37. Aliàs moram trahit, vt tu cum illo per orationem occuperis: vidit etenim in te paſſeris conditionem, qui collecto grano ocius auolat. Ita loquitur apud Oſeam *Ephraim quaſi auis auolauit.* Oſe 9. 11. Iterum vt creſcat feruentiùs beneficij quod poſtulas deſiderium, tantòque pluris iam tibi conceſſum æſtimes. Tandem ait ſanctus hic, aliàs tibi poſtulata dare renuit, quia tibi nequaquam ea expedit accipere: porro tibi hoc negando non erit à fructu vacua oratiò. Si namque hoc tibi non concedit, ſuo tibi ſuccurret auxilio, quò cor tibi conforret vireſque ſuggerat quibus patienter feras calamitatem: ita vt hæc maior ſit miſericordia ampliorque gratia, quàm ſi tibi eam auferret.

IV. Cur D. Paulus orans non exaudiatur. 2 Cor. 12. 7.

Ad rem perpende pro huius confirmatione factum illud Pauli toties repetitum, quod ipſe de ſe refert illique diutius inhæret. Grauiter affligebatur Apoſtôlus dolore quodam, quem ipſe vocat, *ſtimulum carnis meæ.* Nonnulli credunt fuiſſe dolorem capitis moleſtum, alij grauem colicam, alij ſui ſtemmatis quendam æmulum, qui calcaneum ipſi rodebat, alij motum quemdam ſuæ carnis inordinatum. Sit quodcunque voluerit. Remedium huic malo requirens ad eum recurrit qui hoc illi poterat impertiri, nempe Deo ſupplicans vt illum ab hac liberaret moleſtia, tamque inſtanter hoc poſtulauit vt frequentes ad hoc multaſque preces funderet: *propter quod ter Dominum rogaui.* Ne credideris, inquit D. Chryſoſtomus quamuis dicat ter, quod ſolum tertiò orauerit, ſed pluries, quia Phraſi hebraica tertiò dicitur fieri quod frequenter fit. *Tertiò vocat ſæpe*, cum autem illi Deus prima vice non reſpondiſſet, vltima reſpondet non illi conuenire quod rogat, ſed *ſufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Primò: notandum

Apoſtolum grauiter hac infirmitate & colica laborare, quocirca ad Deum pro remedio confugit: non enim à malo eſt tuas te ſentire infirmitates, ad Deum recurrere, deprecari & optare, ab illis quamprimùm eripi. O pater hoc mihi moleſtum eſt hanc mihi moleſtam eſſe calamitatem, tantòque me hac affligi infirmitate, nec non me commoueri ob iniuriam ab alio receptam. Ergo credis Deum velle te inſenſibilem? crediſne Sanctos ſuas non ſenſiſſe pœnas, infirmitates, perſecutiones atque calumnias? nequaquam hoc malum dixerim eas ſentire; & bonum eſſe à Deo te flagitare remedium. Notandum ſecundò: aberraſſe Apoſtolum à Domino rogando hanc ſibi auferri aduerſitatem, quia eius ſaluti hoc minimè congruebat: & hinc collige quam imprudens tua poſſit eſſe petitio eius, quod tibi non congruit, imo quod tibi poteſt eſſe nocumento. Sapienter notat idem Apoſtolus ſæpe nos ignorare quid petamus: *quid oremus ſi-*
Rom. 8.26 *cut oportet neſcimus*, & modo patet in ipſo. Mirabere peti ab Apoſtolis Iacobo & Ioanne manum dexteram & ſiniſtram, quibus dicitur: *neſcitis quid petatis*: Obſecrat D. Petrus in monte
Matt. 20. 20. Thabor: *Domine bonum eſt nos hic eſſe*, & ait Euangeliſta: *neſciens quid diceret*: modò Pau-
Luc. 9.33. lus obſecrat, & Deus illi reſpondet: à ſcopo Paule aberras, & tibi quod poſtulas, non conuenit. Quàm tibi tuæ ſuſpectæ debent eſſe pe-
D. Chr. titiones? *Paulus talis & tantus qui ineffabilia conſecutus fuit, ignorabat & quæ non expediebant precabatur: Nam quia videbat ſe tot moleſtiis cingi & circumdari crebris tentationibus orabat vt ab eis liberaretur idque non ſemel, ſed iterum & ſæpius.*

Plures ſuppetebant Apoſtolo rationes valde veriſimiles hoc illi quod rogabat, expedire: Cenſebat enim hoc animæ ſuæ non modicum obeſſe profectui, eiuſdem tranquillitatem per hoc pacemque turbari, verbi Dei præpedire miniſterium quod tantopere ad mundi tendebat vtilitatem, proximi beneficium, Deique gloriam: Nihilominus docet illum ſaniora Deus dicendo: hoc tibi nequaquam expedit; quid tibi de eo quod à Deo poſtulas ſentiendum ob multas rationes, quæ tibi videntur conuenientiſſimæ, vt tuam ſuppleat tuamque curet infirmitatem, hanc tibi concedat dignitatem, ad talem te ſtatum locumque promoueat? Notandum tertiò: quod quamuis petitis Apoſtoli Deus non annuat; nouo tamen hoc ſuo ſupplet gratiæ ſubſidio, quo poſſit hunc patienter laborem ſuſtinere ad amplius meritorum incrementum, tolerantiæ, fortitudinis & obſequij diuini: tantò enim in eis magis proficimus quantò plures ſunt morborum, aduerſitatum, pœnarumque occaſiones: & ſi diuinæ adſcribatur miſericordiæ quoſdam ex ſuis eripuiſſe miſeriis incolumes, longè tamen maior fuit alios in eis reliquiſſe languidos, fauorem ſuum illis diuinum tribuendo quo perferentes illas animo conſtanti cumulum ſibi acquirant meritorum infinitum, pro vt declarat D. Auguſtin. oſtendens maiorem fuiſſe gratiam quam Deus ſanctis conceſſit noui teſtamenti martyribus, non eos de tormentis vindicans tyrannorum, qui vitam illis crudeli nece auferebant, quàm illa fuerit quam veteris teſtamenti patribus induſit, de moleſtijs illos liberans, quibus vitæ periculo laborabant Abrahã de igne Chaldæorum ſeruauit illæſum, Iſaac à perſecutione tutatus eſt Paleſtinorum. Iacob de manu fratris ſui Eſau protexit. Iob de lepra ſua grauiſſima & bonorum defendit naufragio. Moyſen de poteſtate Pharaonis. Dauidem ab inuidia Saülis. Danielem de vnguibus leonum, eiuſque ſocios de fornace Babylonis. Tobiam de cæcitate. Suſannam de falſis teſtimoniis ſeruauit indemnem.

Et hoc, inquit, in capite noſtro Chriſto perpende; nam in hoc pſalmo quem ore Dauidico protulit de Paſſione ſua, repræſentans id quod modò agitur in oratione ſua tam continua & perſeueranti, non illum Pater exaudiuit. *Deus meus clamabo per diem & non exaudies*, &c. *Addit autem In te ſperauerunt Patres noſtri, ſperauerunt & liberaſti eos. Ad te clamauerunt & ſalui facti ſunt, in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi.* Illorum preces excepiſti & de pœnis ſuis eos ſaluaſti. Mihi verò quod poſtulo negas, nec benignus exaudis: quid ergo? an antiquis illis Patribus fuit Deus quàm Chriſto clementior? An pro illis quid amplius quàm pro hoc effecit? Quæro, cum D. Auguſtino, vter magis à Deo dilectus, Chriſtus an Patres illi ſeniores. Conclamant omnes Chriſtum à Patre plus ceteris dilectum: quandoquidem non tantum in quantum Deus æqualis Patri fuerit ab eo infinitè dilectus, ſed etiam in quantum homo tanto illum amore proſecutus eſt, vt hoc illi nomen impoſuerit; & omnes quotquot fuerunt & ſunt, per eum diliguntur & hocce nomen adipiſcuntur. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Huic ergo magis dilecto poſtulata non concedit in quantum illum de pœnis vel doloribus eripiat, & illis hoc conceſſit. Ergo non concedere ali-

cui

alicui hoc quod petit, feruentioris amoris non eſt argumentum, imò potius aliquoties hoc eſt poſtulata non concedere, ex alia parte nouo ſubſidio donisque ſubueniendo potioribus.

Hoc eſt teſte D. Chryſoſtomo, quod D. Paulo contigit: etenim illi reſpondit: modo non vacat, nec habet locum tua petitio, ſed *ſufficit tibi gratia mea*, &c. Modo videamus qualiter hoc

VII. D. Paulus gloriatur non exauditus in tribulationibus.

illi placuerit reſponſum: an animum abiecit? an ſeipſum præ nimio dolore conſumpſit? *Videamus quomodo affectus fuerit. Num grauatim tulit? num ſegnior fuit? num langueſcebat?* Neutiquam an illi forſitan ſatis fuit nullas depromere querimonias, & ſe diuinæ conformare voluntati? num cum Iob dixit modò bene, ſicut Domino placuit, ſit nomen Domini benedictum? haudquaquam; ſed auditô Domini reſponſo vt ſol matutinus ſerenus apparuit, nouoque reſumpto animo ſtudet in illo delectari, & quod ipſi prius non leuem inferebat moleſtiam, eratque pœna cruciatus, & materia afflictionis, modò gaudiũ

D. Chryſoſt. Loc. cit.

adfert inexplicabile. *Ipſum audi dicentem Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis vt inhabitet in me virtus Chriſti.* Si ad tantum bonum infirmitatis paſſio referatur, vt quatenus illa mihi ſit vtilitati me Dominus virtute ſua & gratia corroboret; felix ſit fauſtumque patiendi deſiderium & beatæ infirmitates: Illæ amodo mihi & gratæ erunt vt quid ſummè pretioſum. *Non ſolum inquit poſtea liberari non requiro, ſed & magna voluptate gloriabor in illis.*

Hanc præfatas colligit Doctor, vt ſine modo noſtris Deus indulgeat clemẽs poſtulationibus, ſiue iuſtas renuat: demus illi gratias ſimulque contenti, illud Apoſtoli perficientes *in omnibus*

1. Theſſ. 1.11.

*gratias agentes.* Lex eſt bonorum litigantium, ſemper iudicibus ac ſuperioribus gratias rependere, quando ii agunt quod ab ipſis poſtulatur, & ob id quod agunt; ſimiliter quando poſtulatis non annuunt imò reiiciunt quatenus per hoc illos diſponant & emolliant, vt ſi nunc tœdium afferant, altero die gaudio cumulent. Mos inoleuit (vt aiunt) Venetiis, vt dum ſententia pronunciatur vtraque pars ſoluat gratias iudicibus: illa quæ poſtulata obtinuit; quia quod intendebat illi conceſſerint: altera quæ repulſam tulit; confitens ſibi hoc ex iuſtitia non competere, quandoquidem hoc illi non adiudicârint, & per hoc illos ſibi diuinet, vt poſtmodum aliaque occaſione benigniorem ab ipſis referat ſententiam. Quantò magis ita cum Deo procedendum: ſi namque tibi renuit quod poſtulas, ratio conſenſum adfertur, hoc in tuum non cedere emolumentum. Nihilominus alios tibi ſubrogat fauores, imo aliquando multô digniores tibique pretioſiores. *Siue conſequamur quod petimus, ſiue non conſequamur, perſeueremus ſemper in oratione, & non ſolum gratias agamus ſi conſequamur, ſed etſi repulſam paſſi fuerimus. Nam cum Deus aliquid nobis negat non minus eſt quàm ſi conceſſiſſet: neſcimus enim nos quæ nobis conducunt, ſicut ipſe nouit.* Hoc agit diſcipulus & hoc ipſũ fecerat magiſter eius hac preſſus occaſione: nã vndequaq; cinctus anguſtiis tertiò ſupplex ad Patrẽ recurrit, & ſi quidem illi poſtulata non conceſſerit, miſit tamen Angelum confortatorem & tandẽ ab oratione ſurrexit tali animo, roboratus vt gaudio totus delibutus omnia contenderit pati tormenta à Patre ſibi æterno deſtinata, de quibus ſtatim agendum, ſemper hoc ſupponendo, timorem hunc & agoniam Saluatoris eſſe in ipſo voluntariam, etenim hanc, quia volebat, nobis ad ſalutem patiebatur.

D. Chryſoſt. Loc. cit.

§ 19. Confortans eum. *Oſtium Dominus in ſe concluſit ſolatio partis inferioris: vnde miſit illi Pater Angelum confortatorem. Myſterium latet hic profundiſſimæ Theologiæ.*

Mvlta eaque grauia SS. PP. hic conſiderant circa huius Angeli apparitionem & confortationem. Notant primo D. Epiphanius *a.* D. Hieronymus *b.* & D. Hilarius *c.* nõ nullos Chriſtianos opinatos fuiſſe Hiſtoriam hanc non parum diuinitatis Chriſti derogare veritati, Anſam ſimiliter præbere credendi eum minorem eſſe Patre, atque æqualitatem eſſentiæ poteſtatiſque deſtrui, quam cum eo habebat, vnde annexam, & textui inſertam Euangelij Lucæ ſuſpicabantur, idque ab aliquibus hæreticis Arianis: vt per illam errorem ſuum confirmarent plebique perſuaderent: quocirca nonnulli Catholici huic fidem adhibentes illam eraſerunt eo modo, vt præfati dicant PP. ſe multos textus inueniſſe in quibus hęc hiſtoria deſiderabatur. Porrò hoc S. non admittit Eccleſia quæ pluribus & ſolidioribus inducta rationibus hanc hiſtoriam vt ſacram approbat & Canonicam. 98

*a In Anchora.*
*b L. 1. con Pelagia.*
*c Lib. de Trinit. vide Sixt. Senenſ. l. Biblioth. cap 22.*

I. Quomodo potuit Angelus Chriſtũ cõfortare

Hôc præmiſsô proponitur nodi difficultas, qua veritate dici poſſit Chriſtũ ab Angelo confortatum. An hoc credibile putamus ab vnicâ ſtellâ, imo ab omnibus ſimul poſſe Solem illuminari. Quandoquidem lux omnis quâ fulgent

ab ipſo dimanet atque in illas dirivetur? An lignum quod accenditur ipſum poteſt ignem calefacere, agens tanto calore quantum ab igne ſuſcepit? quis mihi perſuadeat cœlum à creatura terrena poſſe ſuſtineri: cum mihi certum ſit rerum omnium inferiorum vires ab ipſis cœlorum dependere influentiis? Quis fidem adhibeat ſiquis dixerit ab Angelo quidquam Saluatori dictum quod ille neſciebat? vnde cum primum D. Bernardus hæc Euangelij verba percipit: *Apparuit Angelus confortans eum*, ſiſtit & ait: *Quis, quem?* attende quinam ille, *eum*. *Plane eum cui naſcituro clauſus patuit vterus virginis, cuius nutu in vinum aqua mutata eſt, cuius tactu lepra fugata, ſub cuius plantis mare ſolidum ſtetit, ad cuius vocem mortui ſurrexerunt: Denique eum qui portat omnia verbo virtutis ſuæ per quem facta ſunt omnia per quem vniuerſa ſubſiſtunt etiam & Angelus ipſe. Confortans eum. Quem eum? Cuius nec ipſe confortator ſuus capere poterat maieſtatem.* Hoccine de te ô Angele quis credat? Ignorare te eum quem confortaturus adueneras? Nunquid non ipſe conſolator? *Rogo te Angele, quem conſolaris? an ignorabas quis eſſet ad quem conſolandum veniebas? certè conſolator eſt*, &c. Numquid non auctor totius con-

2. Cor. 1. 3. ſolationis ab Apoſtolo dictus: *Deus totius Conſolationis*? hæc nonnulli SS. PP. conſiderantes dixerunt, confortationem Angeli non fuiſſe niſi quandam adorationem quâ Chriſtum adorauit, laudauit & glorificauit, atque idem eſſe *confortans eum* quod *Laudans eum*.

D. Epiph. Lib. 2. de hær. 69. cont. *Arioma nitas inter med. & finem & in Archo rato inter princ. & Deuter. 32. 43.*

Hunc dicendi modum ſequitur D. Epiphanius, atque impleri hic myſtica illa verba cantici Moyſi: nam vbi noſtra vulgata legit: *Laudate Gentes populum eius*, legunt Septuaginta ipſo auctore: *Adorabunt ipſum omnes Filij Dei, & confortent ipſum Angeli Dei. Viſus eſt autem Angelus Domini confortans ipſum* (inquit Epiphanius:) *non quod confortatione Angeli opus habebat qui maior eſt Angelis. Cui flectitur omne genu cœleſtium, &c. ſed vt impleretur illud in cantico magno Moyſi in deſerto compoſito quo dicit: adorate ipſum omnes Filij Dei & confortent ipſum Angeli Dei.* Familiare eſt ſacro Eloquio

II. Modus explicatur.

ſæpenumero quando duæ leguntur ſententiæ, vnam eſſe alterius explicationem, quocirca illud *adorabunt ipſum*, exponit id quod confeſtim adiicit. *Confortent ipſum.* Deinde frequens eſt in eadem ſacra Scriptura, (vt præfatus auctor indicat;) dare nos gloriam & benedictionem Deo, non quia realiter ipſam illi impertimur, ſed quia confitemur omnem illius eſſe gloriam omnemque benedictionem. Iuxta hanc opinionem confortari ab Angelo Chriſtum non fuit ab Angelo Chriſtum vires accipere, ſed Angelum Chriſti potentiam vireſque confiteri. Vnde hoc ſolum egit Angelus vt coram Saluatore proſtratus ipſumq; adorans fateretur quod ipſe qui mortis patiebatur agoniam, eſſet cui plena data erat poteſtas in cœlo & in terra idque ad omnia, nec non æqualis eſſet eius, cum Patre poteſtas, ſi verò dixerat: *Pater mi omnia tibi poſſibilia ſunt*: etiam ex eadem ratione erant illi omnia poſſibilia. Addit autem D. Epiphanius vidiſſe Apoſtolos Angelum, qualiter Chriſtum adoraret; & qua reuerentia atque honore coloret tãquam Deum Omnipotentem, nec non audiuiſſe verba quibus eum Angelus laudabat & adorabat vt ſimile quid fuerit quale legimus in myſterio transfigurationis, vbi viderunt

IV.

ipſi Moyſen, & Eliam quando apparuerunt, & colloquium Chriſti cum eis intellexerunt. *Viſus eſt Angelus coram diſcipulis adorans Dominum ſuum*, &c. *qui admirans eius excellentiam adorans dicebat, tua eſt fortitudo Domine: tu enim præualuiſti contra mortem* &c. hoc modo nonnulli pariter hanc exponunt confortationem.

III.

Porrò modum ſectando faciliorem quamuis valde myſticum quem proponit doctrina noſtri Doctoris Angelici, dico realiter veniſſe Angelum vt Dominum confortaret, ita vt dici poſſit quod verè ac propriè Chriſtum confortauerit. Ad hoc cogitare oportet Saluatorem hoc in loco conſtitutum vt perfectè & integrè pro nobis pateretur eo modo quo cruciatum poſſent illi tormenta adferre grauiorem, ob rationes prædictas, libera ſua voluntate voluit (ſit ſemper benedictus) ſeipſum abyſſo demergere penarum quam non poſſet profundiori, ſuſferens illas omni ſecluſo ſolamine. Nam hoc apud Dauidem prædixit. *Intrauerunt aquæ vſque ad animam meam. Infixus ſum in limo profundi & non eſt ſubſtantia.*

Deſignat primò: ſub nomine aquarum triſtitiam ſuam, laborem, tædium, & mortalem agoniam, quas dixit animam ſuam penetraſſe. *Vſque ad animam meam*, quod huic conuenit: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*: cui loquendi formola quâ Ionas in profundo pelagi ceti ventre concluſus lamentatur: *Circumdederunt me aquæ vſque ad animam meam*: indicat ſecundò: ſe ab omni ſic deſtitutum conſolatione in abyſſo calamitatum vt non haberet quibus pedem infigeret. *Infixus ſum in limo profundi & non*

*& non eſt ſubſtantia*, moleſtum imprimis eſt demergi in profundum aquarum limpidarum, in quibus certo pedem figere eſt impoſſibile aut manibus quidquam arripere; porrò ſine dubio multò tædioſius eſt in lutum incidere ſordidum & excretandum vbi omnia fœcibus abundant. Ecce quam eleganter per hoc cruciatus exprimat Saluatoris. Limum appellat ſeu fœces, ſumptâ metaphorâ à medica purgatione, nam in eius fœcibus ſeu limo pars eſt ſpiſſior & amarior, in quo ſignificat tormenta Chriſti maximè fuiſſe, grauia, moleſta, & amara, qualia nullus vnquam tuliſſe perhibetur: illa verò ſic pertulit: vt non haberet cui conſtans inſiſteret nec digitum quidem pedis infigeret, aut manus iniiceret, vt ſeipſum vel modicè ſuſtineret: *non eſt ſubſtantia.* Legit Symmachus *non eſt vbi queam ſubſiſtere.* Sic autem ſe res habuit, quod

IV. Chriſtus nullam admiſit rationem conſolationis. Chriſtus conſideratione ſua clara & pellucida ſeipſum ita profundo pœnarum iniecerit, quas iam maximas erat paſſurus, vt nullam perciperet conſolationem ſiue magnam ſiue paruam, quæ poſſet earum dolorem mitigare vel paululum.

Primò; ſibi viuaciſſimè propoſuit amariſſimæ mortis horrorem, qualiter in tota ſua perſona ſuſtineret: in omnibus Sanctiſſimi corporis ſui partibus, omnia tormentorum genera, ab omnigenis perſonis & ſibi maximè inimicis. Vidit irriſiones, iniurias, ſuorum alapas inimicorum, victoriæ contra eum obtentæ proclamationem, immanitatem, electi populi perditionem, Apoſtoli ſui condemnationem, ſcandalum & ſuorum diſperſionem diſcipulorum, multiplicatam ac iuramento confirmatam Petri negationem, potiſſimum autem immenſas dilectiſſimæ ſibi matris anguſtias, ita vt mari tormentorum ſe cerneret immerſum. Addidit hoc ſecundum quod ſibi ipſi nullum, cum poſſet, ſolamen adhiberet, nec aliquid eſſet quo pœnam ſuam vel modicum fulcire poſſet & ſuſtentare: etenim nullam voluit admittere conſiderationem quæ poſſet vllam illi conferre conſolationem. Habet homo duas partes, ſuperiorem & inferiorem, rationalem & ſenſitiuam: illam cœlô, hanc terræ comparaueris. Illa huic accurrit luce ac influentiis ſicut ſuis terræ cœlum demittens pluuias ſuas quibus terræ reparat ariditatem, illamque exhilarat & reddit formoſiorem, laborat quis in corpore aut in iis quæ corporis ſunt, vtpote morbo, paupertate, carcere, perſecutione, &c. ſuccurrit pars ſuperior, potiſſimum quando diuina cumulatur gratia, viuis conſiderationibus, quibus morbi dolor alleuiatur, attendit plura ſe ex peccatorum ſuorum grauitate mereri, quod paulatim terminetur, quod ſi in hac vita quidquam patiatur, lucrum aſſequatur æternitatis, quibus inuicti Martyres in cruciatibus ſuis ſe demulcebant, & quas ſibi iuſti proponunt vt hilari, conſtantique animo huius vitæ tollerent aduerſa, illæque erant quibus ſua Iob tormenta leniebat. Ita vt nullus ita profundo dolorum pelago fuerit demerſus qui non habuerit aliquid quo dolorem ſibi temperaret etiam vehementiſſimum: ſolus Chriſtus ſic nunc huic immergitur profundo, vt nullo modo quidquam habeat cui innitatur: Quia torrentes atque influentias, partis ſuperioris ita cohibebât, vt nec vllam admittere voluerit cogitationem ex tantis quantas poterat, quâ cruciatus ſui leniret acerbitatem.

Hæc omnia tribus verbis complectitur Theologorum anteſignanus D. Thomas, qui pluribus expoſitis rationibus magnitudinis pœnarum triſtitiarum Chriſti, tertiam hanc explicat. *Tertiò: magnitudo doloris Chriſti conſiderari poteſt ex doloris & triſtitia puritate: Nam in aliis patientibus mitigatur triſtitia ex aliqua conſideratione rationis, per quandam deriuationem ſeu redundantiam à ſuperioribus viribus ad inferiores, quod in Chriſto patiente non fuit, quia vnicuique virium permiſit agere, quod eſt ſibi proprium, ſicut Damaſcenus dicit.* Hæc amplius expoſuit interpres acutiſſimus Cardinalis Caietanus aduertens, quòd ſicut pœnalia partis inferioris in Chriſto, nec modicè gaudia turbabant partis ſuperioris: ita gaudia partis ſuperioris nec modicè quidem pœnas mitigabant inferioris. Eius verba profero. *Sicut triſtitia non impediebat rationem, ita nec ratio mitigabat triſtitiam, ſed vnicuique virium permiſſum eſt, quod ſuum erat, & propterea in ſenſuis maxima triſtitia.* Quantum capio licet hoc exponere per illud quod contigit tempore diluuij. Conſidera & congere globum ex omnibus creaturis, qui contineat partem ſuperiorem cœlum empyrium, thronum gloriæ Dei, vbi lætantur Angeli ſanctique exultant omnigenis expertes doloribus: & partem inferiorem ex his compoſitam elementis quæ vidimus & quibus viuimus, ex quibus tanta temporum oritur varietas rerumque inconſtantia. Tempore Diluuij pars

3.p.q.46. a.6.in corp.

V. Pars ſuperior inferiorê non adiuuabat.

Lib.3. Orthodoxa fidei c.15. à medio.

VI. Similitudo de diluuio.

illa

illa ſuperior cœleſtis ita ſuo delectabatur gaudio glorioſa, vt eam inferior non turbaret. Ipſa autem aquis mergebatur ita immenſis ab alto deſfluentibus, *& aëre quem cœlum dicimus: nec non de mari terræque fontibus deorſum, vt in omni illa voces audirentur, gemitus, terrores & anguſtiæ: nec tamen pars illa ſuperior ſolamen aliquod & lenimen mittebat inferiori: vnde illa manente conſtanti, nec vllum paſſa gloriæ ſuæ detrimentum, inferior hæc aquis inundata mergebatur.

☞ 100 Hoc ipſum in Chriſto perpendamus: pars illi erat ſuperior animæ velut quoddam cœlum empyrium gloriâ & lætitia pleniſſimũ, quâ fruebatur omni excluſo impedimento & perturbatione; eratque anima illa in terra ita glorioſa & plena gaudens beatitudine quo ad partem ſuperiorem, ſicut modo in cœlo glorioſa perfruitur. Inferior verò pœnarum, quas nouimus, turbabatur alterationibus, & nunc in horto velut in diluuio mergitur: cernit etenim in ſe pœnarum aquas omnes exonerandas quas cœlum Patris æterni amor diſponit, & de terra furens hominum malitia & inſana diaboli deuoluit inuidia, quibus iam præfocandus erat & moriturus. Ceterum hoc eo modo vt illi pars illa ſuperior minimè ſubueniat, nec guttulam depluat conſolationis: quinimo pati permittat partem hanc inferiorem cruciatus adeo puros, vt nec illi ſuccurrat, nec velit Saluator admittere vel leuem quidem conſiderationem, quâ vel minimùm eius poſſet pœna mitigari. Perpende quantum hoc pelagus pœnarum fuerit abſque vllo ſolamine, cui moriturus immergitur. Heu Domine mi: quàm meritò vocare potes illos omnes qui mundi cardines obambulantes varia viderunt tormentorum pœnarumque genera & executiones ſententiarum immaniſſimas: vtrum ſit aliquis qui viderit aliquam aut pœnam aut anguſtiam quæ tuæ poſſit vel in minimo comparari:

Thren. 1. 12. *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* O Chriſtiane qui nullas tuis ſimiles arbitraris infirmitates & anguſtias. O vos omnes, qui veſtras calamitates & aduerſitates vt omnium extremas arbitramini, illas conſiderate.

Cum igitur Dominus hac ſupremâ torqueretur agonia ſæuiſſimis afflictus anguſtiis, omni reiectio ſolamine, quo poterat animam ſuam demulcere, ſaltem ex aliqua conſideratione partis ſuperioris quâ inferior mœſta leuaretur; ſic vt iã videretur illi vita terminanda: quia vires naturæ ſubminiſtrare non poterant tanto ferendo oneri pares: æterni Patris accurrit prouidentia, ſic Caietanus, angelum illi deſtinans qui aliquatenus deforis eum confortaret: non enim volebat Dominus vt pars illa ſuperior aliquod illi ſolamen adferret interius. Difficile dictu eſt qua ratione facta ſit hæc confortatio. D. Hieronymus *a.* D. Chryſoſtomus *b.* & D Gregorius *c.* non aliud dicunt, quàm non eſſe inconueniens concedere Chriſtum ab Angelo confortatum: quandoquidem certum ſit ſi ſuperior ipſe ſit angelis ſecundum naturam diuinam, quod illis ſit inferior ſecundum humanam, ſicut hoc expoſuit Pſalmiſta cuius verba appoſitè introducit Apoſtolus *Minuiſti eum paulo minus ab angelis.* Ipſo die Centurionis expendamus doctrinam Angelici Doctoris dicentis, quòd ſicut Dominus noſter noſtras voluit infirmitates accipere nobis ad ſalutem, eadem occaſione etiam aſſumpſerit affectum admirationis: etenim realiter verèque ſidem admiratus eſt Centurionis, licet inuoluere videatur imperfectionem, eo quòd admiratio ſupponat ignorantiam, quam à Chriſto longè propulſamus: Nihilominus vt perfectè fidẽ honoraret Centurionis verè voluit admirari: nam ad hoc naturæ conceſſit humanæ, vt quantum ad ſcientiam ſpectat experimentalem, non omnia ſciret, vt oſtendit Doctor Angelicus: qui ergo ex illa ratione permittere potuit in ſe paſſionem admirationis eius quod aduertit in Centurione, non repugnat quòd permittere potuerit Angelicam confortationem, qua parte natura ſua erat inferior Angelica.

Porrò eidem inhærendo argumento Caietani, fundando in illo ipſo quod ait D. Thomas, intelligendum eſt quòd Chriſto portas omnes occludente conſolationi, quæ ex parte ſuperiore animæ ſuæ poterat inferiorem adiuuare, adfuit Angelus exteriùs illi eadem repræſentans, quæ propria eius conſideratio poterat illi proponere interius. Nullò modò concedimus (inquit ille) potuiſſe diabolum tentare Chriſtum per ſuggeſtionem interiorem, in anima eius operando interiùs; bene tamen exterius, illi proponendo obiecta, quæ poterant mouere illius appetitum, qualia ſunt omnia regna mundi eorumque gloria; verba licet adferre Caietani, quæ profundam ſpirant Theologiam. *Oportet nunc ſupponere ex Damaſceno quod in Chriſto non fuerit redundantia inferiorum virium in ſuperiores, aut è conuerſo, ſed cuicunque permiſſum eſt agere quod ſuum erat: propter quod cruciatus Paſſionis Chriſti fuit valde magnus, vt ſanguis decurrens in terram teſtatur, & quia pars ſuperior non*

ridun-

*redundabat inferiorem. proceſſit ſuapte natura in tantum Cruciatus ille vt motum & ſenſum abſtuliſſet à corpore Chriſti aut valde impediſſet, ſed prouidentia diuina ſuppletum eſt per exteriorem confortatiuum ac ſi homo aliquis confortaſſet eum: ita quod ſicut tentatus fuit à diabolo exteriùs proponendo obiecta incitantia ad malum, ita confortatus eſt ab Angelo exterius proponente obiecta conſolatoria, quæ naturaliter ſunt propoſita confortare vires ac corpus, vt ſic quaſi frænum ex poſſibiliter propoſitis, cruciatui propaſſionis appoſitum ſit abextra, vt ſic inferior pars habuerit etiam in confortatione quod ſuum erat ab extra. Et hoc maximè monſtrat veritatem aut proprietatem humanæ naturæ in Chriſto.*

§. 40. *Confortauit Angelus Saluatorem, ſicut Ionathas Dauidem, & impletur Moyſi vaticinium.*

III. HÆc amplius expono dum noto non eſſe præter conſuetudinem, imò familiare vt minor maiorem confortet, ſeruus excitet Dominum, mulier virum conſoletur, quotidie contingit vt dum morbo laboras grauiori familiaris tibi vel etiam famulus qui nec tanti valet tantumque poteſt aut nouit, quantum tu, verbis te demulceat ſoleturque ſuauioribus: pariter ſi ſiniſtro caſu non parum affligaris, vxor tua te ſoletur, excitetque puſillanimem. Appoſitè profertur hic hiſtoria de Dauide. Cum enim grauiſſimè doleret ob intentatam ſibi & contumacem Saülis ſoceri ſui perſecutionem, & iam per auia & deſerta totus abſorptus triſtitiâ inops animi vagaretur, acceſſit illum Princeps Ionathas. *& confortauit manus eius in Deo, dixitque ei: ne timeas*, &c. Explicat Caietanus phraſim hanc: *& confortauit manus eius in Deo*, quaſi Dauidi multa proponeret de diuina prouidentia, quæ Deus de ipſo diſpoſuerat, & ſicut illum vnxerat in Regem ſic educeret pace multa & incolumitate gaudentem. Extra controuerſiam eſt plura de his nouiſſe Dauid quam Ionathan: Nihilominus hæc illo referente quæ Dauid non ignorabat, illum excitauit puſillanimem, deiectum animauit & infirmum confortauit. Hoc idem de Angelo mihi perſuadeo.

D.Greg. Hom. 26. in Euang. Credit Gerſon fuiſſe Gabrielem hic enim dicitur *fortitudo Dei*, & ait, D. Gregorius: *quæ ties aliquid miræ fortitudinis fieri occurrit, Gabriel mitti perhibetur*. verbū *apparuit ei*, declarat

venisse in figura humana viſibili pro vt diximus: Opinatur D. Epiphanius viſum fuiſſe ab Apoſtolis, quodque accedens ad Chriſtum coram illo in genua procubuerit, cumque vt verum Deum primò adorauerit: & ſtatim eundem vt hominem debilem confortauerit, illi locutus vt homini afflicto nimis, duo perficiens eodem ordine quô dixerat Moyſes. *Adorabunt eum Filij Dei, & confortent ipſum Angeli Dei.* Cœlorum princeps & Domine mi, legatus adsum à Patre tuo miſſus cœleſti, ex mea non venio auctoritate: graui etenim hoc mihi temeritati adſcriberetur ſed ex parte & commiſſione æterni Patris tui expreſſa. Rogaſti Domine mi: *Si poſſibile eſt tranſeat à me Calix iſte*, eius tibi nomine pronuntio: poſſibile non eſt. In mentem tibi veniat, dux illuſtriſſime, tuam hanc mortem à te ipſo cum Patre tuo Sanctoque Spiritu fuiſſe ab æterno determinatam. In mundum veniſti perfecturus opus Redemptionis, manum ad aratrum miſiſti, modo retro reſpicere macula foret indelebilis. Terribilis mors erit, fateor, horrendi cruciatus, calumniæ non ferendæ, crux ignominioſa; porrò maiores longè futuræ ſunt vtilitates, & gloria, quam inde tibi colliges vberiorem: verum eſt Domine mi, & Deus meus, matrem tuam Sanctiſſimam aliquo tempore ſuo filio dilectiſſimo orbandam, gregem tuum ſuo Paſtore, amicos tuos ſuo conſolatore, hoſtes verò tuos triumpho exultaturos: veruntamen & hæc conſidera ex illis triumphum reſurrectionis tuæ glorioſæ ſecuturum, qualem numquam videre vel ſperare quis poſſet. Tu moriens diuinæ ſatisfacies iuſtitiæ, miſericordia exaltabitur, mundus redimetur, mors mortua corruet; Pater tuus glorificabitur, cœlum inſtaurabitur, amici tui antiqui Patriarchæ quos modo limbus captiuos detinet, liberabuntur, Prophetæ tui veridici carceribus illis eripientur, tuumque nomen ſuper omne nomen glorioſum exaltabitur. O Domine mi, tua confuſione mundum ab illa reparabis, promiſſa tua exonerabis, verba tua & iuramenta complebis, tuamque confirmabis & teſtaberis veritatem. Non hoc te fugit, quod in diebus Noë arcum in nubibus multi colorem ſtatueris in ſignum iram Dei iam deferbuiſſe, & quo ſignificaretur, quòd tu ipſe arcus diuinus in cruce & aëre exaltatus, rubro tuo ſanguine purpureus, carnis tuæ vibicibus pallidus, & vmbra mortis faciei tuæ ſubniger, Patri tuo humanum genus eſſes reconciliaturus, atque perpetuæ futurus pacis indicium, quo

I. Quis fuerit Angelus Chriſtum confortans.

*Loc. cit.* *Deutero. 32. cit.*

II. Eius verba proponuntur.

furor illius téperetur, iuſtaq; ſedetur indignatio.

III. Aliorum Angelorum apparitio & deprecatio.

Ipſe veterem legem tot figuris ordinaſti eorum quæ paſſurus eſſes, & hæc omnia tua morte completa gaudebimus, nec iuſtum erat has ſemper manere vacuas. Domine mi ſanguine tuo terram rigabis, veruntamen quanta meſſis ex illo cœleſti rore progeniet? quantus Martyrum, Doctorum, Confeſſorum, virginumque numerus? quanta tibi gloria, quale Patri tuo regnum, & quanta electis tuis futura beatitudo? Has & alias imaginari poſſumus ſimili forma rationes ab Angelo Chriſto propoſitas: nec deſunt Doctores qui ſuſtinent cum Angelo Gabriele plures alios adueniſſe, quamuis hoc non dicat Euangeliſta, ſicut opinatur Albertus Magnus: quamuis in myſterio Incarnationis D. Lucas ſolum exprimat Gabrielem: credit tamen cum illo millia conuolaſſe Angelorum, qui dum Virgo ſuum præberet aſſenſum, vel ea hora quâ dandus erat, apparuerunt ei illum ab illa obnoxè rogantes ex nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, omnium Hyrarchiarum Angelorum, multitudinis Patriarcharum & Prophetarum, denique totius vniuerſi.

Hoc præſuppoſitô credendum eſt non ſolum angelum veniſſe Gabrielem ſed millenos alios: & quidem ille primus fuit qui ſolus in forma viſibili ſe manifeſtauit, poſtquam tamen cum Chriſto ſermonem abſoluerat, reliqui omnes in forma apparuerint humana & pari reuerentia proſtrati laudibus illum extulerint, manuſque eius in Deo confortauerint: & hoc quidem conformiter prædictæ Moyſi Prophetiæ: loquitur enim in plurali de filiis Dei & Angelis. *Adorabunt eum Filij Dei.* Nonnulli apparuerunt ab illo poſtulantes vt vltimum operi Redemptionis terminum imponeret, quem iam inchoauerat, eratque immenſæ illius bonitati ac miſericordiæ maximè conueniens; alij ex parte Prophetarum, alij ſub nomine Angelorum, alij ad humani generis inſtantiam preceſque ſupplices, alij veniebant ex parte humilitatis hæc illi proponentes: Domine, totus ecce mundus præſtulta nimis ſuperbia euanuit atque in ea ſuperbiæ princeps triumphat & pro voto dominatur: ſi coronam ſpinam capiti tuo aſſumpſeris, ſuperbiam de mundo eliminabis, & in eo plantabis humilitatem. Alios video nomine caſtitatis exorantes, Domine mi, totus ecce mundus igne libidinis exardeſcit, ſi in carne tua flagra ſuſtinueris, medium erit optimum quô pudicè caſtéq; viuant mortales, vitam aſſumant cæleſtem & Angelis digni conferantur. Alios audio ex parte charitatis: Domine mi, totus ecce mundus ſine miſericordia vt lapis obduruit, ſi te monſtraueris adeo benignum, vt clauis manus tuæ terebrentur, charitatem addiſcent & liberalitatem; omnes autem contemplor pariter locutos: Domine mi, te nato in Bethlehem cæleſti aduentum tuum melodia celebrauimus, gloriam in altiſſimis Deo cecinimus, pacemque hominibus in terra annuntiauimus: modo his vltima tribuenda eſt perfectio, quandoquidem ex morte tua Deus glorificabitur, homines pacem obtinebunt, illi per ſanguinem tuum reconciliabuntur per quem illis cæli Ianua patebit, vt vacuæ ſedes, ex quibus multitudo cecidit Angelorum impleantur. Quo circa cuncti te mortales deprecantur, hoc à te omnes Angeli poſtulamus, Pater tuus hoc ſtatuit, ordinat & præcipit, *&c.*

His rationibus animus Chriſti proſtratus reuixit eo modo quô diximus, & videtur hoc præſignaſſe Dauid his verbis. *Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Quamuis autem Saluator noſter toto ſuæ vitæ curriculo amauerit iuſtitiam & odio habuerit peccatum; porro ſingulariter hac occaſione, prout infra manifeſtat. Boni proprium eſt bonum diligere & malum abominari idque tanto magis quantò ſunt meliores, Erat Chriſtus infinitè bonus, vnde odio quaſi infinito proſecutus eſt peccatum, & ſancto amore iuſtitiam idque in tantum vt opus fuerit adferre illi cordis confortatiuum alioqui præfocando; eo modo quô cordi ſubuenitur humoribus grauioribus oppreſſô: Conferuntur enim vnctiones ex floribus mali aurei & buxiorum quibus roboretur, & temperetur anguſtia, quâ nimis ex humoribus opprimitur. Hoc amplius exponitur dum ratio agoniæ Chriſti producitur, nempe contritio ſcelerum noſtrorum amariſſima.

§. 41. Factus in agonia prolixius orabat, & factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſãguinis. *Agoniã paſſus eſt Dominus primò ex conſideratione ſcelerum in ſe irruentium impetu grauiori, quàm ſaxa præcelſæ turris, vel rupes montis altiſſimi.*

42 MYſteria ſunt inſignia quæ hactenus declarauimus circa duas priores partes, orationis Dominicæ, principium & medium eius atque Angeli confortationem; porro profundiſſima continet Sacramenta pars vltima quã finem illi impoſuit illumque deſcribit Euangeliſta Lucas; cuius concluſionem & epilogum ait eſſe, quod feruentiùs & diutiùs orauerit, grauioribus anguſtiis & mortali oppreſſus agonia, eaque tanta vt guttas ſanguinis ſudaret adeo copioſas, vt de corpore eius Sanctiſſimo velut riuuli deffluerent terram irrigantes. *Et factus in agonia prolixius orabat, & factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Prolixæ fuerunt priores duæ partes orationis ſingulæ vnius horæ vel paulo minus, tertia & vltima prolixior multò fuit & horam tranſiit, idque eo modo, vt quando Dominus abſolutâ cœnâ egreſſus eſt de Hieruſalem hora noctis eſſet octauâ, accederet ad hortum ad medium nonæ & ante nonam orationem incœpit in qua perſeuerauit vſque ad decimam. Secunda vice vſque ad vndecimam; cumque eſſet tertia vice reuerſus ad orationem, facta eſt illi apparitio & confortatio Angeli, quo diſparente orationem repetiit vſque ad mediam noctem completam, cum ſurrexit ab oratione & obuiam proceſſit illis à quibus prænouerat ſe capiendum. Dicitur hoc ex confeſſione ordinaria Eccleſiæ hora nempe matutina mediæ noctis captum fuiſſe Dominum. Hora quâ tenebræ ſunt obſcuriores: tunc etenim magis palpabiles fuerunt illæ quibus infelix illa ciuitas immerſa iacuit, quàm illa quibus olim Ægyptus ingemuit inuoluta. Media nocte aggreſſus eſt Patriarcha Iacob Angelum quocum luctatus eſt ita fortiter atque ex vna in alteram deffexit partem, vt inde femore claudus euaſerit: eadem hora populus Iudaicus ex eius deſcendens familia manum iniecit ſummi conſilii Angelo, & quaſi cum eo luctatus hac & illac traxit ad diuerſa variaque tribunalia cum proſtraturus, ex quo populus ille tantam contraxit pedum claudicationem, quantam in illo conſpicimus. Conceptus hic eſt D. Auguſtini quem alio loco trutinauimus.

Mediæ noctis ſilentio ſolebat Deus brachia manuſque attollere liberas & ſolutas contra humanum genus: etenim horâ eâ in perſona duorum Angelorum venit, igne & ſulphure Sodomam euerſurus adeo tremendo exitu, vt in cineres conuerterit eius ciuitates. Eadem hora tranſiit in figura Angeli percutientis, omnes occidendo primogenitos nedum hominum ſed & animalium, à primogenito viliſſimi animalis vſque ad Regis primogenitum, iuxta illud quod dixerat. *Et tranſibo nocte illa per terram Ægypti percutiamque omne primogenitum in terra Ægypti ab homine vſque ad pecus.* Eâdem hora cuncta ſubuertit dæmonia quæ paſſim per Ægyptum adorabantur: hoc enim credit D. Hieronymus verbis illis indicari: *In nocte illa, in cunctis Dÿs Ægypti faciam iudicia:* quod confirmatur ex Caietano propter hoc quod addit: *Ego Dominus*: nam in Hebræo nomen ſcribitur ineffabile Dei, quô ſignatur ipſum ſolum eſſe verum Deum. Eâdem horâ in terram proſtrauit idôla quæ Philiſthijm colebant in ſimulacro Dagon: etenim nocte humi deiecit ſimulacrum quod cum Philiſthijm erexiſſent & loco ſuo reſtituiſſent, ecce altera nocte in partes confregit. Eâdem horâ angeli miniſterio ita liberè gladium explicauit, vt centum octoginta quinque millia proſterneret de exercitu Regis blaſphemi Sennacherib quibus vrbem Ieruſalem obſidebat vltimoque diſcrimini exponebat: *In nocte illa venit Angelus Domini & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia.* Itaque media nocte Deus manus ſuas attollebat liberrimè contra inimicos ſuos homines & dæmonia. Eâdem horâ illas tradit ijs omnibus quas capiant & ligent, eorumque ſe tradit manibus libera data facultate quatenus homines & diaboli illas contra eum liberrimè moueant: hoc etenim ſignificauit dum eâdem horâ dixit illis: *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum.*

L. 16. de ciuit. c. 3.
Ho 7.
Nu. 20. & ſeq.
1.
Mediæ noctis tempus attenditur.
Exod 12. 12.
Epiſt. ad Fabiol. apud Lypoman.
Xod. 12.
4. Reg. 19. 35.
Luc. 22. 53

Porro non eſt præuenire myſteria, quando quidem præſentia orationis eius quæ declaramus, abyſſus ſit eorum inſcrutabilis, quorum primum eſt, quod confeſtim oculis occurrit excutiendum. Si apparuit angelus in figura humana, quia conſolaturus veniebat, & confortaturus Dominum ſecundum ☞ 104.

 naturam

II. Vtrum agonia præceſſerit aduentum Angeli.

naturam ſuam humanam, & realiter eum confortauit eo modo quô diximus: quomodo ſubiungit Euangeliſta eo tempore mortali Chriſtum oppreſſum agonia, & feruentiùs ac prolixius inſtitiſſe orationi, tantamque fuiſſe interiorem ſui cordis anguſtiam, vt ſanguinem ſudauerit tanta vbertate, vt guttatim in terram defluens ipſam vt rore purpureo maleſaceret? hôc conceſsô videtur non tantum eum Angelica confortatione non fuiſſe roboratum; imò potius anguſtias pœnaſque illi accreuiſſe grauiores. Idcircò nonnulli arbitrantur hanc agoniam & ſanguineum ſudorem ante aduentum Angeli contigiſſe, quo adueniente & demum diſparente ſtatim Dominus ab oratione ſurrexit totus animo confortatus, quò prodiret obuiam inimicos excepturus à quibus caperetur, captuſque occideretur: huic ego fidem non adhibeo ſed eodem credo ordine contigiſſe, quô narrat Euangeliſta, & explicauimus, cauſas ponderando huius extremæ agoniæ & ſudoris inſoliti. Realiter Angelus Dominum confortauit vt declaratum eſt, porrò cum determinatione bibendi calicem, & tradendi ſe ad hoc poteſtati inimicorum, hominum & dæmonum, vt in corpore ſuo amaras & horrendas paſſionis ſuæ pœnas ſuſtineret, ſeipſum perfectiùs tradens quam olim Iob (quandoquidem ille tantum traditus fuerit, vt in eum agere potuerint quo ad corpus & facultates ſed cum vitæ reſeruatione, Chriſtus autem abſque vlla reſeruatione) primò: voluit, vt ſupra diximus, pati manibus ſuæ imaginationis in anima interiùs. Quamuis autẽ cœperit ab initio orationis ſuæ timore illo pauore mentiſque triſtitia, pro vt explicauimus, nunc tamen in vltima illa hora ſibi reſidua grauius pati voluit & acerbiores in anima ſuſtinere cruciatus, illoſque interiùs experiri quos poſtmodum in corpore tolerabat exteriùs.

Notat Apoſtolus opus quod Deus de veteri tabernaculo, & propitiatorio diſpoſuit, quod bis fieri decreuit: primò: ipſo cum Moyſe ſolo exiſtente, diuini ſui digiti viribus: illo namque formam eius tradidit Moyſi delineatam: ſecundò: per manus operariorum, vt ſcindendo, texendo, & laborando illud perficerent iuxta exemplar & prototypon, quod Moyſi exhibens illi

Hebr. 8. 5. Exod. 25. 40.

ait: *Omnia facito ſecundum exemplar, quod tibi monſtratum eſt in monte.* Tabernaculum diuinum, & illuſtre propitiatorium Chriſtus eſt crucifixus: etenim vt tale tibi Pater æternus illum deſignauit iuxta Apoſtolorum ſuorum ſententiam. *Quem propoſuit propitiationem per fidem in ſanguine ipſius. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.* Bis voluit ędificari: primò: cum ſolus eſſet in horto ſuæ imaginationis efficaciſſimo digito, cuius opus interius in anima ſua perficit, quidquid paſſurus erat deſignans, & ita viuaciter, ac ſi reipſa pateretur. Secundò: per manus immanium illorum operariorum, qui omnes iſtas partes integrè perficiunt: ita vt tanta reperiatur vtriuſque conformitas, vt quidquid illi elaboraturi ſunt, prius ipſe viderit, conſiderauerit, decreuerit & acceptauerit, circa quod altero die myſteria declarauimus ſingularia.

Ro. 3. 1. Ioa. 2.

III.

Vt hoc pateretur, ſicut illud propriæ eius perſonæ manibus fiebat quæ creaturarum omnium vires longè ſuperabant, pœnas ſuſcepit & anguſtias, quibus cum creaturæ omnes non poterant torquere grauioribus. Argumentum omnino ſublime veneror quo D. Thomas illud explicat. Nemo dubitat (inquit) quin pœnæ ac cruciatus quos Dominus pertulit, fuerint voluntarij: nam ipſe illos aſſumpſit proprio motus voluntate: nam in hoc domeſtice nota eſt D. Auguſtini doctrina: *Hos humanæ infirmitatis affectus, ſicut ipſam carnem infirmitatis humanæ, ac mortem carnis humanæ, Dominus Ieſus, non conditionis neceſſitate, ſed miſerationis voluntate ſuſcepit.* Conſideratio hæc ad feruentiſſimam tanti beneficij gratitudinem tenerrimè permouit D. Ambroſium & D. Bernardum. Cum Dominus hic eſſet ſapientiâ præclariſſimus, quandoquidem dolores illos & anguſtias acceperit, finem aliquem intendebat, & tales quidem erat accepturus, qui illi fini eſſent maximè conuenientes. Finis hic erat [illegible] grè ſoluere, & abundanti exceſſu, omnes illos cruciatus, quibus omnia mortalium peccata ferendis erant obſtricta, facta, & fieri poſſibilia, ipſoſque Deo reconciliare, atque eorum meritis omnia illis adipiſci regna æterna, cœleſteſque diuitias quarum valor & dignitas eſt infinita. Tales igitur dolores aſſumere debebat & anguſtias, quæ reſponderent illis, quas peccata merebantur, & bona infinita gratiæ & gloriæ mererentur. Idcircò certum eſt excedere debuiſſe quotquot omnes homines pati ſufficerent: attende quales forent illi cruciatus. *Quarto poteſt conſiderari magnitudo doloris Chriſti patientis* (inquit D. Doctor) *ex hoc quòd paſſio illa & dolor à Chriſto fuerunt aſſumpti voluntariè propter finem liberationis hominum à peccato; & ideo tantam quantitatem doloris aſſumpſit quæ eſſet proportionata magnitudini fructus, qui inde ſequebatur, vnde dolor Chriſti fuit maximus.*

Cum

Cum igitur Chriſtus manibus propriæ ſuæ perſonæ pati decernat, vel melius imaginatione, & animæ ſuæ conſiderationis, illam viuaciter in peccata mundi reflexit, illaque perpendit, quaſi cateruatim in illum irruerent, & hæc prima fuit ratio agoniæ. Catholicè verèque loquimur, dum dicimus Patrem æternum filio impoſuiſſe Chriſto omnia mortalium peccata, qui fuerunt, ſunt, vel erunt, nedum originale, ſed omnia mortalia, venialia, quæcumque commiſſa ſunt à primo peccato Adam vſque ad vltimum in mundo committendum: non quo ad culpam, quo in illum cadere non poterat; ſed quantum ad pœnam, quam ſubiturus erat tantam quâ tam pro illis par erat ſuſtineri. *Poſuit Deus in eo iniquitatem omnium noſtrûm.* Alia littera legit. *Irruere fecit in eum iniquitates omnium.* Fecit vt cateruatim irruerent in eum omnia mortalium omnium peccata. Quanto grauaretur ille cruciatu, ſi cerneret in ſe turrim integram irruentem maximis & propemodum infinitis conſtructam lapidibus de montibus exciſis & elaboratis, omneſque ſuper eum ruituros, adeo graues, vt eorum minimus conterere & commolere ſufficeret gigantem omnium fortiſſimum? Multitudo peccatorum turris eſt immenſa, lapidibus compacta grauiſſimis, quorum vel minimus poſſet atterere, complanare, & eneruare vires totius naturæ vel maximas, nec ipſos excipio Seraphinos: quandoquidem in illis omnibus ſimul iunctis, potentia tanta non eſt, quâ vel vnum ſuſtineant, vel integrè ſatisfaciant pro minimo peccato veniali. Pondus peccati adeo graue eſt, vt vnica cogitatio, quæ Angeli ſupremi inuaſit intellectum, & mille millium aliorum aſſeclarum, ipſum omneſque ceteros effecerit adeo graues, vt illos nequiret cœlum ſuſtinere, cum tale ſit quale deſcribit amicus Iob inſtar æris ſolidiſſimum. *Cœli quaſi ære firmiſſimi ſolidati ſunt.* Deinde cum Angelus ceteriqque ex natura ſua, & ſine ipſa cogitatione leuiores, ceciderunt attamen abſque vlla mora feſtinantiſſimè in profundum inferni, quos tandem pondus hoc ita conſtrictos coarctat, vt nunquam illud valeant euincere, nec à ſe dimouere, nec de ſub eo ad auras vitæ proſilire.

Eſai. 53. 6.

V. Chriſtus omnia in ſe peccata ſuſcepit.

Iob 37. 18.

Admiremur omnes verba Iſaiæ vaticinantis, ex iudicio D. Ambroſij ac prædicêtis quod peccatoribus in die iudicij eſt euenturum, quos ipſe terram appellat *Grauabit eum iniquitas ſua, & corruet & non adiciet vt reſurgat*: quibus verbis reproborum exponit caſum in abyſſum inferni, in quam cadent, & lapſi ac proſtrati remanebût, vt in æternum ſe nequeant expedire, coarctabit autem eorum ſingulos propria ſcelerum ſuorum infinita grauitas. *Grauabit eum iniquitas ſua.* Itaque damnatorum ſinguli ſub onere peccati ſui corruent, ſic vt in æternum ex illo caſu aſſurgere ſit impoſſibile. Si vel vnum peccatum tam immenſi ſit ponderis, vt licet ſupremus omnium Angelus tanta polleat fortitudine, vt ex parte ſua valeat velut pila ludere cum toto illo mundi globo, & altiſſimos ac extenſiſſimos precipitare ea facilitate quâ tu lapillum, quantum erit peccatorum mundi pondus omnium? Quàm immenſum? quàm graue? Quàm plus ſatis vt comminuat id omne ſuper quod ceciderit?

2. de Elia & ieiu. c. [illegible]

VI. Peccati grauitas.

exponitur

Hoc immenſum adeo pondus illud ipſum eſt, quod Pater cœleſtis filij ſui humeris ferendum impoſuit, omnia peccata Iudæorum, Gentilium, Maurorum Hæreticorum, Arabum, malorum Chriſtianorum, eorum qui ipſum crucifigebant, Pilati, qui mortis tulit in eum ſententiam, Herodis à quo deridetur, Phariſæorum & Scribarum, qui tradiderunt illum, mortemque procurârunt, Iudæ venditoris: verè etenim ac realiter impoſuit Saluatori pœnam ſuſtinendam, quàm omnia hæc peccata merebantur, & pati corû rei tenebantur. Hanc modo contemplatur turrim criminum & iniquitatum in ſe irruentem, nec vllum eſſe peccati lapillum, qui perſonam ſuam, humeruſq; non grauet, pondus hoc attendit tam immenſum. O bone Deus, & quis animus illa perpendere ſufficiebat? Moliuntur illa capita ſine cerebro turrim ædificare Babylonicam, quiſque ſuum deferebat lapidum calciſque pondus adeo moleſtum, vt ſingulorũ vires eneruaret. Si pondus quo decem grauabantur, vni ferendum impoſuiſſent, quâ non anguſtia premeretur? Si ea quæ centum ferebant? ſi quæ mille? ſi totam cum omnibus lapidibus turrim? quis non illam conſpicatus ex mera deficeret agonia? quæ non ſuccumberent vires, & in terram corruerent tantæ molis ſolius intuitu? Suppone caſum decẽ prædones ob enormia facinora ſua morti adiudicatos eſſe ignominioſæ: quiſque tantum percipit dolorem ex onere proprij ſupplicij, & opprobrij, vt oculis conſpiciens ſiue patibulũ ſiue theatrum animo deficiat, contremiſcat, viuum roſeumque perdat faciei colorem, & capilli capitis erigantur. Si cruciatus ac ignominia quam decẽ omnes perſentiunt vni ſoli ſuſtinenda ſtatuerẽtur, quantam eius animo triſtitiam adferrẽt & agoniam? Et ſi forent omnes centum reorum cruciatus? Et ſi mille? Et ſi myriadum? quænam vires adeo fortes, quæ huic non ſuccubuerunt onerj?

106

VII. Similitudine Chriſti declaratur agonia.

quas non anguſtias, quas non cauſarent agonias? ô Chriſte ſanctiſſime, quàm bene requirebantur, Domine mi, humeri tales, tamque fortes, quales tuos omnes agnoſcimus, vt illis ſuper imponeretur turris illa Babylonica peccatorum, quam homines ædificârunt, & pœnæ tolerarentur, quas tot ad mortem damnati ſuſtinere tenebantur: porro ſatis hinc liquet quantam anguſtiam, quantam ad ferre debuerint agoniam, dum eas omnes Dominus ſibi conſpicit irruentes ſic vt nec earum deſit vel minima.

Omnia claré & diſtincté peccata cognoſcit, & eorum omnium pœnam ſibi conſpicit inferendam, nec vno excepto, non originali, non mortali, non veniali, pro quo plené & integré non ſatisfaciat quantum eſt ex parte ſua: pariter conſiderat, quod ſicut nulla pars erat in corpore humanæ naturæ myſtico à culpa innoxia, ſic nec in ſuo naturali futura eſſet ſine pœna & cruciatu: non corpus, non anima, non ſenſus, non caput, non oculi, non pedes, non manus, non collum, non neruus, non arteria, non vena, ſed nec

VIII. Alia ſimilitudo. crinis capitis vel tenuiſſimus. Si te ligatum conſpiceres, atque in te irruerent innumera animalia venenoſa, hinc viperæ, inde dipſades, illinc leones, ex altera parte tigrides, ex alia tauri furioſi, feroces vrſi, & ſingula eorum ex parte ſua corpus tuum impugnarent, illa caput, hæc brachia, illa pedes, iſta ventrem, nonnulla in oculos conuolarent, quædam auribus irreperent, quàm grauiter affligereris? Eo modo Chriſtum conſidera quaſi præcepti Paterni ligatum obedientia, tantaque accurrere animalia truculenta, quanta illi ſe peccata objiciebant: ſcelera ſuperbiæ ſpinis caput affligunt, auaritiæ manus clauis terebrant, impudicitiæ corpus flagellis dilacerant, iræ collo funes injiciunt, gulæ felle & aceto inficiunt, inuidiæ cor horrendis torquent ignominiis, acediæ pedes harpaginibus vncisque transfigunt. Heu quanta triſtitia, quanta agonia, tribulatio quanta! Dicere tibi iure merito liceat Domine: *Circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus.*

Pſ.39.13. Si vnicum ſolummodo malum tanta te diſcruciet anguſtia, vnicum opprobrii verbum noctes reddat inſomnes, hoc ſciens quod publicæ ſis exponendus ignominiæ, cum terrenus ſis, miſerabilis, abjectus, & in anima ſtupidiſſimus & corpore: quid obſecro, quid in Chriſto hæc erant operatura?

In repræſentatione peccatorum omnium, cæteris eminebant peccata Iudæorum, electi populi ſui: cum enim illi reliquis ſtrictius obligarentur, & eſſent pro quorum redemptione ac ſalute primariò de cœlis deſcenderat, vocaretque in mundum Saluator; illi tamen erant qui in morte ſua culpam incurrerent grauiorem, manus in ejus ſanguine macularent, quos perpetuò beneficiis donisque largus enutrierat: & jam prævideret ea de cauſa per diuinam fore juſtitiam extirpandos, illoſque futuros eſſe qui ex ejus ſanguine reliquis minorem haurirent vtilitatem: Imo ipſi illum proterere conarentur. Sacrilegam attendebat Apoſtoli ſui proditionem ob quam æternum eſſet periturus: negationem ejus conſiderabat, quem Eccleſiæ ſuæ Principem elegerat; diſperſionem ouium ſibi chariſſimarum, potiſſimum autem Matris ſuæ pœnas inexplicabiles. Te judicem appello num illæ conſiderationes ſufficientes non fuerint, quibus anima illius extremas mortis perferret agonias, de quibus jam diximus, ea ponderantes quæ hujus occaſione D. Ambroſ. & D. Hieron. retulerunt.

§ 42. *Secundo: agoniam ſudoremque ſanguineum contritio cordis eius excitauit: mare dixeris, in quo demerſa ſunt peccata, ſicut in Ægypto locuſtæ.*

SEcunda ratio, quam aſſignat D. Thom. dolor fuit & omnium peccatorum, culparumque contritio. Sicut vero verius eſt Chriſtum nulla proprii peccati labe fuiſſe maculatum, ita verum quoque credimus, quòd ſibi totius mundi peccata impoſuerit pro eis integré ſatisfacturus, atque ex parte ſua remiſſionem eorum omnium obtenturus, eo prorſus modo, ac ſi ipſe cuncta perpetraſſet: nam iderrco illa ſua cognominat *Verba delictorum meorum.* Hæc ſecunda ratio ſequitur ex prima: nam quòd Pater æternus omnia illi peccata noſtra pondus impoſuerit, hoc ea voluntate fecit vt eorum immenſum ipſe debitum ſolueret, & integré ſatisfaceret, & omnium plenariam obtineret à Deo remiſſionem. Ad hoc ſcilicet primò requiritur dolor cordiſque contritio, quocirca illam excitauit, eamque adeo magnam & intenſam, vt cor ſuum hæc fortiùs multò quàm torcular comprimens, mortalem illi attulerit agoniam, qualem in eo vidimus. Hoc vates expoſuit Iſaias: cum enim dixiſſet à Patre cœleſti omnia illi noſtra impoſita crimina, ſubjungit: *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ip ſe portauit:* Hos dolores intelligit Doctor Angelicus, illos quos ſecum vera trahit contritio peccatorum. Septuaginta tranſtulerunt: *Ipſe*

*Ipſe peccata noſtra portat, & pro nobis dolet.* Suſcepit in ſe iniquitates noſtras pro illis ſatisfacturus, & conſecuturus remiſſionem, vnde contritionem elicuit feruentiſſimam, quæ illi viſcera penetraret. Adeo verum excitauit in ſe dolorem, teſte D. Thom. vt grauior fuerit ille, quem ipſe ſolus elicuit, quàm omnium pœnitentium, quotquot fuerunt in vnum congregati, vel vnquam in mundo poſſe futuros imaginamur, non tantùm extenſiuè, in quantum ſe dolor ad omnia peccata extenderit, ſed etiam intenſiuè ex moleſtia & magnitudine, qua cor ejus affligebatur. Et ratio ſumitur ex D. Thom. quia verus peccatorum dolor, viuaque contritio ex duobus naſcitur principiis. Vnum eſt gravitatis culpæ, & offenſæ Dei clara cognitio. Alterum amor Dei feruentiſſimus: etenim quantò quis alterum amore proſequitur intenſiori, tantò de offenſis in illum commiſſis dolore torquetur acerbiori. Hæc cognitio grauitatis culpæ & amor Dei, tantò fuit excellentior in Chriſto, quantò præclarior in eo creditur fuiſſe charitas & ſapientia, quæ cæteris præfulſit creaturis ſimul compoſitis. In pluribus ſanctis dolor hic ex illis duobus principiis tantus aliquando fuit, vt cor illis fortiter adeo conſtrinxerit, vt illud præfocârit, vitamque eis abſtulerit.

Notiſſimam refero hiſtoriam quæ contigit Apoſtolico noſtro prædicatori D. Vincentio Ferrarienſi dum Zamoræ Dei verbum diſſeminaret: vt cùm vidit binos nefandi peccati reos ad ſupplicium rapi comburendos, apud judicem obtinuit, vt antequam præfocarentur, & exurerentur eo loco ſtatuerentur, vbi ſuam poſſent audire concionem. Illos igitur velo contectos coram eo ſtatuerunt qui tanto cœpit feruore ſpiritus in peccatum illud adeo enorme debacchari & exclamare, vt finito ſermone, cum illos ad ſententiæ vellent deducere executionem, flammiſque tradere, remoto velo in carbones repererint immutatos. O prodigium! Hoc, inquit vir S. Dei fuit opus, illi ſit gloria, qui reis illis tam intenſam tribuit ſcelerum ſuorum contritionem, vt hæc illis corda & corpora grauiori exuſſerit violentia, quàm ignis potuiſſet ille materialis. Alius virum hunc Apoſtolico feruentem ſpiritu in Francia peccator intelligens enormis, de quo refert idem Dei famulus, quòd homines vt muſcas, occideret, ejus ſermone conuerſus & contritus, abeo petiit ſcelerum ſuorum poſſe facere confeſſionem. Auditis ejus peccatis, pœnitentiam illi injunxit ſeptennalem, erat que tanta illi culparum ſuarum cognitio, vt hæc illi leuis adeo videretur pœnitentia, vt diceret: Pater mi, an tibi perſuades hac me ſaluari poſſe pœnitentia? Cui ſic Deus famulus cognita ejus contritione: vtique fili mi, mihique ſufficit, vt triduò panis & aquæ ſerues jejunium: cui cum peccator replicaret, an poſſibile foret, tam exigua pœnitentia tantorum ſcelerum impetrare remiſſionem, reſpondit: Indubiè, fili mi, quinimo dico, quòd nec illam tibi præcipio, ſed tantummodò vt recites ter Pater noſter, tantuſque dolor eum arripuit ex immenſa Dei miſericordia, vt recitando primum Pater noſter ad pedes Confeſſarii mortuus corruerit, cui ſequenti nocte apparens ait: nec quidem ſemel tetigi purgatorium.

Quis verbis explicet anguſtiam D. Petri quando trinæ negationis ſuæ cognouit enormitatem? 108
Quis dolorem Magdalenæ peccatricis adeo vehementè vt dum adhuc ad Chriſti pedes conſiſteret eam jam ipſe conſpiciens inter Seraphinos amore flagrantiſſimos annumeraret: *Dilexit multum*? *Luc. 7. 47.*
Quis contritionem illorum intelligat pœnitentium, quos refert Ioan. Climachus, aliorumque quos quotidie demiramur? Noueris igitur ab illis omnibus contritionibus ad eam quæ Chriſti fuit, majus eſſe interuallum, quàm minimorum fluminum ad mare: etenim Chriſti contritio mare fuit incomprehenſibile, dicique poteſt illi: *Magna eſt velut mare contritio tua.* Primo ob magnitudinem, quia dolorem peccatorum omnium comprehendit, ſicut mare omnes fluvii hujus minores aquas & illius magni, & iſtius amplioris includit. Singuli pœnitentes ſuas continent aquas particulares doloris lacrymarum ſuorum tantum peccatorum. Hic dolore torquetur anxio ob commiſſas à ſe non dicendas impudicitias, quibus illi viſcera lancinantur, vt David & Magdalena. Ille perjuria ſua deflet, & veritatis abnegationem, quam tota vita cum D. Petro deplangit. Alius anguſtatur & execratur ſua contra Chriſtum facinora, quibus velut perpetuo clauo illi cordis intima terebrantur; Paulum vas electionis imitatus. Ceterum humani generis Salvator ſuo conctos corde dolores recepit, qua de cauſa ab Euangelico propheta, dicitur, *vir dolorum*, ſicut dicuntur à pſalmographo: *Viri divitiarum*, illi ſcilicet ad quorum arcas & ſcrinia omnia confluunt genera diuitiarum, ſuumque habent locum ſibi deputatum.

*D. Ioan Climac in ſcala ſpirit. c. 5.*

*Hierem. 2. 13.*

III. Chriſti contritio omnium excedit contritionem.

*Iſai. 53. 3.*
*Pſ. 75. 6.*

In Chriſtum Pater æternus omnia noſtra accumulauit peccata, quatenus velut in mari amariſſimo cuncta demergerentur ob doloris & contritionis, quam de omnibus concepit, magnitudinem, illud complens Michææ vaticinium: *Deponet iniquitate* *Mich. 7. 19.*

Micha. 7. 19.

*iniquitates noſtras, & proiiciet in profundū maris omnia peccata noſtra.* Verbum illud: *Deponet* in

IV. Verbi *Deponere* vis explicatur.

Hebræo propriè de illo dicitur qui poteſtate plenaria alicui præſidebat & imperabat ciuitati, vel regioni, ſuæ ſubiectæ diſpoſitioni, quando ab officio ſuo deiectus exautoratur: ea phraſi dicimus: talis ab officio vel dignitate vel regiminis auctoritate depoſitus eſt. Indicat Propheta Dominium, quo peccatū humano generi ſuperbum imperabat, & quanta premeret homines ſeruitute, quàm ſubiectos ſibi illos & demiſſos detinebat, vt ſe nequaquam huic poſſent eripere ſeruituti. David hoc in ſe expertus ingemiſcebat

Pſ. 37. 5.

*Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* Heu quàm graue iugum! Heu quàm feroces patiuntur homines tyrannos: porrò deponet omnes: *Deponet omnes iniquitates noſtras*: peccati regnum euertet cunctaſque exterminabit iniquitates. Et quomodo? *Proiiciet in profundum maris omnia peccata noſtra.*

Mare in quo peccata demerguntur & abſorbentur, dolor eſt eorum veraque contritio:

Ezech. 18. 21.

*In quacumque hora ingemuerit peccator, iniquitatum eius non recordabor amplius.* Quale erit profundum mare, in quo peccata omnia præfocantur?

V. Chriſti contritio mari confertur.

Mare contritionis & doloris, quo Chriſtus omnes deplanxit, luxitque iniquitates Si quid ſapio hiſtoriam tangit Propheta celeberrimam à Spiritu S. in Exodo exaratam. Enatæ ſunt Pharaôni ad flagellum in Ægypto locuſtæ de calore terræ, tanta multitudine, tantaque malignitate, vt momento temporis deuaſtarent quidquid viride terra produxerat, in arboribus, campis, & montibus Locuſtæ aſcenderunt ſuper totam terram Ægypti, & ſederunt in cunctis finibus Ægyptiorum vaſtantes omnia. &c. ſignū aliquod dum Pharao promittit contritionis:

Exod. 10. 14.

*Dominus flare fecit ventum ab Occidēte vehementiſſimum, & acceptam locuſtam proiecit in mare rubrum: non remanſit ne vna quidem in cunctis finibus Ægypti* Quid opus Deo fuit hoc ſtratagemate, quo terram hic locuſtis plagaque emundaret? An delere non poterat locuſtam & efficere, vt ibidem ipſa deficeret, vbi nata prodierat? In terra ex eius æſtu naſcitur, vult autem vt in mare deiecta præfocetur. Ex quo fine tam vniuerſalis exſtirpario, vt dicatur ne vna quidem ſuperfuiſſe, quæ mari hoc ſubmerſa non interierit. Cœleſtia ſunt hæc myſteria, quæ Dominus his intimauit.

☞ 109

Jacob 1. 15 Gala. 5. 19

Omnino ſingulare peccati ſymbolum locuſta deſcribitur, quod ex calore concupiſcentiæ feruentiſſimo naſcatur, de maledicta Ægypti terra, noſtra inquam, natura *Concupiſcentia parit peccatum* (aſſerit D. Iacob.) *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, luxuria*: &c. teſtatur Apoſtolus. Hæc illa locuſta eſt, quæ depaſcitur omne viride, quia tollit omne meritum, quo locuples erat anima, in quo Dei gratia conſortata fiduciam ſuam ſpemque collocabat. Hæc eſt locuſta, quæ aſcendit, totamque terram Ægypti mordax occupauit, ac ſedem in ea fixit: quia peccatum omnibus dominabatur hominibus. Quid remedij? Spiret ab occidente ventus dilectionis Dei: *Sic Deus dilexit mundum* &c. Omnes has locuſtas proiecit in mare rubrū, paſſionis Chriſti, pelagus amariſſimum: omnes etenim illi impoſuit: *Deponet omnes iniquitates noſtras*: nam aquis contritionis ſuæ & doloris amarioribus omnes abſorbentur, intereunt, nec amplius coram Deo apparent, ne vel vna quidem minima: ſi namque contritio peccatoris ſuas omnia eius demergunt peccata, vt iam in conſpectu Dei non appareant amplius *Iniquitatum eius non recordabor amplius*: In hoc mari magno, ipſoque Oceano profundiori quid dubitamus quin omnia demergantur.

Secundò: dicitur hæc Chriſti contritio pelagus: ſicut enim omnia flumina profluūt de mari, ſic omnes ſanctorum contritiones procedunt, & traxerunt ſuam originem, principium ac virtutem ex perfecta illa Chriſti contritione. Si ergo illæ tam exiguæ reſpectu illius, tantas excitarunt anguſtias & agonias, vt ſaltem aquas de corde per oculos eduxerint abundantes: qualem quantamque illa potuit in corde Chriſti prouocare anguſtiam, quantumque illum excruciare? Ecce nedum aquas per oculos diſtillat, ſed ſanguinem adeo copioſum vt terram valeat irrigare. *Factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Euidenter modò conſtat, & per hoc intelligitur, quod ad oculum ſpectamus, quod Iſaias ait: *Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Quia in corpore flagellis cæſus eſt, ſpinis, clauis, verberibus, alapis: & in anima attritus fuit dolore & contritione: ea etenim eſt de qua dicitur, quòd conterat cordis intima & comminuat, Vide an hoc verum non ſit, cum tam copioſum eernis de corpore eius dimanare ſanguinem: non illum iam verbera, non claui, non ſpinæ, non flagra eiiciunt, quibus caro eius atteritur: hunc extrahit dolor amariſſimus, quo cor illi conteritur & quaſi torculari concluſum fortius coarctatur. Vuæ torculari iniiciuntur, pilis conteruntur, & vinum gurgite defluit vbertimo. Po-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſuit Pater æternus ſuper Chriſtum omnia peccata, vt pro illis integrè ſatisfaceret: vnde ſic
Pſ. 87.4. per Dauidem loquitur: *Repleta eſt malis anima mea*: Repleta, inquam, omnia namque in eum confluxerunt. Angunt ipſum tormenta contritionis, doloriſque cordis: quid mirum, ſi tanto ſuat impetu vinum illud ſanguinis ſui pretioſi? Hic oſtendit quanta vi dolor hic eius viſcera conſtringeret: Toto de corpore manabat ſudor
D. Bern. ſerm. 3. Domin. in Ramis palm. ſanguineus, vt guttæ, teſte D. Bern. quaſi pro omnibus lacrymis fleret ipſe ſanguineis: *Vbi non ſolis oculis, ſed quaſi membris omnibus fleuiſſe videtur vt totum corpus eius, quod eſt Eccleſia, totius corporis ſui lacrymis purgaretur*, &c.

*§. 43. Tertiò: Proceſſit hæc agonia ſudorque ſanguineus ex verecundia de peccatis, quibus ſe cernebat grauatum, quæ probatur ipſo præcedente timore efficacior: notate myſterium.*

☞ 110 HVic cauſæ alia copulatur, ea nempe, quod ſe Chriſtus reum contemplatur coram ſtrictiſſimo Patris tribunali, peccatis omnibus noſtris indutum: vt olim magnus ille
Zach. 3.3. Pontifex Zacharias coram Deo veſtitus apparuit veſtibus ſordidis & maculatis; ſicut autem Saluator noſter ſummũ pro culpis omnibus paſſus eſt dolorem, ac ſi propriæ fuiſſent, ita ſupremam pati voluit verecundiam, ac ſi ipſe illas commiſiſſet, ipſe Patri perfidus fuiſſet ille proditor. O quantam hæc verecundia prouocauit agoniam!
I. Omnium maxima agonia damnatorum vt D. Baſilio credo, erit ipſa confuſio, quâ percellentur coram Domini huius adſtantes tribunali, quem grauiter offenderunt, ſtrictam exſpectantes ſententiam contra ſe proferendam, vt magis optarent ipſis montibus cooperiri, & complanari, quàm tantam pati debere confuſionem. Grauior erit pudor ipſo igne, &c. *Pauco gehennam*, (audio loquentem D. Bern.) *ſed pauco iudicis vultum*.
D. Bern. ſerm. 18. in Cant. ad med. Hæc vna fuit & quidem non inferior ratio agoniæ Chriſti, videre tot ſe grauatum ſceleribus, quæ licet aliena, tamen vt propria conſiderabat coram æterni Patris offenſi tribunali, qui iam paratus adſtabat ictum liberaturus ferociſſimum
Pſal. 17.5. tantorum cruciatuum, dolorum, mortiſq; ignominioſæ. Idcircò illud poterat Dauidis effari. *Dolores inferni circumdederunt me*. Si Dauid hoc diceret propria tantum peccata perpẽdens, quòd corã Deo conſiſtens, vires illi conciderent, nerui
Pſ. 37.4. diſſoluerentur, oſſaque contremiſcerent: *Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ, & non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum*: Quantò meliori iure dicere poterat hoc Chriſtus, grauatus nedum ipſius Dauid, ſed totius mundi ſceleribus? Declarat ipſe Dominus verecundiæ ſuæ grauitatẽ, dicens; quanta hæc eſſet, ſoli Patri ſuo eſſe manifeſtũ. Hunc opinor horum ſenſum eſſe verborum: *Tu ſcis reuerentiam meam*: Nam legit Pſ. 68. 20
D. Hier. *Verecundiam meam*: alij, *Ruborem meum*. Ex hoc pudore ſingulariter ſudor ille ſanguineus ex vultu totoque corpore dimanauit.

Hoc diſcrimen nouimus inter timorem & pudorem, quòd timor, vt docet Doctor Angelicus, ſanguinem de vultu, totoque corpore retrahat, & cor ſatagat cooperire: nam præ timore eius ſpiritus refrigeſcunt, vires langueſcunt, & tremore colliduntur: natura vt prudentiſſima tũc illo ſanguinem deſtinat, in partibus exiſtentem exterioribus, vt eius feruore foueatur. Vnde cernes alterum, ſi contra illum gladius euaginetur, quod timore in eum irruente, & eo commoto, facies illi tota palleſcat, corpus refrigeſcat, conſtringatur, & omni colore deſtituatur: ratio eſt: quia ſanguine priuatur, qui ſecedit interius. In verecundia contingit oppoſitum: etenim ſanguis ad partes proſilit exteriores, potiſſimum autem ad vultum. Quanto rubore perfunderis oblata tibi occaſione confuſionis? Dicis: tali tantus aſcendit color, vt in maxillis eius ignis valeat incendi. Hinc ardor ille, caloique, quem talibus occaſionibus in vultu, auribus, totóque corpore perſentiſcis. Hoc ex prouida dimanat naturę diſpoſitione: quia in verecundia partes patiuntur exteriores: quia patulæ ſunt et conſpicientibus: idcircò pars quæ grauiùs tolerat, vultus eſt, vtpote magis apertus & nudus: hinc ais: in vultu pudor. Vt autem his natura partibus ſubueniat, & potiſſimum maximè laborantibus, nempe faciei, quaſi velit illam contegere, velum illi ſanguineum obiicit, quaſi illam eo cooperiens: vnde facies ita maculis ex pudore notiſque conſpergitur, vt quis alius quandoque eſſe videatur.

II. Diſcrimẽ inter timorem & verecundiam.

Hoc ſuppoſito Chriſtum in horto conſidera noſtris omnibus oppreſſum nequitijs, quaſi propriæ fuiſſent quia ita pro illis ſatisfacere tenetur, ſuccumbens tormentis morte ſæua durioribus; atque quod ſic ſe præſentet ſeuero æterni Patris tribunali tanquam reum, vt eorum ſtrictam reddat illi rationẽ. Ex hoc concedit ex vna parte, vt talis in ſe timor excitetur mortis, quam ſibi cernit imminẽtem. Heu quàm ſeuera mors, heu quã amarus ille calix! Dicat: *Timor & tremor*

III. Chriſtũ opprimũt timor & verecundia.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Pſ.54.6. *venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ.* Ex altera verò verecundia naſcitur, dum ſe conſiderat in conſpectu ſupremi illius iudicis innumeris oneratum ſceleribus, quaſi propriis, maiori longè rubore, quàm quilibet Princeps ſi reus perueríæ in patrem Regem proditionis coram illo conſiſteret, eiuſque redditurus rationem, nec reſpondere quidem ſed pudore & rubore confuſus meritum exſpectaret pro tanto crimine ſuppliciũ. Magna eſt indubiè timoris pœna, cum ipſe tantam eam fateatur, vt mortalem illi prouocarit triſtitiam: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* vnde naturali motu ſe ſubducere cogebatur; & intelligo quòd ſanguis ad cor ſe retraheret, partes deſerens exteriores ſubueniens autem interioribus. Porrò grauior fuit pœna verecundiæ: quia ſuperueniente illâ deſtituit ſanguis, cor & partes interiores, quo ſe ex timore retraxerat, & reſiliit faciem coopertúrus parteſq; omnes exteriores corporis impetu adeo vehementi, vt perfregerit viamq; ſibi per poros aperuerit, & faciem contexerit totumque corpus ita efficaciter, vt in terram vſque deflueret. O quanta verecundia! O quanta confuſio! Meritò loquatur: *Confuſio cooperuit faciem meam.* Hinc quoque conclude quanta tibi ſit futura confuſio coram Deo in die iudicij tantorum reo peccatorum, ſi Dominus eo ſolum quòd ea in ſe ſuſceperat punienda tam horribilem patiatur verecundiam, quâ toto corpore ſanguinem effundat abundantem.

§. 44. *Tandem hanc agoniam ſudoremque prouocauit ſanguineum cordis robur, quod inuictus iſte dux declarauit: illud amoris igni vt ceram, de qua David, liquefecit, & quaſi in terebintho, de qua Sapiens, operatus eſt.*

☞ III. LIcet prædicta ita ſint, alteram tamen addimus Saluatoris agoniæ rationem: forte ſcilicet prœlium in corde interius, amoris & obedientiæ, timoris & pauoris, quod ipſe in ſe prouocauerat, cuique partem ſuam tradiderat ſuſtiuam. Hic cor retrahebat inſtigans vt mortem fugeret, amor autem illud excitat, vt eam

l 24. Mor. cap. 7. quærat & amplectatur. Et quamuis multi hanc negent decertationem, illam tamen admittit D. Gregor. eamque declaro Euangelico textui valde conformem. Quando humani generis aſſertor cum tribus diſcipulis ſuis receſſit, & ſuſcitauit, atque prouocauit in ſeipſo terribiles illos & horribiles triſtitiæ & pauoris affectus, de quibus egimus, noluit ſe ſtatim illis opponere, nec illos moderari, nec attemperare, nec ſolamen aliquod accipere, ſecundum D. Thom. vt locum tempuſque haberent ita perfectè, fortiterque cor ſuum affligendi: non ille declarat, illi vitam adimere ſufficiebant. Hoc dolore pœnaque perſeuerauit, permittens vt timor ille & mœror animam corpuſque cruciarent, & malum ſubire refugerent, ita vt Patrem deprecaretur inſtanter, ſi poſſibile eſſet à ſe calix iſte tranſiret.

Quando acceſſit Angelus eumque confortauit, tunc quâ potuit vi maxima ſe conſtanter oppoſuit illi metui, aliis obedientiæ & charitatis affectibus, iterum mortem acceptans. & per hoc grauiſſimum ac fortiſſimum ortum eſt in corde eius certamen inter obedientiam, & charitatem ex vna parte, quæ libenter acceptabant, volebant & optabant mortem: & timorem ex altera, illam recuſantem: ita vt prœlium tale numquam fuerit, quod poſſet, aut potuerit cor humanum anguſtia torquere grauiori. Itaque ſicut ille qui vires exerit fortiores, cruorem è naribus emittit, & auribus quemadmodum de eo intelleximus, qui manu arripere & detinere conatus eſt molendini rotam, toto impetu circumrotantem: ita Saluator conatus eſt pauoris metuſque vires cohibere, quæ tormentorũ mortiſque repræſentatione cor illi commoliebant, & quaſi in pila conterebant, illaſque cohibere actibus obedientiæ & charitatis fortiſſimi, volens & acceptans mortem hanc, ſeque diſponens, vt obuiam illi procederet eam quaſi vrus. Decantata eſt illa Ducis inuicti ſententia; vt cordis animoſitate, ita & intellectus ſapientia celebris. Caſus accidit illi valde extimeſcendus: toto cœpit corpore contremiſcere. Quid hoc Domine mi (quærunt adſtantes) tunc trepidas, tunc formidas, tunc palleſcis? Quinam ſunt hi timores, quos notamus, extremi? Metus non eſt, inquit, cor iis, ſed carnis: etenim tremit ipſa ex fortitudine, quam in illo conſpicit, nedum non timendo periculum, ſed illud aggredi deſiderando.

De nonnullis Dei famulis, carniſque ſuæ ſupra modum mortificatoribus intellexi, quòd aliquando corpus eorum inſolito horrore contremiſceret, ex animoſitate perterritum, quam in ſpiritu ſentiebat, qui iam decreuerat illud diſciplinis, verberibus, catenisque caſtigare: non minus quàm puerulus corã magiſtro ſuo, quem videt virgis armatum, & præcipientem vt ſe ad flagella denudet paretque excipienda. Robur hoc ſpiritus in Chriſto, ipſum eſt, quod carnem

cor

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

II. Sed cha-ritas ei-pulit ti-morem. cor agoniâ percellit, poros aperit, ſanguinem elicit, totoque corpore ſudorem hunc inauditum: tantumque fuit, vt omnino timorem euicerit, illum foras expellens, complens illud quod poſtmodum dixit D. Ioan. Euangel. *Perfecta charitas foras mittit timorem.* 1. Ioan. 4. 18. Conflictum hunc, vt opinor, in Canticis reperio, dum à Spiritu S. diuini illius ſponſi amor deſcribitur: Cant. 8. 6. *Fortis eſt vt mors dilectio, &c. Lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Tranſtulit Symmachus: *Impetus ignis, atque flammarum.* Sumit metaphoram à fabro ferrario; magnam hic fornaci inijcit aquæ copiam, quâ modico tempore calor ignisque refrigeſcit, qui prius incaleſcebat: porrò vires reparat tantoque ſtatim impetu fertur in aquam, vt eam omnino conſumat, tanta foras violentiâ viuaciſſimas euibrando flammas, vt omnia perfringant, ſeque ex omnibus partibus liquidò manifeſtent. Sic ſe res habuit in Chriſto: nam in fornacem cordis eius feruentiſſimam iniectæ ſunt aquæ timoris cum conſideratione horrendæ mortis & tormentorum adeo terribilium: vnde modico tempore robur illud quod ſe prius oſtentabat, latuit abſconditum. Heu quàm timidus! quàm meticuloſus, quàm animo fractus, quàm facie pronus deiectus in terram, quàm feruenter petit à morte liberari! Porrò Angelica confortatione roboratus, tali contra timorem fertur impetu, vt eum potius expellat, viuas rubeaſque eiaculetur foras ſanguinis flammas ardentiſſimi: *Impetus eius, impetus ignis.* Flammæ ſunt igneæ torrentes illi ſanguinei, quos amor euibrat ita vehementer, vt per totum diuinum hoc corpus dirumpant: ita vt amodo nedum Saluator non timuerit, ſed animum ſic ab omni habuerit pauore liberum, prout expediebat quatenus in hoc curſu paſſu feſtinaret ita giganteo, vt illum nullus iam timor valeret remorari.

Matt. 26. III. Chriſtus ſurgit ab oratione non pa-uidus. Hinc ortum eſt, vt quamuis ab oratione ſurrexerit totus ſanguine conſperſus, iam tamen omni reiecto timore & mortis formidine, ipſos excitet à ſomno diſcipulos, dicatque: horam iam imminere, ſciant nunc illos ſe expectare, quatenus apprehendatur: *Surgite, ecce qui me tradet prope eſt.* Ex hoc ſimiliter origine ſumpſit, quòd nunquam poſtmodum in toto paſſionis ſuæ decurſu commotus fuerit, non gemuerit, non expauerit, non ſe ſubduxerit, non tormentum aliquod quantumuis graue recuſarit, ſed nec conqueſtus fuerit: ſed inuicto & impauido prorſus animo carceres ſuſcepit, alapas, pugnos, calumnias, diſcurſus apud tot, & tàm iniquos, varioſque iudices, tanto ſimiliter robore magnanimus, ſuique conſtans, vt coram eis conſiſtens nec rogет, nec ſupplicet, nec queratur, nec tœdiũ oſtendat, nec fauorem expoſtulet, nec lacrymas effundat: quod Præſidem in ſummam ipſum rapuit admirationem: *Ita vt miraretur Præſes vehementer,* Matt. 27. 14. tam profundum notare ſe ſilentium, tantam manſuetudinem, animum imperturbatum, vt nec pro ſe reſpondeat, non contra ſuos querelas deponat accuſatores, non ſuam alleget innocentiam, non vnum quidem proferat verbum ad obiectorum excuſationem, extremo mortis contemptu, & tormentorum quæ patiebatur inaudita patientia, illud implẽs Iſaiæ vaticinium: *Quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.* Iſai. 53. 7. Et ſi taceat, non quia reus tacet, vel de culpa conuictus, ſed vt fortis mortiſque aſpernator, quam ipſe quærit & acceptat.

Certamen hoc contra timorem, quod charitas mouet & obedientia ita efficaciter, vt eum corde totaliter expellant, quod iam occupauerat, illud eſt quod prouocat agoniam, & poros aperit, vt toto corpore ſanguis affatim effundatur. O Sacramentum inſigne! O myſterium admirabile! O ſanguinem pretioſum, liquorem diuinum, oleum ſalutiferum noſtriſque ſanandis vulneribus efficaciſſimum. Eſt hic Chriſti ſan-
„ guis noſtrum omne remedium. Affirmat Domi-
„ nus Noë tranſacto diluuio iam amodo futurum
„ aquarum diluuium, quo mundus altera vice de-
„ mergatur, atque illi confœderationis paciſque
„ figuram arcum in nubibus ſtatuendum, vt in il-
„ lis fulgidus apparens, omnem ab hominibus tol-
„ leret mali ſuſpicionem, nec vltra formidarent
„ ſe diluuij fluctibus abſorbendos. *Arcum meum* Gen. 9.
„ *ponam in nubibus & erit ſignum inter me, & in* 13.
„ *ter terram*: Hoc eſt ſignum ſeu Dei ad nos reſ- IV.
„ fera ſecuritatis: *Eritque arcus meus in nubibus,* Chri-
„ *& videbo illum, & recordabor fœderis ſempiter-* ſti ſan-
„ *ni. Videbo illum.* Expendo cùm D. Cyprian. Dei guis
„ præceptum de Agno Paſchali: mandat populo nos
„ ſuo adhuc in Ægypto ſeruienti, vt eius ſangui- præ-
„ ne *liniant vtrumque poſtem. Sument de ſanguine* ſeruat.
„ *eius, ac ponent ſuper vtrumque poſtem, & in ſu-* Exod.
„ *perliminaribus domorum.* Arbitratur Caietan. 12. 7.
„ præcepi vtrumque liniri poſtem à ſummo vſque ibidem.
„ deorſum, & altiora ſuperliminaria foris. Ha- l. 2. te-
„ bes hic ex D. Cypriano figuram crucis, & quare? ſtimo.
„ *Erit autem ſanguis vobis in ſignum, in ædibus in* contra
„ *quibus eritis, & videbo ſanguinem, & tranſibo* Iudæ. c.
„ *vos, nec erit in vobis plaga diſperdens, quando per-* 22.

 *cuſſero* „

„ *cuſſero terram Ægypti ab homine vſque ad pecus.* „ Ego videbo: fiebat hoc miniſterio Angeli, quidam opinantur quòd bonus eſſet, & alii quòd malus. Domine, Num requiritur vt neceſſarium te vel Angelum videre ſignum hoc, vt quis in domo illa habitet, agnoſcatur, num Hebræus, num Ægyptius? Mea loqui volo formula: ſignum erit vobis: *Et erit vobis in ſignum.* Mihi verò videre ſanguinem illum, ſignum erit quod me diſponet, vt per illud reddamini à plagis immunes.

Hæc eſt illa myrrha precioſa, quæ diſtillat, redditque Chriſtum amabilem, de quo liceat hoc interpretari: *Myrrha & gutta & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te.* Hic multi punctum apponunt, notantque grauiores Doctores *Myrrham & guttam* idem eſſe: ſignificat enim aroma beneuinum dictum maioris æſtimationis, quod naſcitur de arbore precioſa in Arabia ſpontaneè, vt neceſſe non ſit ferire arborem, nam illam vi ſolius caloris foras expellit, quo arbor interiùs feruet, & deorſum de trunco decurrit. Hæc vocatur Myrrhæ gutta, nam eſt maximè precioſa, & dicitur in SS. litteris *ſpontanea*, quam Deus præcipiebat quæri ad compoſitionem thymiamatis. Hac amplius non effluente, demum cultello arborem diffindunt, & reliquus emanat liquor, qui licet ſit copioſus, non tamen adeo precioſus. Arbor diuina & cœleſtis de cœlo tranſplantata in terra Chriſte dilectiſſime, qui modò per ſolum charitatis calorem aroma illud effundis tui ſanguinis guttatim: *Sicut guttæ ſanguinis.* ſanguis fuit verus, nec in hoc quiſquam niſi infidelis dubitet, ſicut illud concludit anathematiſmus ille D. Athanaſii: *Si quis negauerit verum hominem, quem filius Dei aſſumpſit, ſanguinem ſudaſſe, Anathema ſit.* Vnde non dixit Euangeliſta, *ſicut ſanguis*, ſed *ſicut guttæ ſanguinis*: Quia quod egrediebatur, & effluebat, verus fuit ſanguis, ſed forma, qua defluxit, erat guttatim toto corpore; guttæ adeo craſſæ, vt continuo filo in terram vſque deciderent. In Græco legimus θρόμβοι; quod ſignificat guttas groſſiores, quas D. Irenæus vocat Globos ſanguinis. Et quid hunc miramur effectum agoniæ? Narrat Maldonatus auctor modernus fide digniſſimus quod dum annis proximè elapſis Pariſiis moram traheret, relatum acceperit eo tempore contigiſſe, cum viro robuſtiori mortis decretum fuiſſet indicatum; ſiue ratione agoniæ, ſiue violentiæ totus viſus fuerit ſanguine commaculatus. Quid non in Chriſto idem efficeret?

Ps. 44. 9.

V. Chriſtus Myrrhæ guttæ comparatur.

D. Athan. apud Sextum ſenen. l. 1. Bibliot. c. 12 in fine. Grat. l. 3. contr hæreſ. c. 32. in c. 26. Matth. verſ. 37.

Nunc igitur cum D. Hieron. guttatim ſanguinem effundit quem poſtmodum torrente profundit abundantiori: *Tam vehementer orabat Saluator* (verba ſunt D. Hieronymi) *vt guttæ* [illegible] *ſanguinis prorumperent ex parte, quem totum* [illegible] *erat paſſione fuſurus.* Modo guttatim deſluit, [illegible] ſtatim accurret ferrum, Domine, quo totum [illegible] tibi corpus diffindetur vt ne quidem tibi gutta [illegible] maneat reſidua, & figura impleatur, quam Deus [illegible] præmiſit in veſte Sacerdotis, quam voluit cocco [illegible] bis tincto componi. Supremi noſtri Sacerdotis [illegible] tunica, eius eſt ſanctiſſima humanitas: *Habitu* [illegible] *inuentus vt homo*; bis oportet vt tincta ſit cocco [illegible] ſanguinis ſui purpureo. Primò: in exordio [illegible] paſſionis, hoc ſudore ſanguineo. Secundò in reliquo flagellis, ſpinis & clauis, quos illi infigent duriſſimos. Precioſus eſt omnis hic liquor, porro guttæ illæ, Domine mi, quæ modo nullo ferieute ferro deſudant, & effluunt, ſed magis nimis abundantia per vim amoris fortiſſimam, te reddunt ſuper omnia gratum & amabilem: *Ex quibus delectauerunt te* &c. etenim illum qui tantæ non reſpondet gratus dilectioni, comprehendet tremenda illa Apoſtoli maledictio: *Si* [illegible] *quis non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema Maran Atha.* Quod ſignificat *in aduentu Domini.*

Quis amor huic fortitudini comparandus? Quis amor viuus adeo fortis & efficax, qui tanto cor caloris æſtu inflammet, vt ſudorem exprimat illi ſanguineum? Ecce, cum D. Iuſtino [illegible] Martyre completura Dauidis oraculum in pſalmo illo quo ad litteram de Chriſti paſſione loquitur: *Factum eſt cor meum tamquam cera liqueſcens, in medio ventris mei.* Difficilia credebat hæc verba D. Auguſt. hunc interpretatus pſalmum ad inſtantiam precesque amici ſui Honorati: quia phraſi ſcripturæ cor aliquod dicunt [illegible] liqueſcere, cum deficit, ſe ſubmittit, & vtcilliſſimè animuſque collabuntur: hoc etenim eſt quod dicitur: *Diſſolutum eſt cor meum.* Quomodo igitur poterat hoc de Chriſto intelligi, quòd cor illi [illegible] cera liqueſceret, cui robur numquam defuit, numquam potentia? Præſtat audire ipſum Auguſtinum: *Non niſi magno pauore contingit, vt cor velut cera liqueſcat humanum, quod vnde in illo fieri poſſit, qui poteſtatem habebat ponendi & recipiendi animam ſuam?* Secundum hoc, reſpondet D. Auguſt. neceſſariò debet intelligi de Chriſto, non in propria perſona, ſed de membris eius, id eſt Eccleſia. Porro D. Iuſtinus illa capit de ipſa perſona Chriſti, & vera confirmat in præſenti hiſtoria: etenim cor illius ardentiſſimo amoris igne ſuccenſum liquefactum eſt, eo modo quo cera ante faciem ignis diſſoluitur: *Sicut fluit cera à facie*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*à ſuis ignis.* Quod ſi videre velis liquefactum, ecce qua ratione ſanguis eius per poros effluat abundanter, & tam efficacis ignis vires admirare.

Comparat ſe Chriſtus Dei ſapientia Terebintho. *Ego quaſi Terebinthus extendi ramos meos & rami mei honoris & gratiæ.* Therebinthus arbor eſt celeberrima in SS. litteris: tam ex ratione ramorum quos latiſſime extendit, ſub quibus volucres cœli & animalia ſe recipiunt, eo tempore quo tempeſtatum timore perterrentur: quàm ex eo quod guttas quaſdam rubeas virtutis diſtillet efficacis, ſanandis vulneribus præſentiſſimas; vnde inter valde pretioſa quæ Iacob vir capulatis Ægypti Protegi mittebat (filio ſuo ſed incognito) magnam etiam miſit terebinthi quantitatem, vt notat S. Scriptura. cumque ante hæc idem Iacob adhuc ætate robuſtior idola vellet exterminare quæ ſecum vxores ſuæ ac famuli de domo Laban ſoceri ſui detulerant, omnia tulit atque ad radices infodit terebinthi prope Sichem. Educitur gummi illud pretioſum, ignē radicibus eius immittendo, & vi caloris liquor ille defluit inæſtimabilis, & deforis guttatim extractus guttatim tantâ defluit abundantiâ; vt in terram vſque manare videatur. O Terebinthe ſanctiſſime cuius rami ſic longè latèque diffunduntur, vt omnes ſub eis refrigerium vmbramque inueniant optatiſſimam: omnes ſunt honorifici, omnes vtiles, omneſque ſalutiferi: *Rami mei honoris & gratiæ.* Omnibus tempeſtate iactatis: *Venite ad me omnes qui laboratis, & ego reficiam vos.*

Eccli 24. 22.

VIII. Chriſtus terebintho aſſimilatur.

Matth 11. 28.

Illic inuenit cœcus viſum, ſurdus auditum, mutus loquelam, leproſus munditiem, infirmus valetudinem, claudus membrorum agilitatem, imo defuncti reſurrectionem. Porro ceteris hoc palmam eripit, quòd in ſe rubeam contineat terebinthinam ſui ſanguinis inæſtimabilem cunctis ſanandis languoribus efficaciſſimam: *Sanguis Ieſu Chriſti filij eius emundat nos ab omni peccato.* Quis illum educet niſi amoris ignis ardentiſſimus, & quauis flammâ feruentior? Vires aliæ non fuiſſent efficaces, licet creaturarum omnium & in cœlo & in terra coniungerentur. Ignis hic radices inuadit animæ, voluntatem inquam, eamque ita feruenter accendit, vt te ſpectante terebinthinam eliciat, & ſi guttatim, tanta tamen vbertate, vt deducat in terram vſq; torrentes abundantiſſimos: *Sicut gutta ſanguinis decurrentis in terram.* Defluat Domine mi, ad terram vſque: ſi namque per peccatum maledictionem incurrerit, quâ percuſſa non niſi ſpinas germinat & tribulos, iam tuo ſit ſanguine conſecrata, vt modò benedicta lilia, roſas floreſque germinet, Apoſtolos intelligo, Martyres, Doctores, Virgines, ſanctoſque innumerabiles, qui velut flores odoriferi, ac diuerſicolores cœlos Deumque lætificent. In terram vſque decurrat: etenim ſi hic ſepulta iacent noſtrorum idola criminum, & affectionum, hoc conſperſa ſanguineo ſudore deleantur, exterminentur, & annihilentur. In terram vſque dilabatur, vt hoc terra compluta rore in cœlum tranſmutetur.

114 ☞

1 Ioan. 1. 7.

Infirmi accurrite liquorem hunc rubeum & gummi collecturi: accurrite languentes & cordis veſtri vaſis hoc balſamum colligite ſacroſanctum. Terebinthum tuis, ô Chriſtiane propoſito luminibus, cor tuum corrobora, ipſo elephante ex conſpectu mori, vel vini rubei robuſtior. Ne liquorem hunc vmbrâ contegas obliuionis: hoc etenim tibi vaticinante Iob ſignificat: *Terra ne operias ſanguinem meum, neque inueniat in te locum latendi clamor meus.* Iob. 16. 19. Attende ſanguinem illum, teſte Apoſtolo, melius tibi clamantem, quàm Abel innocentis: ille namque iuſtitiæ rigorem exigebat, hic ſua te allicit miſericordiâ. Ne ferox & ingratus cooperias illum nec aures ad eius clamores occludas obſtinatus: quid tibi dicat, auſculta; vt videlicet perpendas quòd te diligat, qui tibi cordis ſui pretioſum propinat ſanguinem. Quem tantus non inflammet amor? Quem tanta non deuinciat charitas? Agnoſco Domine mi, quod ſi hoc ſudore tuo noſtra nequaquam peccata terminentur, noſtra conuincatur malitia, vt peruicax, execrabilis, & irremediabilis fortiori multò ratione, quàm olla illa ſordidiſſima, quam, cum Propheta Ezechiel tanto labore ſtudioque purificaſſet vt totus eſſet ſudore conſperſus, factus vt oſſa (a) aqua temperata, nec tamen eſſet emundata eam Dominus execratus ait: *Execrabilis malitia tua, multò ſudore ſudatum eſt, & non exiuit de ea nimia rubigo.* Myrrham igitur hanc ſedulò colligamus pretioſam, hoc aroma diuinum, hoc gummi cœleſte, noſtris malis remedium, noſtris vulneribus medicinam, cordibus noſtris confortationem, noſtris ſolamen laboribus, vehemens amoris incentiuum: medium hoc eſt efficaciſſimum quo gratiam in hoc mundo, & poſtmodum gloriam obtineamus ſempiternam. Amen.

*(a) Hecho vna ſopa en agua.* Ezech. 24. 12.